DISPUTATIONES THEOLOGICÆ

SEU

COMMENTARIA

IN SUMMAM THEOLOGICAM D. THOMÆ

DE CREATIONE

(I, Q. XLIV et sqq.)

AUCTORE

Louis Adolphe

ALOISIO-ADULPHO PAQUET

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE ET PROFESSORE IN UNIVERSITATE LAVALLENSI

QUEBECI
EX TYPOGRAPHIA FRATRUM DEMERS

1893

IMPRIMATUR

† L. N. ARCHIEP. CYRENEN.

Coadj. Emi Card. Taschereau.

Quebeci, die 13a Sept. 1893.

Cum ex Seminarii Quebecensis præscripto recognitum fuerit opus cui titulus est *Disputationes theologicæ seu Commentaria in Summam theologicam D. Thomæ : De Creatione, auctore Aloisio-Adulpho Paquet*, nihil obstat quin typis mandetur.

J. C. K. LAFLAMME, Pter.,
S. S. Q.

Quebeci, die 13a Sept. 1893.

PRÆFATIO

Ex quo Summus Christi Vicarius et Pontifex, Leo XIII, S. Thomæ Aquinatis doctrinas, misero fato diutius neglectas, in priscum honorem restituere decrevit atque revocavit, non pauci philosophi ac theologi Angelici operibus incumbere ejusque dogmata aut meditari aut aliis, pro temporum et scientiarum congruentiis, tradere undique cœperunt. Nec laus ista Universitati nostræ Lavallensi defuit ut, favente Eminentissimo Cardinali et Archiepiscopo Quebecensi E.-A. Taschereau, inde ab ipsis thomisticæ restaurationis exordiis in utraque Facultate philosophica ac theologica studia ad mentem Angelici Doctoris exigerentur atque ipse *Summæ theologicæ* liber inter manus professorum ac discipulorum quotidie versaretur.

Quæ cum ita sint, nemo non perspicit quam utile, imo necessarium quodammodo habendum sit, præsertim in tractatu *de rerum creatione* cui nuper tot novæ quæstiones accesserunt, tam multis adversariorum sophismatibus immixtæ, juvenum mentibus subvenire per commentaria quæ, nec fusiora ne tædium pariant, nec breviora ne Auctoris doctrinam mutilent, veluti media via inter utrumque scopulum incedant. Hæc nobis mens, hoc propositum fuit in iis scribendis commentariolis quæ nunc auditoribus prælectionum nostrarum libenti animo dicamus aliisque, si qui sint, benevolis lectoribus pari cum fiducia exhibemus.

Operis ratio facile per se patet. *Summam* enim S. Thomæ, id est impræsentiarum (futurum quippe nescimus) *Summæ* partem de Deo creante tyronibus in re theologica exponere volentes, ea lege procedimus ut, ipso Auctoris ordine propriaque methodo inviolabiliter servatis, singulas quæstiones singulosque etiam plerumque articulos triplici Scripturæ, traditionis et rationis luce illustrandos suscipiamus, semotis dumtaxat quæ minus congrua temporibus nostris videantur, adjectisque iis omnibus quorum notitia, post novos exortos errores novaque scientiarum naturalium incrementa, theologicam disciplinam adornat ac complet : quæ quidem, in ipsis S. Thomæ principiis implicite contenta, nec pauca, nec levis momenti sunt. Cum enim hodie multi increduli, ex humanis inventis superbiores facti, non solum supernaturalem ordinem sed etiam naturalem omnibus artibus labefactare conentur, audacter negatis aut sus deque versis fundamentalibus illis veritatibus quibus religio et scientia et societas universa nititur, operæ pretium est magnam theologicæ disceptationis partem in illis adstruendis ac vindicandis dogmatibus consumere : ita namque se gerunt plerique hodierni theologi, et, quod potius est, talem agendi morem vehementer suadet ipsa rei necessitas.—Duobus porro æqua cura consulere studemus, nempe comprehensioni materiæ atque brevitati styli et sermonis. Hinc quæcumque apud alios auctores utiliter scripta et præclare disputata passim invenimus, hæc operi nostro, prouti res postulet, iisdem etiam verbis inserere non veremur, ita ut sæpius S. Thomæ sapientiam non tam ex nobis quam ex ore saniorum interpretum lector accipiat. Ne

vero liber ultra modum accrescat, concisa admodum oratione utimur, verborum fucum, latiores explanationes, imprimis vero supervacaneas quæstiones vitamus.

Hæc pro tenuitate nostra præstitimus, freti Dei gratia eaque spe illecti ut opus istud, quantumvis mancum atque imperfectum, nonnihil tamen saltem auditoribus scholæ theologicæ profuturum sit atque forsitan etiam alios veritatis studiosos, maxime e clero canadensi, inducere queat ad eas amplectendas doctrinas quas supremus Ecclesiæ Magister commendare non desistit, utpote " ad omnium temporum necessitates aptas et ad pervincendos errores perpetua vice renascentes maxime accommodatas. " (Breve Leonis XIII *Cum hoc sit.*)

Cunctas autem hujus libri sententias infallibili S. Sedis judicio humiliter subjicimus.

DE CREATIONE

Theologia versatur circa Deum. Deus autem considerari potest vel in se vel in operibus quæ ab ipso procedunt. Hinc, absoluta prima tractatione de Deo uno et trino, solet theologus per viam syntheticæ methodi procedere ad inquirendum de ipsis creaturis.

Porro creaturæ dupliciter possunt sub theologicam considerationem cadere: *primo* in genere; *secundo* in specie, quatenus seorsim vel immaterialis substantia, scilicet angelus, vel substantia mere materialis, vel tandem homo, ex anima rationali et corpore constans, in quæstionem vocetur. Hunc nobis ab ipso Divo Thoma præscriptum ordinem fideli gressu sequemur.

DISPUTATIO PRIMA

DE CREATIONE RERUM IN GENERE

Tria in hac parte peragenda nos manent. Siquidem creatio, generalius sumpta, aut ex parte ipsius primæ causæ, aut ex parte rerum et modi quo fiunt, aut respectu temporis quo factæ sunt considerationi subest.

QUÆSTIO PRIMA

DE OMNIUM ENTIUM PRIMA CAUSA

Causarum quatuor sunt genera : numerantur enim causa finalis, efficiens, materialis et formalis, quæ vel intrinseca vel extrinseca est seu exemplaris, dans rei speciem non communicatione sed suî imitatione ; unde tres *externæ*, duæ autem *internæ* causæ existunt. Jam vero in quæstione de rerum origine non quidem interna sed externa investiganda sunt principia, nimirum *efficiens*, *exemplare* et *finale ;* efficiens autem vel ad *ens in actu* vel ad *ens in potentia* seu materiam primam, qua corpora cuncta constituuntur, extendi necesse est. Quare præsens quæstio in quatuor articulos logice dispescitur.

ARTICULUS I.

Utrum sit necessarium omne ens esse creatum a Deo.

Nonnulla præmittenda sunt, tum circa definiendos quæstionis limites, tum ad indigitandos veritatis hostes. Quæritur imprimis non de convenientia, sed de *necessitate* processionis

creaturarum a Deo. — Ens autem de quo agitur proprie intelligendum est seu *quod proprie est*, qualiter se habent apud nos composita, non vero sola materia seorsim considerata.—*Creatio* sumitur pro vera efficientia generice accepta, quin ejus notio distincta et adæquata modo describenda sit.

Res omnes a Deo processisse secundum propriam efficientiæ rationem negarunt *Dualistæ* atque *Pantheistæ*.—Dualismus, quem constat [1] jam antiquitus Ægyptios et Græcos professos fuisse, secundo et tertio post Christum sæculo, auctoribus Cerdone, Marcione ac Mane, Manichæorum duce, maxime invaluit. Nescientes isti veram mali explicare originem asserere non dubitabant duo dari suprema principia, quorum unum bonum spiritualium omnium causa, malum autem alterum fons esse malorum atque materialium existimabatur.

Pantheismus tum antiquus, tum recentior, variis sub formis, plurium philosophorum mentes infecit. Alii, ut Persæ, omnia a Deo esse *generatione* dixerunt [2], alii *animatione* misceri Deum omnibus ; recentiores vero potius docent *emanationem* quamdam sive realem (Spinoza) sive idealem (Fichte, Shelling, Hegel) ab uno communique principio; tandem Rosmini nuper asseruit esse quoddam abstractum a divina substantia, per suî *limitationem*, varias constituere rerum differentias.

Sequens nunc esto S. Thomæ positio ac demonstratio.

Conclusio.—NECESSE EST DICERE OMNE ENS QUOD QUOCUMQUE MODO EST EFFECTIVE A DEO ESSE : qua assertione comprehenduntur omnia tum invisibilia et spiritualia, tum visibilia et corporalia ; eorumque communis processio a Deo per modum efficientiæ demonstranda assumitur.

Doctrina hæc *de fide* est, utpote proposita in symbolis Nicæno et Constantinopolitano. Credimus enim " *in Deum, factorem* cœli et terræ, *visibilium omnium et invisibilium.*" *Probatur* 1° *ex Scripturis.*

Legimus (Exod. XX, 11): *Sex diebus fecit Dominus cælum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt;* ubi

1—Cf. *De Potentia*, Q. III, a 6.
2—Cf. Ventura, *La raison phil.*, t. II, 13e conf.

nomine cœli cuncta cœlestia, nomine autem terræ cuncta inferiora intelligenda sunt. (Rom. XI, 36) : *Ex ipso, et per ipsum et in ipso sunt omnia ;* quibus verbis designatur triplex Dei habitudo ad creaturas, nempe efficientis, exemplaris et finalis causæ. Nam " omnia sunt ex ipso, sc. Deo, sicut ex prima operatrice potentia, omnia autem sunt per ipsum in quantum omnia facit per suam sapientiam, omnia sunt in ipso sicut in bonitate conservante [1]." Cum autem hæc tria, potentia, sapientia, bonitas, optime appropriantur Patri, Filio et Spiritui Sancto, intelligere possumus ex ipso, sc. in Patre, per ipsum, sc. per Filium, in ipso, sc. in Spiritu Sancto.

Prob. 2° *ex Patribus*, inter quos sufficiat unum aut alterum audiisse. *S. Irenæus* (l. 2 adv. hær. c. 30, n. 9) ait : " Ipse a semetipso fecit libere, et ex sua potestate, et disposuit et perfecit omnia, et est substantia omnium voluntas ejus." *S. Basilius* (de Sp. S. c. 16, n. 38) idem habet, docens " primam omnium rerum causam esse Patrem, qui per Filium omnia producit, et per Spiritum S. perficit."

Prob. 3° *ratione.*

Quod invenitur in aliquo per participationem, seu secundum limitationem vel contractionem quamdam, necesse est in ipso produci ab eo cui essentialiter, seu sine ulla contractione, convenit, v. g. ferrum fit ignitum ab igne. Atqui Deus est ipsum esse per se subsistens, quod certe non potest esse nisi unum, quemadmodum, si albedo subsisteret, una dumtaxat esset ; cuncta autem alia a Deo, cum non sint suum esse, illud participant secundum varios entitatis gradus. Ergo unus est fons communis omnium entium, sc. Deus. [2]

Confirmatur 1° hæc conclusio ex verbo *Platonis*, qui dixit necessarium esse ante omnem multitudinem ponere unitatem. Multa enim et diversa, in quantum talia sunt, non possunt aliquid commune participare, cum diversæ causæ diversos producant effectus, sed illud recipiant oportet a superiori communique principio, qualis est Deus respectu omnium rerum. [3] Hinc in natura videmus ramos ab uno

1—Cf. *Commentaria* D. Thomæ in Ep. S. Pauli.
2—Cf. *De Pot.*, Q. III, a. 5.
3—*Ibid.*

trunco, rivulos ab uno fonte radiosque diversos a sole unico manare.

Accedit 2º *Aristotelis* dictum : " Id quod est maxime ens et maxime verum est causa omnis entis et omnis veri, sicut id quod maxime calidum est est causa omnis caliditatis." Etenim, in illa entium gradatione quam prospicimus, semoto influxu ejus cui aliquid maxime et per essentiam convenit, non esset ratio cur talis perfectio major inveniretur in uno quam in alio participantium eam.

REFELLUNTUR DUALISTÆ ATQUE PANTHEISTÆ. — *Dualistæ* ponunt duo prima atque independentia prorsus principia, bonum et malum : id autem repugnat.[1] Revera 1º quæcumque diversa aut contraria aliquid commune in se contineant, quoad illud commune, in unam supremamque causam reducenda sunt. Atqui contraria diversaque entia, quæ in mundo sunt, quæque dualistæ nonnisi ex contrariis primis principiis oriri potuisse olim existimarunt, cuncta communicant in aliquo uno, vel specie, vel genere, vel saltem analogica essendi ratione. Ergo ad unum totius esse principium, sc. Deum, revocari debent.

2º Unumquodque agere non potest nisi in quantum aliquo modo sit actu, proindeque bonum. Ergo cùm malum in privatione proprii et debiti actus consistat, operari nequit nisi virtute boni. Atqui rationi primi principii, summi et independentis, omnino repugnat non per se, sed virtute alterius agere. Ergo implicat malum esse primum principium.

3º Diversa atque contraria, si non ab uno supremoque principio efficaciter penderent, in unum non possent ordinem concurrere nisi *per accidens*. Atqui satis constat incorruptibilia et corruptibilia, spiritualia et corporalia, perfecta atque imperfecta mirabili quadam harmoniæ lege *per se* et jugiter in unum ordinem finemque conspirare. Ergo universali Dei actioni communiter subjacent.

Hinc legitur (Is. XLV, 6-7) : *Ego Dominus, et non alter, formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum. Ego Dominus faciens haec.*

1—Cf. C. G., l. II, c. 41 ; l. III, c. 13-15.—*De Pot*, Q. III, a. 6.—I, Q. XLIX, a. 3.

Pantheismi autem plena confutatio longiorem quam par sit in præsenti tractatione sermonem requireret. Pauca hic lectori subjiciam, quæ singulas systematis formas æque percellunt.

1° Esse per se subsistens ideoque perfectum, necessarium, infinitum, nec numero, nec specie, immo nec genere convenire potest cum ente participato, contingenti atque finito ; unde necesse est hoc ab illo tanquam *analogicum* superioris causæ effectum ortum ducere. Atqui Deo convenit esse per se subsistens, omnibus perfectionibus ornatum ; cætera autem a Deo esse habent per participationem. Ergo non Deus ex seipso, sed a Deo omnia, singulis naturis distincta, effective procedunt.

2° Oportet primum principium [1], a quo cunctæ res originem trahant, esse ens in actu, immo actum purum, nulla potentialitate commixtum ; nihil enim posset, sæculorum lapsu, in actum prodire nisi suam essendi rationem ab aliquo inexhausto omnis actualitatis, realis et possibilis, fonte reciperet. Atqui, juxta omnium pantheistarum placita, Deus simul esset principium actuale et potentiale : actuale quidem, cum ab eo, vel emanationis vel evolutionis via, mundum mundique differentias repetant ; potentiale autem, utpote quod esset manifestissime in potentia sive ad novas suæ substantiæ modificationes (Spinoza), sive ad perpetuas *Ideæ* et *Absoluti* manifestationes (Pantheistæ Germani). Ergo systema illud rectæ rationi aperte contrariatur meritoque ab Ecclesia formaliter reprobatum est. (Conc. Vatic., Const. *Dei Filius*, can. 3-4, cap. 1.)

Solvuntur objectiones. — Obj. I.—Nihil prohibet inveniri rem sine eo quod non est de ratione rei. Atqui habitudo effectus ad causam non videtur esse de ratione entium, quum plura entia sine hac habitudine intelligi possint. Ergo necesse non est omnia esse a Deo.

Resp. *Dist. Maj* :.....sine eo quod non est de ratione rei, neque essentialiter, neque proprie, *Conc* ;....sine eo quod non est de ratione rei essentialiter, sed ad rem tanquam aliquid proprium pertinet, *Neg.* — *Contradist. min* :......non est de

1—Cf. Zigliara, *Propædeutica*, p. 31.

ratione entis simpliciter, *C*; entis participati, ***Subdist*** : essentialiter, *C ;* proprie, *N.*—*Nego consequens.*

1° Aliud dicitur ens *simpliciter*, aliud *participatum.* Ens quidem simpliciter seu absolute dictum non involvit necessario rationem effectus, adeoque invenitur aliquod ens non causatum, videlicet Deus.—Si vero 2° de ente participato loquamur, dicendum est habitudinem ad causam non esse de ratione essentiali vel definitiva ejus, resultare tamen ex ejus essentia veluti aliquid proprium ; ex hoc enim quod alquid est ens per participationem, necessario sequitur quod sit ab alio. Unde hujusmodi ens non potest existere quin sit causatum, sicut nec homo quin sit risibilis.

Obj. 2.—Quod non potest non esse non indiget causa efficiente. Atqui necessaria, quæ sane plura sunt, non possunt non esse. Ergo saltem necessaria non sunt a Deo.

Resp. *D. M* : Quod non potest non esse, spectata quacumque potentia...*C ;* spectata potentia proxima tantum... *N.*—C.*d.m* : ... spectata potentia proxima, *C* ; ... potentia remota, ita ut forent, etiam si causa non esset, *N.*—*Neg. conseq.*

Hac ratione quidam ducti sunt ad ponendum res necessarias causa carere. Sed hoc falsum esse manifeste apparet 1° ab exemplo logico ; siquidem in scientiis demonstrativis principia necessaria necessarias gignunt conclusiones.—Hinc 2° Aristoteles dixit quædam esse necessaria quæ habent causam suæ necessitatis.—3° Pro solutione præsentis quæstionis, distinguas velim duplicem potentiam ad non esse, *proximam* et *remotam.* Proximam quidem potentiam necessaria non habent, quia de se incorruptibilia sunt, v. g. angeli. Verum remota in eis potentia est, quatenus Deus, absolute loquendo, illis possit esse subtrahere. Unde necessaria, sicuti contingentia, nullatenus essent nisi suprema causa eis cum esse necessitatem conferret.

Obj. 3.—In illis quorum est causa potest fieri demonstratio per causam illam. Atqui in mathematicis non fit demonstratio per causam agentem. Ergo non omnia sunt a Deo.

Resp. *D. M* :...dummodo considerentur secundum esse a causa productum, *C ;* quomodocumque sub considerationem cadant, *N.*—*C.d.m :* et mathematica accipiuntur ut abstracta secundum rationem, *C ;* accipiuntur secundum esse reale, *N.* —*Neg. conseq.*

Scientia mathematica versatur circa quantitatem, aliaque *pura* est quæ agit de quantitate a materia sensibili abstracta, ut Arithmetica, Geometria, alia vero *mixta* quæ considerat quantitatem rei sensibili concretam, ut Musica, Astronomia.—Porro quantitas, in quantum realis est, habet causam suî effectricem, et hæc causa a philosopho consideratur. Verum Arithmeticus aut Geometra aliter procedit, considerans quantitatem ut abstractam ratione, non autem ut realiter exstantem, ideoque suas ducit conclusiones non per agentem sed per formalem causam.

ARTICULUS II.

Utrum materia prima sit creata a Deo.

1° Nomine materiæ primæ cum D. Thoma intelligimus *naturam quamdam ex qua fieri potest quælibet substantia naturalis*, seu primum substratum omnium materialium primumque subjectum omnium substantialium mutationum. Talem dari materiam quæ una cum substantiali forma corpora constituat a nobis supponitur, satisque posset argui cum ex mutationibus vere substantialibus quæ in mundo fiunt, tum ex verbis Leonis XIII quibus, Pontificiam traditionem sequens, vel generatim maximis effert laudibus thomisticam philosophiam systemati materiæ et formæ præcipue innixam, vel etiam aperte declarat, juxta plures eosque insignes scientiarum physicarum doctores, " inter certas ratasque recentioris Physicæ conclusiones et *philosophica scholæ principia* nullam veri nominis pugnam existere." (Encycl. *Æterni Patris*).—Quæritur itaque utrum non solum entia in genere, verum et ipsa materia prima ab auctore Deo procedat.

2° Antiqui philosophi paulatim et quasi pedetentim intraverunt in cognitionem veritatis.

a) A principio enim, quum grossiores essent (quod maxime de schola Ionica seu Thaletis dicendum est), non existimabant esse entia nisi corpora sensibilia aut, quamvis sensu communi plura cognoscerent, non tamen alia considerarunt.

Motuum sensibilium et alterationum accidentalium varias varii causas posuerunt, alii (ut Empedocles) amicitiam et litem, nempe cohæsionem et repulsionem, alii (ut Leucippus et Democritus) concursum fortuitum atomorum figura, ordine et positione differentium, nonnulli etiam (cum Anaxagora) intellectum principia illa confusa distinguentem atque moventem. Unde isti omnes, vel solam causam materialem, vel ipsam causam agentem sed accidentalium tantum mutationum exploraverunt, quin ad originem ipsius materiæ attenderent.—Sic et non aliter se gerunt moderni *Positivistæ* et *Materialistæ* quorum duces, Comte et Büchner, tam multos sequaces infeliciter nacti sunt.

b) Ulterius procedentes, veteres philosophi intellectu distinxerunt inter formam substantialem et materiam quam tamen plures increatam ponebant, et perceperunt transmutationem fieri in corporibus secundum formas essentiales vi quarumdam universalium causarum, quas dicebant aut ideas aut motum cœli.—Sed quoniam materia per formam contrahitur ad determinatam speciem, utrique, scil. tum priores tum posteriores, ens considerarunt sub particulari quodam adspectu, vel in quantum est *hoc ens*, vel in quantum est *tale ens*, ideoque rebus causas agentes particulares tantum assignaverunt.

c) Tandem aliquando quidam inter ethnicos, cunctique christiani doctores sese erexerunt ad considerandum ens in quantum est ens, et rerum causam explorandam susceperunt non solum secundum quod sunt hæc vel talia, sed secundum quod sunt *entia*.

Conclusio.—NECESSE EST PONERE IPSAM MATERIAM A DEO PRODUCTAM FUISSE.

Prob. 1° *ex Scripturis et conciliis*, ubi Deus dicitur fecisse *omnia* (Joan. I, 3) aut exhibetur *unum universorum principium*. (Later. I.)

Prob. 2° *ex S. Augustino* (Conf. XII, 6-7) : " Domine... fecisti... duo quædam, unum prope te ", scilicet angelum, " alterum prope nihil ", scilicet materiam primam.—" Tu enim Domine, fecisti mundum de materia informi, quam fecisti de nulla re pene nullam rem. "

Prob. 3° *ratione*. Quod est causa rerum, in quantum sunt entia, causa est earum secundum omne illud quod quomodo-

cumque ad illarum esse pertinet, ideoque nec materia potest prædictam causalitatem effugere. Atqui Deus est universalis causa a qua res procedunt in quantum sunt entia, scil. in tota sua latitudine et profunditate. Ergo.

Plura sunt alia argumenta quibus ostenditur nimia absurditas opinionis *Materialistarum* de improductione materiæ. Etenim 1° materia, indifferens per se ad omnes formas, quæque nihilominus sine ulla forma, id est, sine ullo substantiali actu nequit existere, causam efficientem manifeste postulat, a qua illa indifferentia solvatur. Atqui talis est materia prima. Ergo hanc a Deo produci necesse fuit.— 2° Quod est in se omnino contingens minimeque necessarium, quod est mutabile, dependens, perfectibile, similiter requirit causam efficientem, motivam et perfectivam. Atqui hujusmodi est materia, quæcumque dicatur aut intelligatur. Ergo materia non est improducta.— 3° Revera, docentibus ipsis Physicæ cultoribus, materia est iners seu, natura sua, indifferenter se habet ad motum et quietem, ita ut ex illo indifferentiæ statu erui nequeat sine aliquo movente principio. Atqui indoles virium et operationum alicujus rei esse ejus propriamque naturam sufficienter promit. Ergo concludendum est materiam illam suapte natura esse indifferentem non solum ad motum, sed etiam ad esse, proindeque indigere efficiente principio [1].

Solv. obj.—Obj. 1.—Omne quod fit componitur ex subjecto et ex aliquo alio (1 Phys.). Atqui materiæ primæ non est aliquod subjectum. Ergo materia prima non est facta a Deo.

Resp. *D. M*: Omne quod fit in productionibus particularibus...*C* ; quod fit in productione universali entis, *N.*—*C. m.*—*Neg. conseq.*

Productio duplex est, *particularis* et *universalis*. In prima productione, qua rerum forma sive accidentalis sive substantialis mutatur, quod fit componitur ex subjecto præexistente novoque elemento, et de hoc productionis genere loquitur Aristoteles in loco citato. Productio autem universalis ea est quæ totum rei esse complectitur singulasque ejus partes attingit ; cui nec materia subtrahenda est.

1—Cf. Duilhé de Saint-Projet, *Apol. scientifique de la foi chrét.*, ch. 9.

Obj. 2.—Duorum principiorum contra se invicem divisorum neutrum est ab alio. Atqui Deus, primum principium activum, dividitur contra materiam, primum principium passivum. Ergo materia non est a Deo.

Resp. *D. M*:...contra se invicem divisorum oppositione relativa...*N*; oppositione contraria, *S. d*: neutrum est ab alio in quantum contrarietas dicit privationem, *C*; in quantum dicit quidpiam positivum, *N*.—*C.m.*—*Neg. conseq.*

Verum est Deum, primum activum principium, dividi quodam modo contra materiam cui tribuitur prima passivitas. At 1° quemadmodum passio, impressa ab agente, est actionis effectus, ita non repugnat primum principium passivum originem sortiri a primo principio activo.—2° Imperfectum universaliter procedit a principio perfecto; quod enim est in potentia non reducitur ad actum nisi per ens in actu; hinc et ipsum malum, bono contrarium, a bono procedit quoad id quod positivum est in illo. Ergo nihil prohibet materiam esse a Deo.

Obj. 3.—Omne factum, utpote simile agenti, aliquo modo est in actu. Atqui materia prima est tantum in potentia. Ergo.

Resp. *D. M*:...in actu mixto, *C*; in actu puro, *N*.—*D.m*: et ideo non creatur sine forma, *C*; nec concreatur, *N*.—*Neg. conseq.*

Quidquid est factum seu recepit esse ab alio habet sibi necessario admixtam potentialitatem. Potentia autem realis qua corpora constant est materia, quæ, quum non possit esse sine forma, in prima rerum origine a Deo facta est, non seorsim, sed una cum forma ipsa.

ARTICULUS III.

Utrum causa exemplaris sit aliquid præter Deum.

Absoluto sermone de causa rerum efficiente, investiganda subit causa exemplaris.

Celebris est positio *Platonis* de ideis per se subsistentibus quas, teste discipulo ejus Aristotele, extra Deum collocabat quasque rerum sensibilium exemplaria esse dicebat.

Inter recentiores *Staudenmayer*, repudiata illa loquendi ratione theologis familiari quod Deus est idea mundi, suam sententiam induxit posuitque in Deo duplex verbum, increatum quidem quod est Dei Filius, creatum autem quod est cogitatio Patris de mundo, realiter ab essentia divina distincta.

Conclusio 1ª et principalis. — DEUS EST PRIMA CAUSA EXEMPLARIS OMNIUM RERUM, seu in mente sua æternaliter præhabet ideas ad quarum similitudinem variæ mundi partes primo conditæ sunt.

Prob. 1º *ex Scripturis.* Legitur (Sapient. VII, 21): *Omnium enim artifex docuit me sapientia.* Et (Psalm. CXXXV, 5): *Qui facit cælos in intellectu.* Unde apparet Deum comparari artifici qui juxta præconceptam ideam sui intellectus omnia operatus est.

Prob. 2º *ex traditione. S. Augustinus* (lib. 83 Qq. q. 46) hæc habet: " Singula igitur propriis sunt creata rationibus. Has autem rationes ubi arbitrandum est esse nisi in ipsa mente Creatoris? Non enim extra se quidpiam positum intuetur, ut secundum id constitueret quod constituebat; nam hoc opinari sacrilegum est." Nec aliter sentiunt alii Patres, inter quos audiatur *S. Maximus* (ap. Euthymium, p. I. Panop. Tit. 3.): " Rationes omnium in Deo fixæ sunt secundum quas ex non exstantibus illa produxit, ac secundum rationes easdem cognoscit omnia antequam fiant."

Prob. 3º *ratione.*—Etenim oportet res mundanas ab aliquo exemplari principio repetere. Atqui hoc principium primario esse non potest nisi ipse Deus. Ergo etc. *Prob. Maj.* Determinata forma effectus certo indigitat influxum causæ exemplaris; sic enim artifex eatenus operi suo debitam imprimit aptatque formam quatenus inspiciat ad aliquod exemplar, sive sit hoc exemplar extra se positum, sive interius mente conceptum. Atqui manifestum est opera naturæ fieri secundum determinatas formas præclarumque ordinem. Ergo præsupponendum est hisce operibus aliquod exemplar. *Prob. min:* nempe hoc exemplar primario esse Deum. Deus enim, mundi conditor, æquiparandus est artifici et architecto. Porro architectus non solum summam generalemque domus dispositionem excogitat; verum quo melior et sapientior fuerit, eo distinctius mente præconcipit proprias rationes singularum partium, quas artificibus inferioribus tradit executioni man-

dandas. Pariter igitur in mente divina præexstitit ab æterno idea totius mundi, sub qua concluduntur formæ vel rationes exemplares omnium rerum.

Hæ autem exemplares formæ, licet multiplicentur secundum respectum ad res, nullatenus tamen simplicitati divini esse repugnant; nihil enim aliud realiter sunt quam ipsa divina essentia secundum quod hæc diversimode imitabilis est atque actualiter a Deo apprehenditur ut diversarum rerum similitudo.—Ex quo intelligitur quam falsa et absurda sit positio superius relata de Verbo divino realiter distincto ab idea mundi et quam vera sit alia Angelici Doctoris: "Sic igitur ipse Deus est primum exemplar omnium".

Conclusio 2ª, scilicet SUB DEO IN REBUS CREATIS DANTUR SECUNDARIA RERUM EXEMPLARIA, vix probatione indiget. Postulat enim ordo divinæ Providentiæ ut in gubernatione mundi communiter adhibeantur causæ secundæ, quæ vel univoce, secundum eamdem speciem, vel analogice suî similitudinem effectibus imprimant.

Solv. obj. (contra 1ªᵐ concl.). — OBJ. I. — Exemplatum habet similitudinem exemplaris. Atqui creaturæ longe sunt a divina similitudine. Ergo Deus non est earum exemplar.

RESP. *C. M.—D.m*: ...a similitudine Dei secundum naturam sumpti, *C*;...secundum representationem rationis intellectæ a Deo, *N.—Neg. conseq.*

Creaturæ possunt ad Deum comparari dupliciter: *primum*, secundum naturam ejus, quasi dicam, specificam, et sic minime ad ejus similitudinem pertingunt; *secundo*, quantum ad rationes rerum proprias et exemplares quas divina mens penes se tenet, et his idealibus repræsentationibus formaliter respondent singulæ creaturæ, quemadmodum domus existens in materia domui conceptæ in mente artificis perfecte assimilatur.

OBJ. 2.—Ex mente Platonis. Omne quod est per participationem reducitur ad aliquid per se existens, ut ignitum ad ignem. Atqui quæcumque sunt in sensibilibus rebus participant unam vel alteram speciem. Ergo reducenda sunt ad ipsas species per se existentes tanquam ad exemplaria extra Deum posita.

RESP. *D. M*:...ad aliquid ejusdem speciei vel superexcedens, *C*:...ejusdem speciei tantum, *N.—D.m*:...quae species

abstractione concipiuntur, *C*; realiter per se subsistunt, *N*.—*Neg. conseq.*

1° Plato, ut diximus, dari sentiebat ideas per se subsistentes, v. g. per se hominem, per se equum, omni conditione materiali nudatas, easque ponebat esse prima exemplaria rerum materialium.—At 2° licet ejusmodi species bene vi abstractionis constitui possint, repugnat tamen easdem per se, sine materia, realiter subsistere. De ratione enim est cujusvis hominis (idem dicatur de aliis sensibilibus) ut sit in materia: consequenter non potest sine illa de facto inveniri.—3° Concedatur ergo qualitatem accidentalem, v. g. calorem in ligno participatum, reduci ad aliquid ejusdem speciei et per se existens, scilicet ad ignem; sed de individuis sensibilibus tenendum prorsus est ad aliquid existens per se *in eadem specie* reduci non posse, reducenda autem esse vel ad speciem *superexcedentem*, ut homo ad angelos, vel maxime ad æternas ideas in mente Dei subsistentes.

Obj. 3.—Definitiones et scientiæ versantur circa species universales. Atqui tales species in particularibus esse non possunt. Ergo sunt extra illa, veluti eorum exemplaria.

Resp. *D. M*:...secundum modum quem habent in essendo, *N*; secundum modum intellectus in intelligendo, C.—*C.d.m*:...esse non possunt formaliter, *C*; fundamentaliter, *N*.—*Neg. conseq.*

Præsens objectio, haud secus ac altera, ex fonte platonico procedit tangitque quæstionem in philosophia gravissimam, nempe de *universalibus*.—Breviter dicamus universalia, de quibus sunt definitiones et scientiæ, existere a parte rei non *formaliter*, sed *fundamentaliter*, quatenus per virtutem intellectus agentis abstrahimus species universales a particularibus conditionibus quibus naturæ circumscriptæ inveniuntur. Hinc ex una parte scientiæ non carent objectiva realitate, neque ex altera necesse est universalia seorsim a singularibus et per se subsistere.

ARTICULUS IV.

Utrum Deus sit causa finalis omnium.

1° Creaturarum duplex secernitur finis, *proximus* et *remotus*. Satis quidem constat finem proximum constituendum esse in felicitate creaturæ intelligentis, ad quam variis modis, scil. vel quoad esum, vel quod vestitum et delectamentum, vel maxime quoad intellectualis cognitionis perfectionem entia irrationalia immediate ordinantur [1].—Verum dubitatur utrum omnia ad Deum reducenda sint tanquam ad remotum finem, ita ut undique conditoris sui gloriam unanimi voce resonent.

2° Theologi distinguunt duplicem Dei gloriam: *internam* et *externam*.

a) Interna ea est quam ponunt *objective* quidem in excellentia Divinitatis secundum se sumpta, *formaliter* vero in cognitione quam Deus ipse aut tres Personæ de bono divino habent.

b) Externa gloria, *objective* spectata, primario dicit Dei excellentiam seu bonitatem extra se manifestatam atque secundario excellentiam creaturarum, maxime justorum, *formaliter* autem sita est in cognitione laudibus adjuncta quam natura intellectualis de Deo et creaturis comparat.

3° Em^us Mazzella [2] adnotat non paucos extitisse qui contenderint solius hominis causa ac ob solam ejus felicitatem mundum conditum esse. Ita ex Reformatis *Moshemius*, *Wegsheider*, *Kant*, quibus connumerandus est *Hermes*.—*Hegel* non veretur Deum increpare quod amore proprio ductus omnia ad gloriam suam trahat.—Quid dicam de *Positivistis* et *Materialistis?* Sublata aut pessumdata causa efficiente, pronum est ut negent causam finalem doceantque cum *Büchner* [3] mundum, jugi quadam et cæca materiæ evolutione productum, ad nullum externum summumque finem mente præconceptum ordinari.

1—Cf. C. G., III, 22.
2—*De Deo creante*, Disp. I, art. IX.
3—*Force et matière*, ch. XIV.

4° Antequam ad intentas conclusiones deveniamus, *præsupponendum* est Deum atque universe unumquodque agens agere propter finem. Ratio est *a)* quia finis trahit agens, remotoque fine sufficiens non esset agendi motivum; unde *b)* ex actione agentis non magis sequeretur hoc quam illud, nisi a casu. *c)* Inductio quoque aperte demonstrat omnia agentia, naturalia vel libera, tendere in finem: naturalia enim, obsequendo legibus sibi præstitutis, in ordinem universi mirifice conspirant; libera autem aut verum aut apparens bonum prius apprehensum prosequuntur [1].

Ergo concedendum est Deum non potuisse quin condendo mundum finem debitum tantoque opere dignum sibi proponeret. Quinam autem fuerit ille finis, num Dei gloria interna vel externa, num potius humana felicitas, modo demonstrandum aggredimur.

Conclusio 1ª et negativa.—DEUS NON AGIT AD AUGENDAM BONITATEM SUAM VEL INTERNAM SUAM GLORIAM; quod *de fide* esse luculenter patet ex verbis Concilii Vaticani (Const. *Dei Filius*, cap. I). "Solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute, non ad augendam suam beatitudinem nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam... utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem."

Prob. 1° *ex Scriptura*, (Ps. XV, 2): *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Et (Job, XXII, 3): *Quid prodest Deo, si justus fueris, aut quid ei confers, si immaculata fuerit vita tua?*

2° *Traditionis* interpres pulchre eloquitur *S. Hilarius* (in Ps. II) dicens: "Amari se a nobis exigit (Deus), non utique amoris in se nostri fructum aliquem seu causam ipse percipiens, sed amore ipso nobis potius qui eum amabimus profuturo."

3° Accedit *ratio.* In hoc discriminatur agens perfectum ab agentibus imperfectis quod priori convenit agere tantum quin patiatur, cætera autem simul agunt et patiuntur vel reactione, vel universalius transitu potentiæ ad actum qui ponitur ideoque acquiritur. Atqui Deus est agens perfectissimum, actualissimum. Ergo negandum est ipsum operari

1—Cf. C. G., III, 2.

propter acquisitionem alicujus finis seu ad augendam suam bonitatem suamque intrinsecam gloriam.

Conclusio 2ª et positiva.—SUPREMUS OMNIUM FINIS EST MANIFESTATIO DIVINÆ BONITATIS SIVE EXTRINSECA DEI GLORIA.—Vaticana synodus, superius citata, rem definivit sequenti canone (5): " Si quis mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit, A. S. "

Prob. 1º *ex sacris Litteris.*

Dicitur enim (Prov. XVI, 4) : *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* (Ps. XVIII, 1.) : *Cæli enarrant gloriam Dei et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* (Is. VI, 3) : *Plena est omnis terra gloria ejus.* Et (Apoc. 1, 8) : *Ego sum Alpha et Omega, principium et finis, dicit Dominus Deus.*

2º *Patres* haud dissimili ratione loquuntur, docentes Deum condidisse mundum " propter seipsum et propter suam bonitatem et sapientiam ex omnibus operibus suis resplendentem " (*Athanagoras*, de Resurr. Mort.), " in ornamentum majestatis suæ " (*Tertullianus*, Apol. c. 17), ut homines " dum per singula opera majestatem ipsius magnitudinemque cognoscunt, ad laudandum eum miraculo stuporis erumpant " (*S. Hieronymus*, in Eph. I, 14).

3º *Ratio* idipsum demonstrat. Etenim *a*) idem est finis agentis et patientis in quantum hujusmodi, quatenus unum sit quod agens intendit imprimere et quod patiens intendit recipere. Atqui Deus agendo intendit communicare suam perfectionem, quæ est sua bonitas : quandoquidem omne agens studet, quantum potest, facere sibi simile seu se diffundere atque ampliare. Ergo creaturæ intendunt participare bonitatem divinam cujus similitudo, eas perficiendo, commonstrat monstrandoque extollit atque celebrat bonitatis fontem omnisque perfectionis Auctorem.—Præterea *b*) cum finis agenti correspondeat, ens perfectissimum, qualis est Deus, non potest sibi alium præfigere finem nisi perfectissimum atque nobilissimum. Porro perfectior nobiliorque finis cogitari nequit quam ipse Deus, cujus, etsi non interna perfectio, externa tamen gloria multis modis accrescere potest : ad hanc ergo promovendam omnia creata sunt.

Hinc *reprobatur eorum sententia* qui supremum mundi finem in felicitate humana constituunt, atque tenendum est

eatenus felicitatem humanæ creaturæ esse a Deo volitam quia participat de bonitate divina eamque declarat. Eo magis quod felicitatis bonum non omnes consequuntur; verum nemo est, etiam iniquissimus, qui ad Dei gloriam aliqualiter saltem non conferat, locum præbendo sive patientiæ et clementiæ ejus sive justitiæ non raro manifestandæ.—Contra *Hegel* autem breviter dicendum, quærere gloriam suam nihil mali per se includere, malum vero in eo esse positum quod indebita gloria vel indebito modo quæratur [1]: quæ duo longe a Deo distant.

Solv. obj. (contra 2^{am} concl.)—Obj. 1.—Agere propter finem videtur esse alicujus indigentis fine. Atqui Deus nullo est indigens. Ergo non convenit ipsi agere propter finem.

Resp. *D. M* : Agere propter finem acquirendæ bonitatis... *C* ;... bonitatis communicandæ, *N.*—*C. M.*—*Neg. conseq.*

Duo in solutione hujus objectionis notanda occurrunt. 1° Agere ex impulsu indigentiæ et propter acquisitionem alicujus finis non est nisi agentis imperfecti quod natum est agere et pati ; Deus autem tantæ perfectionis est ut operari valeat quin passioni subsit.—2° Sequitur Deo et ipsi soli convenire summam liberalitatis laudem, eo quod non agit propter suam utilitatem sed in sola suæ bonitatis communicatione plenaque suarum creaturarum beatitudine gloriam suam collocat [2], juxta illud Psalmistæ (CIII, 28): *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.*

Obj. 2.—Finis generationis idem est ac forma vel natura rei productæ. Atqui repugnat Deum esse idem cum rebus creatis. Ergo non est finis rerum creatarum.

Resp. *D. M* :...est idem ac forma rei productæ absolute sumpta, *N* ;...in quantum hæc forma dicit similitudinem formæ generantis, *C.*—*D.m* : repugnat Deum esse ipsas res creatas, *C* ; repugnat Deum participari a rebus creatis, *N.*—*Neg. conseq.*

Forma rei productæ non est finis productionis secundum quod *absolute* sumitur, sed in quantum exhibet *similitudinem* agentis : secus enim et posito quod effectus, qua talis, haberet rationem finis, nobilior esset causâ quæ, in hac hypo-

1—Cf. II-IIæ, Q. CXXXII, a. 1.
2—Cf. Monsabré, 12e Conf: *Dieu principe et fin.*

thesi, rationem haberet medii ad finem. Quocirca æstimandum est Deum intendere tanquam ultimum finem, non quidem bonum ipsum seu formam rerum creatarum, sed in iis rebus participationem atque relucentiam suæ bonitatis.

Obj. 3.—Finis appetitur. Atqui non omnia Deum appetunt, cum nec omnia ipsum cognoscant. Ergo etc.

Resp. *C. M.—D.m :...* appetitu intelligibili, *C ;...* vel sensibili atque naturali, *N.—Neg. conseq.*

Triplex est appetitus, *intelligibilis* entium intellectualium, *sensibilis* brutorum, *naturalis* plantarum rerumque inferiorum qui est sine cognitione ; et, quamvis non eodem perfectionis gradu, omnia tamen appetendo suum bonum, homo felicitatem, animal escam, flos solis radios, appetunt Deum ut finem, quia nihil habet rationem boni et appetibilis nisi secundum quod participat Dei similitudinem.

Obj. 4.—Finalis causa, prima causarum, non potest in Deo poni una cum causa efficiente et exemplari, quin in ipso admittatur prius et posterius. Atqui perfectio divini esse hoc non patitur. Ergo etc.

Resp. *D. M :...* quin in ipso admittatur prius et posterius secundum rem, *N ;* secundum rationis considerationem, *C.—C.d.m.* eodem sensu, et *neg. conseq.*

QUÆSTIO SECUNDA

DE MODO EMANATIONIS RERUM A PRIMO PRINCIPIO.

Demonstrata divina omnium rerum origine, considerandum se offert modus proprius hujus processus, quem *creationem* vocamus.—Porro de creatione plura quæri possunt, quæ Angelico materiam præbent octo articulorum. Vel enim creatio consideratur in se (a. 1–4) vel in suis qualitatibus (a. 5–8) ; *in se* autem considerari potest aut quoad quidditativam suam definitionem (art. 1), aut quoad esse (art. 2), aut ex parte creativæ actionis passive præsertim sumptæ (art. 3), aut ex parte subjecti ad quod actio illa proprie terminatur (art. 4). Secunda pars agit de *qualitatibus* ; atque dubitatur an actio creativa communicabilis sit creaturis (art. 5), vel saltem in Deo communis sit tribus Personis (art. 6), quarum vestigium in creaturis inveniatur (art. 7) ; tandem de extensione creationis quæritur (art. 8).

ARTICULUS I.

Utrum creare sit ex nihilo aliquid facere.

Antequam probetur productionem rerum, de qua supra disputatum est, creationis nomen sibi vindicare, præstat definire quid sit *creatio.* Prius exhibebimus veram et catholicam ejus notionem, dein falsas aut periculosas notiones rejiciemus, tertio objectionibus solutionem dabimus.

VERA DEFINITIO.—Creatio a multis solet describi "productio rei ex nihilo"; verum a Divo Thoma distinctius dicitur: *emanatio totius esse ex non ente,* quod est simpliciter nihil.

Hanc definitionem rectam et bonam esse plane colligitur 1° ex eo quod continet genus proximum ultimamque diffe-

rentiam rei definiendæ. Vix opus est lectorem monere, vocem *emanatio* ab Auctore sumi non eo sensu qui pantheismum sapiat, sed ad significandam originem effectus tum numero tum specie ab agente distincti. Creatio igitur primo collocanda est in *genere* productionis ; at hanc inter aliasque productiones permagna *differentia* viget. Cæteræ enim productiones, sive alteratio, sive generatio, particulares sunt, novam inducentes aut accidentalem aut substantialem formam. Creatio e contra emanationem importat entis universalem. Atqui, quemadmodum quod procedit particulariter non præsupponitur tali emanationi, sicut si generatur homo, fit ex non homine et album ex non albo, ita in productione universali totius entis nullum ens eidem productioni præsupponendum est. Ergo creatio recte definitur emanatio totius entis ex non ente, quod est nihil.

2° Descriptio superius tradita certum habet fundamentum in *sacris Scripturis*. Insignis est locus Veteris Testamenti (2 Mach. VII, 28), ubi mater Machabæorum juniorem suum filium ad martyrium vehementer hortatur, dicens : *Peto, nate, ut aspicias ad cælum et terram et ad omnia quæ in eis sunt, ut intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus.*

3° *Traditionem* ex ore *Augustini* loquentem audiamus (de Gen. c. Manich. l. I, c. 6) : " Deus, inquit, rectissime creditur omnia *ex nihilo* fecisse, quia etsi omnia formata de ista materia facta sint, hæc ipsa materia tamen de nihilo facta est." Quibus assentitur *Beda*, quando ait (Glossa in Gen. I) : " Creare est aliquid ex nihilo facere."

Pravæ definitiones. — Philosophus parisiensis, *Cousin*, ab illa communi creationis definitione recedens, propriam invexit [1] dixitque creationem in eo esse positam quod Deus *a seipso* mundum traxerit, eo ferme modo quo humana mens de se cogitationem elicit.

Duo notabimus. 1° Per illa verba " a seipso mundum traxit " vel Cousin designat solummodo causam efficientem et exemplarem, et sic quidditatem creationis non explicat ; vel intelligit causam materialem, et sic manifestum est Deum exhiberi tanquam creatarum rerum subjectum ; quod est pantheisticum. 2° Juxta Cousin, Deus crearet eo modo quo

1—*Introd. à l'hist. de la philosophie.*

mens nostra cogitationes elicit. Atqui nemo non videt intellectum nostrum se habere uti subjectum cogitationum suarum, quas non solum effective producit, sed etiam sustentat. Ergo descriptio illa creationis ad Pantheismum ducit.

Rosminius ejusque sequaces [1] pariter offendunt, multo magis, destruunt creationis conceptum.—Ponunt enim imprimis unum et idem esse omnium sola ratione divina et humana distinctum secundum triplicem statum esse *absoluti, initialis* et *limitati*. Quod ut intelligatur, triplicem Dei operationem statuunt : 1ª vocatur *abstractio*, qua Deus solo mentis actu a suo esse absoluto abstraxit esse initiale (aliquid Dei), veluti creationis initium, quod tamen univocum dicitur Deo et creaturis atque infinitum. 2ª operatio est *imaginatio*, qua divina mens huic infinito esse varios apponi posse limites excogitavit: unde possibilium multiplicitas. 3ª demum habetur, videlicet *synthesis*, qua Deus reales illius esse limites affirmatione mentis determinat, ita ut finita mundi entia aliud non sint quam limitationes realitatis infinitæ. En rosminiana creatio!

Utrum hoc systema serio possit cum catholico dogmate de creatione componi, uno verbo judicabitur.—Ecclesia docet totum esse rerum fuisse a Deo de nihilo productum. Atqui ens creatum, juxta Rosminium, nihil aliud est quam esse abstractum a divina substantia, ad Deum pertinens, ipsi univocum, licet variis limitationibus subjectum. Ergo Rosminius penitus tollit creationem de nihilo, eique substituit pantheisticam doctrinam.

Inter 40 propositiones rosminianas nuper a Sancto Officio damnatas, hæc 15ª numero invenitur: " Tertia operatio esse absoluti mundum creantis est divina synthesis, idest unio duorum elementorum, quæ sunt *esse initiale*, commune omnium finitorum entium initium, atque *reale* finitum, seu potius diversa realia finita, termini diversi ejusdem esse initialis. Qua unione creantur entia finita " [2].

Solv. obj.—OBJ. 1.—S. Augustinus (contra adv. leg. et

1—Cf. Satolli, *Prælectiones in Sum. theol.*, I. Vol. p. 163 ; III Vol. p. 223.

2—Cf. in scripto periodico *Le Canada français*, oct. 1888, dissertat. cui titulus est: *Rosmini et son système.*

proph. I, 23) dicit: "Creare...est ex eo quod jam erat educendo aliquid constituere." Ergo etc.

RESP. *Dist. antecedens:* Creare proprio sensu, *N;* sensu improprio et analogico, *C.—Neg. conseq.*

Augustini sententia intelligenda est non de creatione *proprie dicta*, sed de iis quæ, propter eximium operis characterem, admirationem gignunt atque *analoga* creationis voce denominantur: sic dicitur aliquis creari in episcopum aut etiam artifex pulchriora creare artis suæ inventa.

OBJ. 2.—Nobilis actio nequit habere vilem terminum. Atqui creatio est actio nobilissima. Ergo non est ex nihilo.

RESP. *D. M:*...terminum *ad quem, C;* terminum *a quo; N.—C.m.—Neg. conseq.*

Mutationes accipiunt speciem et dignitatem non a termino *a quo*, sed a termino *ad quem*. Tanto ergo perfectior et prior est aliqua mutatio quanto prior est et nobilior terminus *ad quem* illius mutationis, licet terminus *a quo* sit imperfectior. Quare, sicut generatio simpliciter est prior ac nobilior quam alteratio, in quantum forma substantialis accidentali præcellit, ita creatio perfectior est generatione et alteratione, quia terminus *ad quem* est tota rei substantia.

OBJ. 3.—Præpositio *ex* importat maxime habitudinem causæ materialis, sicut cum dicimus: statua fit ex ære. Atqui *nihil* nequit esse nec materia nec causa entis. Ergo creatio non est ex nihilo.

RESP. *D. M:*...exclusive, *N;* importat etiam ordinem successionis, *C.—C.m.—Neg. conseq.*

1° Præpositio *ex*, præter habitudinem causæ materialis, significare etiam potest solum successionis ordinem, sicut cum dicitur: ex mane, id est post mane fit meridies. Quo criterio judicanda est illa propositio: ex nihilo fit mundus.—Si vero 2° eamdem propositionem ita intelligamus ut sensus sit: non fit mundus ex aliquo, tunc particula *ex* innuit quidem causam materialem, sed hæc negatur.

ARTICULUS II.

Utrum Deus possit aliquid creare.

Præhabita creationis recta definitio ultro dubium affert, num reapse hac via mundus a Deo processerit. Quare inquiritur non solum rei *possibilitas*, verum etiam facti *realitas*.

a) Prouti ex dictis in præcedenti quæstione consequitur, possibilitatem creationis inficiantur ac negant quicumque prædicent vel Pantheismum vel improductæ materiæ æternitatem; quorum nimius hodie numerus est.—*b)* Ex iis qui factum creationis admittunt, alii, ut *Sociniani* atque *Arminiani*, contendunt hoc dogma vel nullo modo vel obscure tantum in Scripturis contineri, ideoque ad liberas quæstiones spectare; alii, scil. *Traditionalistæ*, docent germanam ejus notitiam ex sola revelationis luce a nobis accipi posse.

Conclusio.—NON SOLUM NON EST IMPOSSIBILE A DEO ALIQUID CREARI, SED NECESSE EST PONERE A DEO OMNIA CREATA ESSE.—Hoc *de fide* est juxta definitionem Conc. Later. atque nuperius Conc. Vatic. (Sess. III, Can. I, 5): " Si quis non confiteatur mundum resque omnes quæ in eo continentur et spirituales et materiales secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas, A. S."

Prob. 1° *ex Scripturis;* ubi tum implicite tum explicite factum creationis ex nihilo asseritur.—*a*) Abundant quidem in primis implicita testimonia quorum unum est (Sap. IX, I): *Deus patrum meorum, et Domine misericordiæ qui fecisti omnia verbo tuo;* quasi solo verbo et sine concursu præjacentis materiæ cuncta Deus fecerit. Accedit illud (Esd. IX, 6): *Tu ipse, Domine, solus, tu fecisti cælum cælorum et omnem exercitum eorum: terram et universa quæ in ea sunt: maria et omnia quæ in eis sunt.*—*b*) Locus autem classicus habetur (Gen. I, 1–2): *In principio creavit Deus cælum et terram. Terra autem erat inanis et vacua, et spiritus Dei ferebatur super aquas.* Hic sermonem esse de creatione ex nihilo plura certo demonstrant: 1° *Scopus Moysis*, qui Israelitas a gentium fabulis atque erroribus avertere volebat, dum gentiles plerique putabant materiam esse ingenitam. 2° *Contextus sermonis;* siquidem quæ sequuntur

exhibent formationem materiæ jam existentis: ergo in primo versu agitur de prima materiæ origine, non autem principaliter de ejus formatione. Eo vel magis, quia secus Deus formasset materiam "inanem et vacuam." 3° *Parallelismus biblicus;* vox enim originalis, respondens termino *creavit*, plus quam quadragies in Scriptura inducitur, nunquam tamen cum termino ex quo aliquid fiat, sed perpetuo conjungitur cum causa prima atque etiam quandoque distinguitur contra generationem et alterationem, v. g. (Is. XLIII, 7): *In gloriam meam creavi eum, formavi eum, feci eum.* 4° *Sensus Hebræorum*, uti constat ex eruditis Rabbinis [1], maxime autem ex 2 Mach. VII. 28.

Prob. 2° *ex Patrum suffragiis.* Paucos audire sufficiat. *Origenes* (tom. 1, com. in Joan.) hæc scribit: "Secus vero apud nos (Christianos) qui credimus ex non entibus Deum entia fecisse." Et *Tertullianus* (Præscrip. c. 13): "Regula est fidei... illa scilicet qua creditur unum omnino Deum esse nec alium præter mundi conditorem qui universa de nihilo produxit per Verbum suum primo omnium emissum." Quibus consentit *S. Cyrillus Alex.* (Thes. l. 6, c. 2): "Præcipua Dei veri proprietas est ut a nihilo possit substantias producere."—Si qui autem Patres contrarium docuisse videntur, eorum verba exponenda sunt quatenus vel locuti sint de creatione *secunda* ex informi materia (*S. Justinus*), vel reprobent creationem ex nihilo tanquam ex causa (*Eusebius Cæsareensis*), vel ad probandum dogma catholicum minus validis argumentis utantur (*S. Methodius*).

3° *Ratio*, quidquid sentiant *Traditionalistæ*, certo per seipsam demonstrare potest creationis factum.

a) Etenim creare nihil aliud est quam aliquid in esse constituere ex nullo præsupposito subjecto. Atqui ex nullo præjacente subjecto Deus mundum condidit. Ergo etc. *Prob. min.* demonstratione indirecta seu ducente ad impossibile. Si Deus res fecisset ex aliquo praesupposito, sequeretur tale subjectum non esse ab auctore mundi causatum, quemadmodum materia, puta æs aut lignum, ex qua artifex conficit opera artis, non est ejus effectus sed opus naturæ. Atqui (ut supra, art. I. Quæst. I, ostensum est) nihil potest reperiri

1—Cf. Mazzella, *op. cit.*

in entibus quod non sit a Deo, qui est totius esse suprema et universalis causa. Ergo necesse est prorsus dicere, Deum ex nihilo omnia fecisse.

b) Liceat insuper *contra incredulos* cujusque ætatis, qui possibilitatem creationis negant, *ex ipso causalitatis principio* arguere. Quo majus et nobilius est aliquod agens, eo major nobiliorque esse debet terminus ejus actionis. Atqui primum agens seu primum essendi vivendique principium, dignitate, virtute, universalitate, infinite præstat secundis agentibus, quae tamen pro gradu atque facultatibus suæ naturæ veram sibi, ad producendum hoc vel tale esse, causalitatem ac efficientiam vindicant. Concedamus igitur supremo agenti vim producendi totum esse rerum, neque pigeat factum creationis de nihilo admittere, licet tam alta Dei operatio, in se considerata, finitis mentibus obscura quadamtenus videatur.

c) Hanc primævam rerum originem ab ipsis ethnicis philosophis, saltem a Platone maximeque Aristotele, agnitam fuisse docuit S. Thomas atque, non obstante plurium doctorum opposita sententia, post eruditum clarissimumque Satolli [1] dicere existimamus.

Solv. obj.—Obj. 1.—Communis erat veteribus philosophis animi conceptio *ex nihilo nihil fieri.* Atqui Deus nequit facere aliquid contrarium primis animi conceptionibus. Ergo etc.

Resp. *D. M* :... quia considerarunt productiones particulares, *C* ; considerata etiam prima emanatione a causa universali, *N.—C.m.—Neg. Conseq.*

Antiqui philosophi, paucis exceptis, non considerarunt nisi productionem effectuum *particularium* a causis particularibus quæ necessario aliquid præsupponunt in sua actione, et secundum hoc obtinuerat communis opinio *ex nihilo nihil fieri*: quod quidem de illo productionum genere perpetuo verum est. Nos autem impræsentiarum consideramus primam totius esse originem in qua nihil præsupponi potest.—Cæterum effatum illud, intellectum eo sensu quod ex nulla efficiente causa nihil fieri possit, libenter conceditur.

Obj. 2.—Creatio est mutatio quædam. Atqui omnis mutatio supponit subjectum quod mutatur. Ergo etc.

1—Cf. *op. cit.,* III Vol. p. 228-230.

Resp. *D. M:* Secundum rem, *N;* secundum intelligendi modum, *C.*—*C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

De ratione mutationis realis est aliquid idem se habere aliter nunc et prius, transeundo de uno statu ad alium statum; quod mutationis subjectum quandoque est ens in actu ut in mutationibus quantitativis et qualitativis, quandoque autem ens in potentia, nempe materia, ut in mutationibus substantialibus. Atqui creatio importat productionem totius substantiæ, quin ibi realiter accipere sit aliquid idem aliter se habens nunc et prius. Ergo dici nequit mutatio *realis.*—Attamen, quia intelligere possumus aliquam rem prius non fuisse totaliter, et postea esse secundum realem habitudinem ad suum principium, ideo creatio concipitur atque significatur *per modum mutationis,* ut ex ipsa definitione patet.

Obj. 3.—Fieri præcedit factum esse. Atqui hoc esse non potest nisi præexistat subjectum in quo sustentetur ipsum fieri. Ergo etc.

Resp. *D. M:*...in his quæ fiunt cum motu stricte dicto, *C;* sine tali motu, *S. d:*...præcedit realiter...*N;*...secundum rationem, *C.*—*C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

Motus tripliciter dicitur: *latissime,* pro omni operatione etiam immanente, v. g. velle, intelligere; *communiter,* pro omni mutatione sive corporea sive spirituali; *stricte et proprie,* pro mutatione corporea et successiva.—Porro in his quæ fiunt cum motu stricte dicto, manifestum est quod fieri præcedit factum esse.—In his vero quæ fiunt sine tali motu, licet, ad significandum effectum ab alio esse et prius non fuisse, fieri res dicatur quasi antequam sit, tamen revera simul est fieri et factum esse: quod contingere *dupliciter* potest, vel nullo præcedente motu, sicut simul formatur verbum in corde atque formatum est, vel aliquo motu antecedente, ut in exemplo illuminationis quæ fit instantanee, semel ac ether per undas successivas alicubi lumen vexerit.

Obj. 4.—Infinitam distantiam non est pertransire. Atqui infinita distantia est inter ens et nihil. Ergo etc.

Resp. *D. M:* Non est pertransire distantiam infinitam ex infinito medio, *C;*...distantiam infinitam ex defectu proportionis inter duo extrema quorum unum, scil. terminus *ad quem,* est finitum, *N.*—*C.d.m:*...infinita ex infinito medio, *N;*...ex defectu proportionis, *C.*—*Neg. conseq.*

1° Objectio procedit ex falsa imaginatione, perinde ac si infinitum aliquod medium daretur inter nihilum et ens; quod patet esse falsum.—2° Hæc ipsa erronea conceptio ex eo provenit quod creatio significatur ut mutatio inter duos terminos existens.—3° Nihil vetat pertransire distantiam de nihilo ad ens finitum, ut in creatione, quamvis transitus de non ente ad ens infinitum perfici nunquam posset [1].

ARTICULUS III.

Utrum creatio sit aliquid in creatura.

Ad enucleandum creationis conceptum quædam ulterius consideranda supersunt. Et primo quæritur utrum actio illa Dei creativa, cujus naturam et esse demonstravimus, aliquid reale in creatura necnon extra ipsam consequenter ponat et quid illud sit, num passio aut relatio.

Conclusio.—CREATIO IN CREATO ALIQUID REALE PONIT, NON IN GENERE PASSIONIS, SED RELATIONIS TANTUM.

Prob. 1ª *pars.*—Majus est fieri aliquid secundum totam substantiam quam secundum formam substantialem vel accidentalem. Atqui generatio simpliciter vel secundum quid, qua fit aliquid secundum formam substantialem vel accidentalem, ponit aliquid in generato, tum passionem tum relationem. Ergo creatio, qua res constituitur secundum totam substantiam, in creato aliquid realiter imprimit.

Prob. 2ª *pars.*—Passio, quæ est unum ex decem prædicamentis, definiri potest *accidens quo subjectum constituitur actu recipiens* impressionem agentis. Atqui creationis nullum est subjectum, sicuti nec ullus motus. Ergo præ aliis actionibus ad extra id creatio singulare habet, ut nullam passionem inferat.

Prob. 3ª *pars.*—Omnem passionem quæ est cum motu seu mutatione sequitur relatio rei generatæ ad principium

1—Cf. *de Potentia*, Q. III, a. 1 ad 3.

motus, ex. gr. filiatio referens natum ad patrem. Atqui creatio, licet neque motum neque propterea passionem importet, confert tamen esse rebus creatis. Ergo propter esse acceptum a Deo ponenda est in creatura hujus relatio ad suum Creatorem.

Hæc relatio creaturæ ad Deum *realis* est, ut patet. Cum autem creatio active accepta significet Dei actionem, quæ est ejus essentia, cum relatione ad creaturam, relatio hujusmodi rationis est tantum, minime vero realis.

Notemus insuper, et hoc contra *Scotum*, prædictam relationem creaturæ ad Deum esse *prædicamentalem*. Duplex est enim relatio : transcendentalis et prædicamentalis. Prior dicitur ipsa entitas rei absolutæ ex sua essentia ad aliquid ordinata, posterior autem accidens reale cujus totum esse est ad aliud se habere. Hæc constituit prædicamentum speciale, non vero illa. Porro, quamvis cunctæ creaturæ ad Deum, finem ultimum, transcendentaliter referantur, aliam tamen præseferunt habitudinem, scilicet prædicamentalem, immediate fundatam in ratione effectus, quæque realiter ab hoc fundamento distinguenda est. Hinc S. Thomas (resp. ad 3) eamdem relationem accidenti assimilat, cujus creatura est subjectum.

ARTICULUS IV.

Utrum creari sit proprium compositorum et subsistentium.

In omni re creata, præsertim composita, plura sunt quae simul, modo suo, conspirant in unum esse complendum unamque perficiendam substantiam. Dubium oritur de objecto proprio et directo creationis, num haec ad partes, vel potius ad rem ipsam in quantum subsistit seu ad suppositum proprie terminetur.—Suppositum definitur *substantia completa atque individua, incommunicabiliter subsistens.*

Conclusio.—CREARI PROPRIUM EST SUBSISTENTIUM, SIVE COMPOSITORUM SIVE SIMPLICIUM.

Id evincitur 1° ex verbis (Gen. I, 1) : *In principio creavit Deus cœlum et terram* ; ubi, communi interpretum sensu,

cœlum et terra cœlestes ac terrenas mundi *substantias* confusim exprimunt.

Validior autem 2° argumentatio sumitur *ex rei natura.*

Illis proprie convenit fieri et creari quibus convenit esse; siquidem fieri ordinatur ad esse. Atqui esse proprie convenit solis subsistentibus, sive sint simplicia, qualiter sunt Angeli, sive composita sicut substantiæ materiales. Ergo creari proprium est subsistentium. *Prob. min.* Illi proprie convenit esse quod, esse habens, in eo subsistit. Jamvero formæ et accidentia aliaque hujusmodi non dicuntur entia quasi ipsa sint, sed quia eis aliquid est; ut albedo dicitur ens, quia albedine subjectum est album. Unde, juxta dictum Aristotelis, accidens magis proprie dicitur entis quam ens.

Sicut igitur accidentia et formæ aliaque id genus quæ non subsistunt magis sunt coexistentia quam entia, ita magis debent dici *concreata* quam creata; proprie vero creatio ad subsistentia pertinet.

Solv. Obj.—OBJ. 1.—Ducitur ex lib. *de Causis* quem tribuunt cuidam philosopho Arabo, quique in medio ævo vulgatissimus erat; scil. "prima rerum creatarum est esse." Atqui esse rei creatæ non est subsistens. Ergo etc.

RESP. *D. M*: Prima substantia creata... *N*; propria ratio objecti creationis, *C.*—*C.d.m*:... non est id quod subsistit, *C*; non est subsistendi ratio, *N.*—*Neg. conseq.*

In objecta illa sententia, esse non importat substantiam creatam, verum formalem objecti creationis rationem. Cum enim creatio sit emanatio totius esse ab ente universali, ex eo dicitur aliquid creatum quod est ens actu et universe sumptum, non ex eo quod est hoc vel tale ens; sicut si diceretur primum visibile esse colorem, licet proprie illud quod videtur sit coloratum.

OBJ. 2.—Quod creatur est ex nihilo. Atqui composita non sunt ex nihilo, sed ex suis componentibus. Ergo compositis non convenit creari.

RESP. *D. M*:....scilicet ex nullo elemento præexistente, *C*; ex nullo elemento concreato, *N.*—*C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

OBJ. 3.—Id proprie producitur per primam emanationem quod supponitur in secunda. Atqui quod supponitur in gene-

ratione naturali est materia. Ergo materia proprie creatur, non compositum.

RESP. *D. M* : Id per solam primam emanationem producitur quod supponitur in secunda, *C* ; nec aliud ingredi debet in primæ emanationis objectum, *N.—C. m.—Neg. conseq.*

ARTICULUS V.

Utrum solius Dei sit creare.

Alteram nunc quæstionis partem, nempe *de qualitatibus* creationis, instituendam aggredimur ; quæ primo *ex parte Dei creantis*, deinde autem ex parte creaturarum considerabitur.

1° Res agitanda sub hoc articulo non est, an *de facto* solus Deus creaverit. Ipsum enim creationis factum *fides* nos edocet, prouti colligitur tum ex Scriptura (Eccli. I. 8): *Unus est altissimus Creator omnipotens ;* tum ex definitione Conc. Later. IV affirmantis : " Quod sancta Trinitas sit *unum* et universorum principium, creator omnium visibilium et invisibilium."—Hæc quidem directe militant contra *Platonicos* qui aiebant Deum creasse creaturas inferiores mediantibus superioribus, contra *Gnosticos* qui fabulati sunt Æones quosdam esse sub Summo Deo veluti deos minores quibus Deus uti dicebatur ad substantias inferiores procreandas atque regulandas, nec non contra *Arianos* ponentes Verbum creatum et creatorem.

2° Quæstio in dubium adducta versatur circa creandi *possibilitatem* ; et cum alia sit causa *principalis* virtute propria agens, alia *instrumentalis*, *a)* quidam, ut *Durandus* atque *Arriaga*, dixerunt posse vim creativam, etiam principalem, creaturis communicari tanquam causis secundis dependentibus a prima et quoad certum quemdam creabilium ordinem. Contrarium tamen communissime tenent catholici doctores.—*b)* Nonnulli vero, ut *Magister* Sententiarum, *Suarez*, *Garcia* aliique opinati sunt creaturam posse instrumentaliter saltem

creare ; negant autem thomistæ post D. Thomam, quibus non pauci adhærent.

Conclusio 1ª.—NULLA CREATURA POTEST PER MODUM CAUSÆ PRINCIPALIS CREANDI VIRTUTEM SIBI VINDICARE.

Prob. 1º *Patrum testimonio. S. Athanasius* (serm. 3. cont. Arian.) diserte effatur : " Administrare, inquit, creaturarum et servorum est. Condere autem et creare solius Dei ejusque Verbi et Sapientiæ. " Item *S. Augustinus* (de Gen. ad litt. l. 9. c. 15) : " Angeli nullam omnino possunt creare naturam, solus enim unus cujuslibet naturæ seu minimæ Creator est Deus." Similia habent *S. Irenæus, S. Ambrosius* etc ; ubi notare est a patribus negari potestatem creandi quamlibet *vel minimam* naturam

Prob. 2º *invictis rationibus.—Prima* ratio petitur ex *objecto* creatricis potentiæ. Oportet universaliores effectus in universaliores et priores causas reducere ; id enim proportio exigit. Atqui inter omnes effectus universalissimum est esse, absolute sumptum, quod in omnia veluti permeat omnibusque substernitur. Ergo esse proprius est effectus primæ et universalissimæ causæ, quæ est Deus. Atqui ad rationem creationis pertinet producere esse absolute et non in quantum est hoc vel tale ; seu ens creatum, quamvis genere, specie et individuo determinatum sit, tamen *per se primo* sub ratione *entis*, et non hujus entis, a potentia creativa attingitur. Ergo jure infertur creationem esse actionem Dei propriam.

Secunda ratio ex *modo creandi* desumitur (resp. ad 3). Virtus facientis non solum consideratur ex substantia facti, sed etiam ex modo faciendi ; major enim calor non solum magis, sed etiam citius calefacit. Atqui, licet creationis effectus sit in se finitus, tamen modus producendi illum, videlicet ex nihilo, demonstrat potentiam infinitam proindeque divinam. Ergo etc. *Prob. min.* Tanto major virtus requiritur in agente quanto potentia, reducenda ad actum, remotior sit ab actu ; ita ut si potentia illa minuatur usque ad non gradum suî, aliis verbis nulla sit, virtus activa crescere debeat ultra omnem gradum, nempe in infinitum : nullius quippe præsuppositæ potentiæ ad aliquam potentiam, quam præsupponit agens naturale, proportio nulla est, sicuti non entis ad ens. Atqui in creatione, nedum detur potentia etiam remotissima ad actum reducenda, terminus *a quo* est nihil. Ergo ad

creandum seu ad eruendum aliquid de nihilo necessario requiritur virtus illimitata, scilicet infinita ac divina [1].

Conclusio 2ª—NEC PER MODUM CAUSÆ INSTRUMENTALIS CREATURA CREARE POTEST.—Profecto loquimur de *instrumento physico* et proprie dicto, non autem de ministerio *mere morali* quo quis, ut perspicuum est, posset pretio suarum orationum impetrare a Deo creationem, v. g. angeli.—Instrumentum vero recte definitur *causa agens in virtute alterius* ; de cujus ratione est non solum ut moveatur a causa principali, sed etiam ut habeat virtutem sibi propriam qua aliquid faciat, ordine saltem naturæ, prævium ei quod facit, prout ex virtute principalis agentis operatur [2].

Hisce præhabitis, duo proponemus *argumenta*, unum *generale*, *speciale* aliud.

1° Causa secunda instrumentalis (ut modo innuimus) non participat actionem causæ superioris nisi in quantum per aliquid sibi proprium dispositive operatur ad effectum principalis agentis. Atqui rationi formali effectus Dei creantis nil præsupponitur circa quod instrumentum dispositive agat. Ergo. *Prob. Maj.* Etenim *a)* si nihil instrumentum ageret secundum illud quod est sibi proprium, frustra adhiberetur ad agendum. Nec *b*) oporteret esse determinata instrumenta determinatarum actionum. Sic *c*) videmus securim, scindendo lignum, quod habet ex proprietate suæ naturæ, producere scamni formam, quæ est effectus proprius principalis agentis. *Prob. min.* Proprius effectus Dei creantis est esse absolute sumptum. Atqui esse præsupponitur omnibus aliis, nec ei quidpiam præsupponi potest. Ergo concludendum est in opere creationis locum instrumento non dari.

2° Idipsum clarius evadit, si de corporeo instrumento loquamur. Corpus enim non agit nisi tangendo vel movendo, proindeque requirit in sua actione aliquid præexistens quod tangi et moveri queat. Atqui nihil, ut iterum dicam, prævenire potest esse absolutum, quod est propriissimus Dei effectus. Ergo.

Solv. obj. (contra 1ᵃᵐ concl.).—OBJ. 1.—Substantia immaterialis, haud secus ac aliæ creaturæ inferiores, potest facere

1 —Cf. *de Pot.*, Q. III, a. 4.—Cajetani *Comt.* in hunc artic.
2—Cf. Cajet. *Comt.* in hunc locum.

substantiam sibi similem. Atqui substantia immaterialis non potest fieri nisi per creationem. Ergo.

Resp. *D. M* : ...quantum ad esse, *N*; quantum ad perfectionem mere accidentalem, *C*.—*C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

Hæc ut distinctio clare intelligatur, res altius repetenda est.—1° Aliquod perfectum, participans aliquam naturam, facit sibi simile non quidem producendo absolute naturam illam, sed eam ad aliquid applicando: v. g. hic homo non potest esse causa naturæ humanæ absolute, quia secus eam ubicumque existat et etiam in seipso produceret, sed est causa quamobrem natura humana sit in hoc genito; et sic præsupponit in sua actione certam materiam, qua hic homo individuetur. Atqui, quemadmodum hic homo participat humanam speciem, ita unumquodque ens creatum, cum solus Deus sit suum esse, participat aliquo modo essendi naturam. Ergo, eodem pacto, nulla res creata potest producere ens absolute, sed esse sibi simile in hoc vel in illo efficit, ita ut id per quod effectus individuatur suæ præintelligatur actioni. Atqui in substantia immateriali non potest præintelligi principium individuans ex quo *hæc* dicatur; cum enim sit forma subsistens, suâ formâ individuatur per quam habet esse. Ergo impossibile est substantiam immaterialem aliam sibi similem *quoad esse* producere. — 2° Potest tamen jam præexistenti naturæ *perfectionem quamdam accidentalem* conferre, et ita dicuntur superiores angeli illuminare inferiores. Quo modo etiam ponitur in cœlestibus quædam paternitas ut habet Apostolus (Eph. III, 15): *Ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur.*—3° Neque propterea æstimetur Angelos pejoris esse conditionis quam entia inferiora. Quin contra hæc ipsa impossibilitas faciendi sibi simile quantum ad esse nobilitatis perfectionem arguit: siquidem nec Deus Deum sibi similem efficere potest.

Obj. 2.—Majoris virtutis est facere aliquid ex contrario quam ex nihilo. Atqui illud creatura facere potest. Ergo multo magis, etc.

Resp. *D. M* :... facere ex contrario per se, *Transeat* ;.... per accidens, *N*.—*C.d.m* :...potest facere aliquid ex contrario per accidens, *C* ; per se, *N*.—*Neg. Conseq.*

Non potest fieri aliquid ex contrario *per se* seu in quantum est contrarium ; hoc enim implicat. Fit autem aliquid ex

contrario *per accidens*, in quantum fit ex subjecto contrarietate impedito. Hæc autem contrarietas afficiens potentiam eamque ab actu prohibens, v. g. ligni humiditas respectu combustionis, quo major fuerit, eo potentior requiritur virtus agentis ad reducendam materiam in actum. Ergo multo major ex parte agentis efficacia requiritur, si nulla prorsus materia præexistat. Unde quamvis creatura vim habeat aliquid faciendi ex contrario, nullatenus sequitur eam ex nihilo creare posse.

OBJ. 3.—Virtus facientis consideratur secundum mensuram ejus quod fit. Atqui ens creatum est finitum. Ergo finita virtus, scilicet creata, sufficit ad creandum.

RESP. *D. M* :... consideratur tum ex substantia facti tum ex modo quo fit, *C* ; ex substantia facti tantum, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

ARTICULUS VI.

Utrum creare sit proprium alicujus personæ.

Virtus creandi tam est Dei propria ut nulli enti creato nullaque ratione communicabilis sit. Verum Dei nomen significare potest aut ipsam naturam divinam in concreto sumptam et Personis communen, aut aliquam ex tribus Personis. Ex quo dubitatio sponte succurrit, utrum creare commune sit toti Trinitati, vel unius Personæ proprium, vel ad tres Personas personali ratione pertineat.

a) Sequaces *Raymundi Lulli*, cum iste docuisset Trinitatis mysterium certo posse naturali via a nobis demonstrari, ut errorem sui magistri defenderent, commenti sunt aliquid in creaturis inveniri productum a solo Filio, aliquid a solo Spiritu Sancto.—*b) Henricus Gandavensis* posuit creationem tribus quidem Personis tribuendam esse, non tamen per aliquid commune, sed per Verbum et Amorem personalem.—*c)* Minus recte etiam locuti esse videntur *Mastrofini* (de Trin. l. 6, c. 7) et *Staudenmaier* (tom. 2), dicentes Personas divinas creare pro ratione personalis characteris.

Conclusio 1ª.—CREARE NON EST PROPRIUM ALICUI PERSONÆ, SED COMMUNE TOTI TRINITATI.—Id accipiendum est eo sensu quod tres Personæ sint principium *quod* creationis ; essentia divina principium *quo remotum* ; intellectus autem, voluntas et potentia, principium *quo proximum*.—Hinc licet sint plures creantes, unus tamen est Creator propter diversum significandi modum adjectivorum atque substantivorum nominum [1].—Conclusio *de fide* vel saltem *proxima fidei* dicenda est, suadentibus verbis Conc. Later. IV (an. 1215, c. 1) : " Firmiter credimus quod unus solus est verus Deus.........Pater et Filius et Sp. Sanctus.... consubstantiales et coæquales et coomnipotentes et coæterni : *unum universorum principium.* "

Prob. 1º *ex Scriptura.* Divinæ Litteræ creationem tribuunt tum Patri, tum Filio, tum Sp. Sancto. Dicitur enim (Luc. X, 21) : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ.* (Joan. I, 1-3) : *In principio erat Verbum... omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil quod factum est.* Et (Ps. CIII, 30) : *Emittes Spiritum tuum et creabuntur et renovabis faciem terræ.* Atqui creatio de illis Personis ita prædicatur ut eis per unam communemque efficientiam conveniat, juxta illud (Eccli. I, 8) : *Unus est altissimus Creator omnipotens.* Ergo.

2º *Traditionis* viam aperit *S. Dionysius* (de Div. Nom. c. 2), dicens "communia totius Trinitatis esse omnia creabilia." Sequuntur plures alii, *Basilius, Augustinus*, necnon *Athanasius* cujus expressiora commendantur verba (Or. 3 cont. Arian). Ait enim "omnia a Patre per Filium in Sp. Sancto producta fuisse, ornata ac perfecta... et de communi Patris, Filii et Sp. Sancti *essentia*."

3º Suppetit demonstrativa *ratio.*

Cum omne agens agat sibi simile, principium actionis dijudicari potest ex actionis effectu ; ignis enim est qui generat ignem. Atqui proprius creationis effectus est esse rerum. Ergo creare Deo convenit secundum suum esse. Esse autem Dei, quod identificatur cum ejus essentia, commune est tribus Personis. Ergo tres Personæ coeunt in unum creationis principium.

1—Cf. I, Q. XXXVI, a. 4 ; Q. XXXIX, a. 3.

Conclusio 2ª.—DIVINÆ PERSONÆ, SECUNDUM RATIONEM SUÆ PROCESSIONIS ESSENTIALITER SUMPTÆ, HABENT CAUSALITATUM RESPECTU CREATIONIS, EAMQUE DIVERSIMODE SIBI APPROPRIATAM.

Duo circa terminos hujus conclusionis ex tractatu de Trinitate in mentem revocanda sunt.—*Unum* est de processionibus divinis, quæ sumi dupliciter possunt: *essentialiter* et *personaliter*, quatenus nempe vel essentialia attributa includant, scientiam videlicet atque voluntatem, aut proprietates personales dicant.—*Aliud* notandum respicit *propria* atque *appropriata*, quæ de Persona una aut altera prædicari queunt; illa enim sunt quæ uni Personæ ita conveniunt ut alteri convenire non possint, hæc vero dicuntur quæ, etsi communia toti Trinitati, tamen ratione majoris similitudinis uni certæ Personæ præ aliis tribuuntur.

1º Demonstrabitur, secundum rationem divinæ processionis *essentialiter* sumptæ, vim creativam Personis competere. Etenim Deus, ad instar artificis, causa est rerum per suum intellectum suamque voluntatem. Atqui artifex opus non efficit nisi per verbum in mente conceptum atque per amorem suæ voluntatis ad aliquid relatum. Ergo Deus ipse creaturas producit per verbum suum suumque amorem. Dei autem verbum, secundum quod a Patre procedit, est Filius, et amor subsistens est Spiritus Sanctus. Ergo Personarum divinarum processiones, in quantum includunt essentialia attributa scientiæ et voluntatis, rationes sunt productionis creaturarum.

Unde intelligitur Personas divinas, ad hoc ut Deus creet, necessarias esse non formaliter, sed concomitanter vel consequenter.

2º Virtus creandi, quam Personis ex suæ processionis natura inesse ostensum est, eis *attribuitur diversa ratione*, uti constat ex Symbolo fidei in quo de Patre dicitur quod sit creator, de Filio quod per eum omnia facta sunt, de Spiritu Sancto quod sit Dominus et vivificator (ex resp. ad 2). Hujus autem diversitatis ratio duplex assignari potest.—*a*) Primum illa virtus, sicut ipsa essentia divina, licet communis sit tribus Personis, tamen ordine quodam eis convenit; siquidem Filius habet eam a Patre et Spiritus Sanctus ab utroque. Unde Patri, utpote ingenito, recte tribuitur *esse creatorem*, Filio eum esse *per quem* quasi medium Pater omnia fecit

(Joan. I, 3), Spiritui Sancto *gubernare* atque vivificare quæ sunt creata a Patre per Filium.—*b*) Alia ratio ducitur ex appropriatione essentialium attributorum. Patri enim, quia est principium non de principio, appropriatur *potentia*, quæ maxime manifestatur in creatione; Filio autem appropriatur *sapientia*, per quam agens intellectivum operatur; Spiritui Sancto appropriatur *bonitas* ad quam pertinet vivificationis et gubernationis cura, deducens res in debitos fines bonumque propositum. Atque, quamvis quodlibet Dei opus procedat ex quolibet attributorum, tamen reducitur unusquisque effectus ad illud attributum cum quo majorem habet convenientiam, sicuti creatio, quæ est productio totius esse rerum, reducitur ad potentiam, mundi ordinatio ad sapientiam, justificatio impii ad bonitatem.

Ex his patet objectionum solutio.

ARTICULUS VII.

Utrum in creaturis sit necesse inveniri vestigium Trinitatis.

Qualiter nunc se habeat creatio *ex parte creaturarum*, postremo disputationis loco investigandum restat.

1° Hujus articuli propositum non est directe saltem in quæstionem vocare an Deus, *prout est essentia unus*, in creaturis repræsentetur. Id enim luculenter constat jam ab ipsis *Summæ theologicæ* exordiis (Q. IV, a. 3), ubi ostenditur ea quæ participant esse a Deo ei assimilari *analogice*, veluti primo et universali totius esse principio.—At vero, supposita articuli præcedentis doctrina, quæstio logice surgit utrum Dei, etiam *in quantum est Personis trinus*, aliqua repræsentatio sit in creaturis.

2° Prænotandum est repræsentationem dupliciter haberi posse vel per modum *vestigii* vel per modum *imaginis*. Quum enim omnis effectus aliqualiter repræsentet suam causam, quandoque sola causalitas causæ, non autem forma ejus ab effectu repræsentatur, sicut ignis a fumo, et talis esse

dicitur repræsentatio vestigii quod, vi propria, seposito nempe rationis discursu, demonstrat motum alicujus transeuntis, non autem qualis sit ; quandoque autem effectus repræsentat causam non solum quantum ad causalitatem, sed etiam quantum ad formam, sicut ignis generatus ignem generantem, et statua Mercurii Mercurium, et hæc est repræsentatio imaginis quæ definiri potest [1] : *similitudo expressa secundum speciem vel signum speciei.*

3° Recolatur processiones divinarum personarum attendi secundum actus intellectus et voluntatis ; Filius enim procedit ut verbum intellectus, Spiritus Sanctus ut amor voluntatis.

Conclusio 1ª. IN CREATURIS RATIONALIBUS TRINITATIS REPRÆSENTATIO PER MODUM IMAGINIS ALIQUO MODO INVENITUR.

Imago duplex est : *univoca* et *analoga.* Univoca dicitur quæ convenit cum exemplari, tum quoad formam, tum quoad ipsam formæ rationem ; analoga autem, quæ ab illo differt secundum rationem formæ. Hic de analoga tantum sermo est.

Prob. concl. 1° *ex Scriptura.* Dicitur enim (Gen. I, 26) : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Ad quæ respiciens *S. Petrus Damianus* (de Fid. cath. op. 1) ait : " Homo non ad unius Personæ, sed ad totius Trinitatis est creatus imaginem. Unde non legitur : Faciam ad imaginem meam ; sed faciamus, inquit, hominem ad imaginem nostram." Similia habet *S. Augustinus* (de Trin. l. 12, c. 6).

Prob. 2° *ratione.* Inter ea habetur similitudo imaginis, saltem analoga, quæ, quanquam diversa ratione, nihilominus conveniunt in processionibus verbi secundum intellectum et amoris secundum voluntatem. Atqui proprium est creaturæ rationalis, in qua invenitur intellectus et voluntas, hisce processionibus ornari ; quarum tamen termini in ea non subsistunt sicuti in Deo, verum accidentia sunt. Ergo.—De his autem uberius infra [2].

Conclusio 2ª.—IN OMNIBUS CREATURIS ALIQUA INVENITUR REPRÆSENTATIO TRINITATIS PER MODUM VESTIGII.

Et sane 1° supposita appropriationis lege, in qualibet crea-

1—Cf. I, Q. XCIII, a. 1–2.
2—Vid. Disp. VI, Quæst. III.

tura quædam inveniuntur quæ necesse est reducere in divinas Personas sicut in causam. Ergo. Patet *consequentia*. *Prob. antecedens*[1]. Quælibet creatura subsistit in suo esse, formâ suâ specificatur et ordinem habet ad aliquid aliud. Atqui res subsistens, in quantum accepit esse, repræsentat causam et principium, quod demonstrat personam Patris qui est principium non de principio; in quantum vero habet formam specificativam, repræsentat Verbum, secundum quod forma artificiati est ex conceptione artificis; in quantum denique habet ordinem, designat Spiritum Sanctum, quum ordo effectus ad aliquid aliud sit ex libera creatoris voluntate. Ergo.

2° Consonat dictum *Scripturæ*, (Sap. XI, 21): *Omnia in mensura, et numero et pondere disposuisti*. Mensura enim refertur ad substantiam rei limitatam suis principiis, numerus ad speciem, pondus ad ordinem.

3° Hac ratione intelligenda sunt verba *Augustini*, sive quando dicit (6 de Trin. c. 10) vestigium Trinitatis in omni re creata inveniri secundum quod unum aliquid est, aliqua specie formatur, et quemdam ordinem tenet; sive quando ponit (l. de Nat. boni, c. 3) hæc tria, *modum*, *speciem* et *ordinem*; sive quando distinguit (l. 83 Qq. q. 18) " quo res constat, quo discernitur, quo congruit. " Constat enim aliquid per suam substantiam, discernitur per formam, congruit per ordinem.

Solv. obj.—Obj. 1.—Per sua vestigia unumquodque investigari potest. Atqui Trinitas Personarum non potest ex creaturis investigari. Ergo.

Resp. *D. M:* Quoad existentiam, *C;* quoad naturam, *S.d:* vi vestigii, *N;* alio medio, *C.—D.m:* quoad propria, *C;* quoad appropriata, *N.—Neg. conseq.*

1° Vi vestigii, *existentiam* quidem atque communia rei repræsentatæ demonstrare possumus, minime vero propriam ejus *naturam*.—2° Ex iis quæ in creaturis sunt nec natura neque etiam existentia mysterii Trinitatis demonstrari potest, quia, ut constat ex art. præcedenti, divinæ personæ creant ratione eorum quæ sibi appropriantur, non autem formaliter secundum ea quæ sunt sibi propria.—3° Tamen repræsentatio

1—Cf. Monsabré, 11e Conf: *La raison et les processions divines.*

vestigii et imaginis nos ducit in aliquam cognitionem essentialium attributorum Dei, quæ diversimode Personis appropriantur.

OBJ. 2.—Doctrina hujus articuli importat omne creatum habere vestigium Trinitatis. Atqui ex hoc sequeretur processus in infinitum : quod repugnat. Ergo.

RESP. *D. M* :... omne creatum proprie subsistens, *C* ; creatum quodcumque, *N*.—*C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

Vestigium Trinitatis tribuitur rei subsistenti, non autem singulis ejus proprietatibus aut accidentibus.

OBJ. 3.—Effectus non repræsentat nisi suam causam. Atqui causalitas creaturarum pertinet ad naturam communem, non autem ad relationes personales. Ergo.

RESP. *C. M.*—*D.m* :... non pertinet ad personalia concomitanter aut consequenter, *N* ; formaliter, *S.d* : non pertinet ad ipsa personalia, *C* ; neque ad processiones essentialiter sumptas, *N*.—*Neg. conseq.*

ARTICULUS VIII.

Utrum creatio admisceatur in operibus naturæ et artis.

Quæstio hæc ultima instituitur de *extensione* creationis.—Opera autem naturæ, de quibus quæritur, quæque discriminantur ad operibus artis, debent in titulo accipi *indefinite* ; certum est enim *alicui* operi naturæ, nimirum humanæ generationi, admisceri creationem, qua anima rationalis producitur.

Ratio dubitandi ex formis procedit ; circa quas diversæ exstiterunt *opiniones*.—*a) Quidam* enim cum Anaxagora [1] (quibus consentiunt quicumque infausto atomorum systemate mutationem substantialem destruunt) posuerunt rerum formas non incipere per actionem naturæ, sed prius in materia quasi latitantes simpliciter exstare.—Quod eis accidit ex ignorantia materiæ : nescientes enim distinguere inter potentiam et

1—Cf. *de Pot.*, Q. III, a. 8.

actum, id existimarunt actu præexistere quod reapse in sola materiæ potentia est. Merito rejicitur hæc opinio, ex qua sequeretur nihil in natura de novo produci : quod est enim non fit.

b) Nonnulli dixerunt formas dari vel causari per modum creationis, vel ab agente superiori (quod Plato esse ponebat ideas subsistentes), vel ab ultima intelligentia separata (Avicenna), vel immediate a Deo.—Et hoc eis accidit ex ignorantia formæ, quum non adverterent formam naturalis corporis non esse id quod subsistit, sed quâ aliquid est.

c) Media sententia est D. Thomæ qui, præeunte Aristotele, veram reliquit doctrinam de productione formarum ; licet Palmieri [1] scribere non vereatur thomisticam positionem de accidentibus absolutis, realiter a substantia distinctis et de formis non subsistentibus, " impeditam reddere notionem creationis. "

Conclusio.— EXCEPTA PRODUCTIONE ANIMÆ RATIONALIS, IN OPERIBUS NATURÆ ET ARTIS NULLA ADMISCETUR CREATIO.

Prob. 1° *ex S. Augustino*, qui (super Gen. ad. litt., l. 5, c. 6, 14 et 15) distinguit opus propagationis, quod est opus naturæ, ab opere creationis.

Prob. 2° *ratione.*

Creatio proprie fit ex nullo præsupposito subjecto. Atqui in operibus naturæ et artis præsupponitur aliquid ad operationem agentis. Ergo. *Min. prob :* etenim, in illis operibus, quod directe ab agente producitur est compositum, non autem forma quæ (excepta anima rationali) nec proprie est aut subsistit, neque propterea effici proprie potest. Atqui compositum fit ex materia. Ergo.—Cæterum formæ rerum aut sunt substantiales aut accidentales. Forma *substantialis*, dum fit compositum, co-effici intelligitur mediante concursu passivo materiæ, sine quo neque produci, neque conservari nec quoque operari posset. Educitur, uti aiunt, de potentia materiæ. Forma *accidentalis* vel est proprietas et passio compositi, v. g. gravitas, et tunc co-educitur ipsa generatione naturalis agentis ; vel non necessario inest subjecto, v. g. talis calor, talis figura, et tunc educitur de ejus potentia per actionem transmutativam subjecti.

1—*Tract. de Deo*, P. I., c. I, a. 1, th. 1.

Solv. obj.—Obj. 1.—In qualibet operatione naturæ et artis producitur aliqua forma. Atqui hæc, cum non habeat materiam partem suî, non producitur ex aliquo, sed ex nihilo. Ergo. (Haud aliter argumentatur Palmieri.)

Resp. *D. M* :...per se, *N* ; per accidens, *C*.—*D.m* : non producitur ex aliquo tanquam suî constitutivo, *C*; tanquam subjecto necessario, *N*.—*Neg. conseq.*

Tria notanda sunt. 1° Materia necessario concurrit ad producendam formam, non veluti pars ejus, sed tanquam prærequisitum subjectum atque sustentaculum.—Neque 2° formæ, ut demonstratum est (art. 4), proprie et *per se* fiunt, sed potius *per accidens*.—3° Licet forma simplex coefficiatur ab agente composito, debita tamen proportio servatur inter causam et effectum, quia quod proprie fit est compositum.

Obj. 2.—Effectus non est major sua causa. Atqui in rebus naturalibus agens est forma accidentalis, substantiali inferior. Ergo forma substantialis creatur.

Resp. *D. M* :...causa principali, *C*; causa immediata et instrumentali, *N*.—*C.d.m* : immediate et instrumentaliter, *C*; principaliter, *N*.—*Neg. conseq.*

Qualitates activæ in natura agunt virtute formarum substantialium, v. g. calor virtute ignis; et ideo agens naturale producit sibi simile non solum secundum qualitatem, sed etiam secundum speciem.

Obj. 3.—Natura facit sibi simile. Atqui quædam animalia videntur generari non ab aliquo sibi simili, v. g. in putrefactione. Ergo eorum forma creari dicenda est.

Resp. *D. M* :...vel univoce, vel analogice, *C* ; univoce tantum, *N*.—*D.m* : et id experientia constat, *N* ; plures sic opinati sunt, *C*.—*Neg. conseq.*

1° Olim reputatum est (et hoc S. Thomas pro certo habuisse videtur) animalia quæ passim apparent in corporum putrefactione aliunde quam a viventibus specie similibus ortum ducere. Neque nunc desunt inter naturalium scientiarum cultores patroni hujus opinionis, quorum plerique originem viventium Deo subtrahere naturæque viribus physicochymicis vindicare satagunt. Verum pernota ubique jam sunt recentia experimenta a Pasteur peracta atque ab Academia Scientiarum probata (1865), quibus demonstratum est omnia vel minima viventia huc usque observata certo pro-

cedere a præexistentibus aliis viventibus aut vitæ principiis. Unde minime constat dari animalia quæ ab aliquo simili in specie ortum non habeant.—Si tamen 2° contendere quis velit novas viventium species interdum apparere, vel animalia saltem imperfecta, ut posuit S. Thomas non a simili in specie produci, concludendum erit vitam tunc oriri non a materia secundum se sumpta neque ab immediata creationis vi, sed a quibusdam activis virtutibus elementorum atque astrorum *primitus eis inditis* quæ, faventibus certis conditionibus, veluti germina aut vitæ instrumenta sub agente Deo tandem prodeunt atque sese explicant. Hanc esse Aquinatis mentem clare colligitur ex diversis *Summæ theologicæ* locis (I, Q. LXXI; Q. LXXIII, a. 1 ad 3). Neque, ut patet, ejus sententiam jure possunt Materialistæ in suam pertrahere.—3° Insuper, positio Angelici Doctoris coarctatur ad sola quædam animalia quorum grossior et imperfecta natura, nimis ab eo distans qui est Ens a se, forte non exigit ut sint virtute suæ speciei, quæque ideo ad sua principia non univoce sed analogice assimilari creduntur.

Obj. 4.—Quod non creatur non est creatura. Atqui omnia naturæ opera sunt creaturæ. Ergo eis adjungitur creatio.

Resp. *D. M :* Quod non creatur neque formaliter neque radicaliter...*C ;* quod non creatur formaliter, tamen in radice creatum est...*N.*—*C.m.*—*Neg. conseq.*

Operatio naturæ non est nisi ex præsupposito subjecto creato ; unde, propter hanc fundamentalem creationem, merito cuncta naturalia creaturæ dicuntur.

QUÆSTIO TERTIA

DE PRINCIPIO DURATIONIS RERUM CREATARUM

Semel determinato creationis dogmate cum ex parte causæ, tum ex parte rerum et modi proprii, succedit considerandum de creationis *facto* prouti in tempore quandoque contigerit atque revelatione traditum fuerit. Tria inquirenda sunt : an factum illud possibile fuerit, imo conveniens (art. 1) ; an possit ratione demonstrari vel solo fidei medio teneatur (art. 2) ; an simul cum tempore ineunte prodierit (art. 3).

ARTICULUS I.

Utrum universitas creaturarum semper fuerit.

Aliud est quærere, *an mundus sit increatus*, et aliud, *an sit æternus*. Prima quæstio jam soluta est; altera solvenda modo objicitur.—Intentio articuli est non solum statuere dogmaticum factum temporaneæ creationis, sed simul ostendere ejus possibilitatem atque convenientiam.—*Ekkardus* docuerat " concedi posse quod mundus ab æterno fuerit. " Hanc propositionem Joannes XXII stigmate *hæreseos* notavit.

Conclusio 1ª.—NIHIL PRÆTER DEUM AB ÆTERNO FUIT ; quod *de fide* est juxta definitionem Conc. Later. IV : " Credimus...Deum esse Creatorem omnium...qui sua omnipotente virtute simul *ab initio temporis* utramque de nihilo condidit creaturam." Id quoque confirmavit Vaticana Synodus.

Prob. 1º *ex Scriptura.*—Loquens Salomon de æternitate divinæ Sapientiæ et de novitate mundi, hæc in illius ore ponebat (Prov. VIII, 22) : *Dominus possedit me in initio*

viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. —Christus Deum Patrem ita alloquitur (Joan. XVII, 5) : *Clarifica me, tu Pater, apud temetipsum claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te.*

Prob. 2° *ex Patribus.*—*S. Ambrosius* (in Hexæm. Præf. con. Perip.) : " Quid, inquit, tam inconveniens, ut æternitatem operis cum Dei omnipotentis æternitate conjungerent ? " " Procul dubio, ait *Augustinus* (de Civ. Dei, l. 11, c. 6), non est factus mundus in tempore, sed cum tempore." Similia docent plerique alii.

Conclusio 2ª.—POSSIBILE EST MUNDUM NON FUISSE AB ÆTERNO.

Prob. Cum ex una parte divina voluntas sit causa rerum (1, Q. XIX, a. 4) atque ex alia necessitas effectus ex causæ necessitate pendeat, sic necesse est aliqua exstare sicut necesse est Deum illa velle. Atqui absolute divina voluntas nihil vult necessario nisi ipsum Deum, cujus perfectio plene eam satiat. Ergo necesse non est Deum voluisse quod mundus semper existeret ; neque consequenter id demonstrative probari potest.

Aristoteles, quem cæterum cognovisse reor[1] creationem proprie dictam, rationes induxit ad hoc ut ostenderet mundi æternitatem.—Verum hæ rationes non sunt demonstrativæ simpliciter, sed *secundum quid*, scil. ad contradicendum rationibus antiquorum ponentium mundum incœpisse secundum modos impossibiles. Et hoc apparet ex tribus : 1° quia (tam in 8 Phys. quam in 1 de Cœl.) præmittit opiniones Anaxagoræ, Empedoclis et Platonis, quibus dein contradicit : 2° quia ubicumque hanc materiam tractat, inducit testimonia : quod non est demonstratoris, sed probabiliter suadentis ; 3° quia expresse fatetur (1 l. Topic. c. 9) quædam esse dialectica problemata, de quibus rationes non habemus, ut *utrum mundus sit æternus.*

Conclusio 3ª.—CONVENIENTISSIMUM FUIT MUNDUM NON SEMPER FUISSE.

Prob.—Et 1° facilius inde cognoscitur *Dei existentia*. Siquidem posito quod mundus et motus de novo inceperit,

1—Cf. S. Thomam, in VIII Phys. et II Sent. D. I. q. 1, a. 2 et 5.

planum est requiri supremam causam a qua res educantur de non esse in esse, veluti de potentia in actum. (C. G., l. I, c. 13.)

2° Hac ratione clarius ostenditur *Dei potentia*, quæ, quum nihilum diu præcessisset, decreta creatione a mente et voluntate divina, valuit infinitam inter ens et non ens superare distantiam. (Resp. ad 6)

3° Insuper melius manifestatur *divina libertas*, eo quod creando Deus in tempore aperte demonstravit se non agere ex necessitate naturæ, sed proprio voluntatis arbitrio. (C. G., l. II, c. 38.)

Solv. obj.—OBJ. 1.—Posita causa sufficienti, ponitur effectus. Atqui ab æterno Deus fuit sufficiens mundi causa. Ergo.

RESP. *D. M* :...ponitur effectus quomodocunque, *N* ; secundum exigentiam ipsius causæ, *C.*—*D.m* :...causa libera, *C* ; agens ex necessitate naturæ, *N.*—*Neg. conseq.*

Sicut effectus sequitur a causa *naturaliter* agente secundum modum formæ qua est, ita sequitur ab agente *voluntario* secundum modum formæ ab eo præconceptæ atque definitæ. Jam vero Deus est causa per voluntatem, omnino libera ac sufficientissima. Oportuit ergo effectum ejus consequi, non secundum modum divini esse, sed secundum modum divini propositi, scil. quo modo et quando Deus voluit.

OBJ. 2.—Cujus actio est æterna, effectus æternus est. Atqui actio Dei, utpote re idem ac ejus substantia, certo est æterna. Ergo et mundus est æternus.

RESP. *D. M* :...si sit actio naturæ, *C* ; si sit actio liberæ voluntatis, *S.d* : ab æterno connotatur futurus effectus, *C* ; ab æterno necessario infertur, *N.*—*C.m.*—*Neg. conseq.*

Operatio *naturæ*, quæ est æterna, ab æterno infert suum terminum, sicut Verbum æternaliter a Patre procedit. Æterna autem *voluntatis* actio, qualis est actio Dei creantis, licet ab æterno effectum in tempore producendum connotet, nihil tamen aliud necessario importat nisi quod effectus quandoque futurus sit atque accepturus esse post non esse, pro liberrimo Creatoris consilio quod est veluti forma et principium ejus actionis [1].

1—Cf. C. G., l. II, c. 35.

ARTICULUS II.

Utrum mundum incœpisse sit articulus fidei.

Temporanea rerum creatarum origo certis innititur fidei documentis, quæ supra in medium produximus. At vero potestne simul eadem veritas ratione demonstrari, aut contra estne connumeranda fidei articulis simpliciter dictis, quorum videlicet nulla sit intima plenaque demonstratio ?—Scinduntur theologi, prouti non una mens eorum est de *possibilitate* æternitatis mundi.

Hanc enim non pauci, quibus assentiunt *Knoll*, *Hurter* etc., absolute negant ; alii affirmant vel universaliter, vel saltem, uti *Billuart*, quantum ad substantias permanentes. Partem affirmativam tenuerunt inter alios *Aristoteles* et *Plato*, *Boetius*,[1] *Augustinus*, necnon *D. Thomas*, ut modo patebit.

Conclusio 1ª.—MUNDUM INCŒPISSE EST CREDIBILE, NON AUTEM DEMONSTRABILE VEL SCIBILE.

Etenim demonstratio, si quæ dari posset, novitatis mundi, vel ex ipso mundo, vel ex Deo peteretur. Atqui neutro modo constitui potest. Ergo. *Prob. min.* Non *ex parte mundi :* nam propriæ demonstrationis principium est *quod quid est* seu rei quidditas. Atqui unumquodque secundum rationem suam quidditativam abstrahit ab *hic* et *nunc ;* propter quod universalia semper et ubique esse dicuntur. Ergo ex hac parte demonstrari nequit hominem, aut cœlum, aut lapidem non semper fuisse. Neque *ex parte Dei*, voluntate creantis : voluntas enim Dei non potest ratione investigari nisi circa ea quæ necesse est absolute Deum velle. Atqui hujusmodi non sunt res creatæ. Ergo.

Corollarium inde colligitur, quam utile sit talem conclusionem præ oculis habere, ne forte aliquis, quod fidei est demonstrare præsumens infirmis rationibus, per hoc præbeat irridendi occasionem infidelibus et incredulis existimantibus fidei nostræ non aliud esse fundamentum.

1—Cf. Satolli, III Vol. p. 249-250.

Conclusio 2ª.—JUXTA S. THOMAM MUNDI ÆTERNITAS GENERATIM SUMPTI, VEL SALTEM QUOAD ALIQUA, ABSOLUTE NON REPUGNAT.

Id 1º evincitur ex iis quæ Auctor habet sub hoc articulo, præsertim in solutione objectionum; 2º ex rationibus quas alibi affert (Q. III de Pot., a. 14). Ubi sic argumentatur: possibile dicitur vel absolute, quasi sibi ipsi minime adversans, vel in ordine ad aliquam potentiam. Atqui utroque modo mundi æternitas possibilis esse videtur. *Primo*, esse ab alio, etiam secundum diversam substantiam, non repugnat ei quod est esse semper nisi quando aliquid ab alio per motum successive procedit: quod non evenit in creatione rerum. *Secundo*, Creator non minus potens erat ab omni æternitate quam fuit in tempore quo mundum condidit. Ergo. —Hoc ut explicarent veteres philosophi, utebantur exemplo ab Augustino relato (10 de Civ. Dei, c. 31): "Sicut, inquit, si pes ex æternitate semper fuisset in pulvere, semper subesset vestigium, quod a calcante factum nemo dubitaret; sic et mundus semper fuit, semper existente qui fecit."

Solv. obj.—OBJ. 1.—Omne factum initium habet suæ durationis. Atqui certo demonstrari potest mundum a Deo factum fuisse. Ergo.

RESP. *D. M:* Omne factum mediante motu...*C;* factum sine motu, scil. instantanee, *N.*—*C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

Causa effectiva mediante motu non solum natura sed etiam tempore præcedit suum effectum, ad quem sua actio, gradu successivo, ultimo terminatur.—Si vero actio, motu sublato, sit instantanea, jam necesse non est faciens etiam tempore esse prius facto. Porro creatio nullum motum nullamque realem mutationem admittit. Unde non oportuit Deum præcedere durationis lege omnem rem creatam.

OBJ. 2.—Certum est nihil Deo æquari posse. Atqui si mundus semper fuisset, æquipararetur Deo. Ergo æternitas mundi repugnat.

RESP. *C. M.*—*D.m:* si mundus semper fuisset a se et immutabiliter... *C;* æternitate participata et successioni obnoxia, *N.*—*Neg. conseq.*

Hoc criterio solvenda videntur pleraque dubia, quæ adversarii ex Patribus opponunt.

Obj. 3.—Mundi æternitas, propter humanam ex infinito tempore generationem animæque hominis immortalitatem, importaret animas actu infinitas. Atqui hoc repugnat. Ergo.

Resp. *D. M:* Mundi æternitas in genere et quoad substantiam...*N;* in specie et quoad homines generandos, *C.—C.m.—Neg. conseq.*

Concedimus animas numero infinitas actu dari non posse. Verum hæc ratio *particularis* est, atque conclusio, quam propugnamus, circa mundum in genere et quoad substantiam aut circa quædam dumtaxat versatur, v. g. circa angelum, quin specialiter homo intendatur.

ARTICULUS III.

Utrum creatio rerum fuerit in principio temporis.

Extremo hoc quæsito componendum suscipitur initium rerum, de quo hactenus sermonem fecimus, cum ipso temporis initio.—*Tempus* autem definiri solet : *numerus vel mensura motus secundum prius et posterius*, ita ut sit ens essentialiter successivum. a motu distinctum, sed in eo fundatum.

Conclusio.—IN PRINCIPIO TEMPORIS, SEU SIMUL CUM TEMPORE, RES CREATÆ SUNT, uti constat ex jam relatis Synodis Later. et Vatic.

Prob. 1° *ex Scriptura.*—Legitur (Gen. I, 1) : *In principio creavit Deus cœlum et terram.* Atqui hæc verba, licet multipliciter exponi soleant, tamen uno vel altero sensu de initio temporis optime intelliguntur. Ergo. Re quidem vera, sive quod Scriptura multiplicem sensum litteralem habeat, sive potius quia sensus unius litteræ potest esse fœcundus [1] aut etiam obscuritate velatus, triplex expositio vocis *in principio* a doctoribus datur, unde feriuntur tres errores. Quidam enim, sc. *Materialistæ*, posuerunt mundum semper fuisse et

1—Cf. Ubaldi, *Introd. in S. Scrip.* Vol. III, p. 40.

tempus non habere principium; alii, nempe *Manichæi*, arbitrati sunt duo esse creationis principia, unum bonorum, malorum aliud; alii tandem cum *Avicenna* dixerunt corporalia a Deo creata fuisse mediantibus Angelis; idcirco ad removendos tres illos errores, vox prædicta significare dicitur *in principio temporis*, vel (quod minus probabile est) *in Verbo Dei* cui appropriatur causa exemplaris rerum, vel *ante omnia*.

Prob. 2º *ratione.*—Nomine *cœli*, quod ab initio una cum terra a Deo conditum est, intelligi debet non solum cœlestis materia, debitis prædita motibus, sed etiam probabilius angelica natura. Atqui, ut docet passim S. Thomas [1], tempus ex una parte fundatur in motu cujus accipere est prius et posterius, dum ex altera completur in actu mentis numerantis. Ergo incœpit esse cum ipsis rebus creatis.

Solv. obj.—OBJ. 1.—Quod non est in tempore non est in principio temporis. Atqui creatio non fuit in tempore, a quo non mensuratur substantia rerum, præsertim incorporalium. Ergo.

RESP. *C. M.—D. m*:...non fuit in tempore tanquam mensura suî, *C*; tanquam coexistente, a quo tunc locales motus mensurari coeperunt, *N.—Neg. conseq.*

OBJ. 2.—Ipsum tempus creatum est. Atqui tempus, cum sit divisibile, non potest creari in principio temporis, quod est indivisibile. Ergo.

RESP. *D. M*:...secundum quod habet esse, *C*; secus, *N.*—*D. m*: non potest creari secundum totalitatem suam, *C*; secundum primum *nunc* a quo incipit tempus, *N.—Neg. conseq.*

1—Cf. I, D. 19, q. 5, a. 1; et IV Phys. lect. 23.

DISPUTATIO SECUNDA

QUÆSTIO UNICA

DE DISTINCTIONE RERUM IN COMMUNI

Expeditis iis quæ ad rerum productionem pertinent, atque de generalibus ad magis particularia logica methodo progredientes, statim ferimur in rerum distinctionem. Hæc autem distinctio dupliciter considerari potest : *in communi* et *in specie*. Primo de distinctione rerum in communi breviter dicemus, postea in specie rem aggrediemur.

Quum apprime constet plura in mundo esse multumque diversa quæ tamen in unum undique conspirant, tria hic quæstioni subjicientur ; 1um est de ratione multitudinis et distinctionis rerum ; 2um de earum inæqualitate ; 3um de unitate mundi.

Hæc præ oculis lectorum porrigent generalem quemdam totius creationis conspectum ; atque sicuti viatorem juvat, antequam invisendæ civitatis vias singillatim perlustret, eam e vicini montis cacumine generalius prospicere, ita utile erit prius communem mundi speciem et configurationem ab alto mirari quam ad singulas ejus partes seorsim considerandas deveniamus.

ARTICULUS I.

Utrum rerum multitudo et distinctio sit a Deo.

Plura in mundo sunt et distincte subsistunt ; de quibus quæritur an, *in quantum plura et distincta*, auctorem Deum habeant. Quare non quæcumque, sed *prima* distinctionis rerum ratio seu radix investiganda est, sub qua liquidum est plures rationes cum efficientes tum intrinsecas secundario comprehendi.

S. Thomas in primis *errores* [1] recitat quos particulatim refellit, dein autem solida demonstratione veritatem adstruit.

1° *Prima* errantium opinio est quæ distinctionem rerum *a sola materia* repetit, supponens infinita principia materialia, scil. indivisibiles atomos ejusdem naturæ, differentes tamen figura, ordine ac positione, ex quibus mundum fortuito concursu coaluisse dicunt. Ita inter veteres Leucippus, Democritus etc, quibus consentiunt hodierni Materialistæ, atomismo addicti.

Secunda opinio est Anaxagoræ, ponentis ab æterno fuisse principia materialia primum commixta atque confusa, postmodum autem ab intellectu distincta. Unde repetebat distinctionem rerum principaliter *a materia*, licet consequenter *a primo agente intellectivo.*

Tertia opinio idipsum tribuit *agentibus secundis:* nempe vel cum Empedocle duobus principiis sibi invicem colluctantibus, vel cum Avicenna primæ intelligentiæ creatæ, vel cum pluribus ætatis nostræ incredulis principiis chymicis aut dynamicis.

2° Refutantur prædictæ opiniones.—*Ad primam* quod attinet, *a)* falso nititur supposito increatæ materiæ; *b)* distinctio autem, si qua sit ex parte elementi materialis, in materiæ causam debet reduci. Et sane *c)* materia est propter formam, sicut inferius propter superius. Ergo ipsa materiæ distinctio proxime dependet a formis quibus proprie res distinguuntur, remotius vero a primo formarum principio. *d)* Denique, concessa Materialistarum opinione, ordo totius mundi non esset nisi a casu; quod aperte repugnat.

Secunda positio vix a prima differt, quum increatam dicat materiam, a qua repetitur fundamentalis ratio distinctionis rerum.

Tertia explodenda est; quia præterquamquod vis creativa ab Avicenna tribuitur causis secundis, in ea hypothesi causæ illæ secundæ princeps essent ratio distinctionis creaturarum. Atqui hoc admitti nequit : plura enim simul agentia, nisi moveantur a superiori agente, non possunt constanti lege ad unum effectum gignendum concurrere, sicuti milites,

1—Cf. C. G., l. II, c. 39 et sqq.

duce destituti, frustra animum in victoriam contendunt ; et, si forte contingat effectum consequi, id casu accidit. Jam vero quis putaverit fortuitum esse tam magnum tamque præclarum mundi complementum, quod in distinctione rerum præcipue consistit ?

Conclusio.—DEUS VERBO SUO PRIMA EST CAUSA MULTITUDINIS ET DISTINCTIONIS RERUM.

Prob. 1° ex Gen. I, quo loco Deus refertur non solum varia elementa creasse, sed etiam lucem a tenebris, aquas ab aquis distinxisse mundumque ornasse.

Prob. 2° *ex causa finali rerum.*—Deus eo fine res produxit, ut sua eis infinita bonitas communicaretur atque veluti in speculo quodam repræsentaretur. Porro per unam tantum creaturam infinita illa bonitas sufficienter repræsentari non posset. Ergo necesse fuit ex ipsa intentione supremi agentis multas ab exordio creaturas produci, ut quod uni deesset ad repræsentandum divinam perfectionem suppleretur ex altera. *Minor* innotescit ex eo quod nulla creaturarum, quantumvis perfecta, Deum æquare possit ; sed quum finita seu circumscripta quæque existat divinumque bonum sub uno dumtaxat alterove adspectu imitari valeat, ideo oportuit creaturas plurimas dari in quibus variæ Dei perfectiones nitidius splenderent, uti v. g. immensitas in mari, bonitas in sole, sapientia in ordine. Quapropter mundi Artifex non aliter se gessit ac disertus rhetor qui, ad exprimendum unum conceptum, verba multiplicat pluresque etiam rite ordinatas sententias adhibet [1].

Additur in conclusione *Verbo suo ;* siquidem Deus causa fuit distinctionis rerum per conceptum suæ sapientiæ. Hinc legitur (Ep. ad Coloss. I, 16) : *in ipso*, sc. in Verbo, *condita sunt omnia.* Pariter dicitur (Gen. I, 3) : *Dixit Deus : Fiat lux...et divisit lucem a tenebris ;* quasi Verbum a Patre prolatum fuerit summa ratio distinguendi lucem cunctaque creata.

Solv. obj. : quæ quidem ingenioso ordine procedunt secundum triplicem causandi rationem Deo propriam, nempe effectivam, exemplarem et finalem.

1—Cf. C. G., l. II, c. 45.

Obj. 1.—Unum semper natum est unum facere. Atqui Deus est maxime unus. Ergo.

Resp. *D. M:* Unum agens per naturam...*C;* per voluntatem, *N.—C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

Agens per naturam agit forma qua est, quæ quum sit una, unus tantum specie effectus producitur, v. g. equus ab equo generatus. E contra *agens per voluntatem* agit secundum formam mente conceptam, v. g. artifex secundum formam artis, quæ quum possit esse multiplex, diversa etiam opera ab eo perfici possunt. Jamvero Deum plura intelligere nullatenus simplicitati ejus officit. Ergo, quamvis unus sit, multa et multa operari potest.

Obj. 2.—Exemplatum assimilatur exemplari. Atqui Deus est unum creaturæ exemplar. Ergo.

Resp. *D. M:*...vel perfecte vel imperfecte, *C;* perfecte tantum, *N.—D.m:*... unum exemplar fundamentaliter per essentiam, *C;* formaliter per ideas, *N.—Neg. conseq.*

Duo advertenda sunt. 1° Concedimus exemplatum, quod perfecte repræsentat exemplar, non multiplicari saltem formaliter seu ratione perficiendæ repræsentationis; unde una est perfecta Dei imago, videlicet Verbum. Sed nulla creatura adæquat primum exemplar quod est divina essentia, ideoque hæc potest, quin immo exposcit, per multa repræsentari.—Attamen 2° quatenus ideæ formaliter sunt exemplaria eorum quæ fiunt, pluralitati rerum correspondet in mente divina pluralitas idearum seu idealium exemplarium.

Obj. 3.—Ea quæ sunt ad finem proportionantur fini. Atqui finis creaturæ est unus, nimirum divina bonitas. Ergo.

Resp. *D. M:*...adæquate vel inadæquate, *C;* adæquate tantum, *N.—C.d.m:*...quem creaturæ adæquant, *N;* quem non adæquant, *C.—Neg. conseq.*

Sicuti, in speculativis, medium perfecte demonstrans conclusionem unum est tantum, dum multa sunt media probabilia; ita, in operativis, medium adæquans finem non requiritur nisi unum, multiplicantur autem media inadæquata. Jam vero creatura longissime distat a perfecta adæquatione sui finis, qui est Deus; igitur necesse fuit creaturas multiplicari.

ARTICULUS II.

Utrum inæqualitas rerum sit a Deo.

Supra multitudinem atque distinctionem generice sumptam inæqualitas addit formale discrimen, quo constituitur distinctio *specifica*. Quærere est itaque an præfata rerum inæqualitas, sicuti multitudo et distinctio, a Deo creante *primo* repetenda sit.

1° *Marcionitæ*, *Cerdoniani* et *Manichæi* posuerunt duo summa sibique adversa creationis principia, Bonum et Malum, ex quibus studebant totam rerum inæqualitatem explicare.— *Rejicitur* [1] breviter hæc positio, quia *a)* principium summe malum summa esset boni privatio, ideoque nihil. *b)* Præterea malum provenire non potest nisi præter intentionem agentis, cum omne agens ad bonum intendat; unde nec potest habere causam per se, sed *per accidens* tantum, neque consequenter poni debet unum primum principium omnium malorum.

2° Convictus de falsitate hujus opinionis, *Origenes*, ad solvendum problema diversitatis rerum et existentiæ mali, quiddam aliud excogitavit. Posuit enim a Deo conditas primo fuisse tantummodo creaturas rationales easque æquales. In quibus mox ex bono maloque usu liberi arbitrii inæqualitas orta est; ita ut quæ libera sua voluntate ad Deum se converterant pro meritorum diversitate ad diversos angelorum ordines proveherentur, quæ autem sese averterant a Deo corporibus diversis pro diversitate culpæ essent alligatæ; et hanc censuit esse causam creationis et diversitatis corporum.— At systema illud merito *exploditur* [2]; quippe enim *a)* sequeretur universitatem rerum corporalium non esse creatam ad participandam divinam bonitatem, sed magis ad puniendum peccatum; quod contradicit Scripturæ dicenti de singulis Dei operibus: *Vidit Deus quod esset bonum* (Gen. I passim); et de omnibus: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona* (ibid. 31). Ex quo manifeste datur intelligi, creaturas corporeas ideo factas fuisse quia *absolute* non

1—Cf. Disp. I, Q. I, a. 1.
2—Cf. C. G., l. II, c. 44.

solum relative, bonum est eas esse. Insuper *b)* ut advertit *S. Augustinus* (2 de Civ. Dei. c. 23), juxta illud systema, in quo unus sol ex *tali* peccato unius animæ pendere dicendus foret, si centum animæ æqualiter peccassent, centum soles haberet hic mundus: absurditas patet.

3° Omittimus quæ ex ore incredulorum profert contra intentam hujus articuli conclusionem Evolutionismus: de hoc enim errore infra disputabitur.

Conclusio.—SICUT SAPIENTIA DEI EST CAUSA DISTINCTIONIS RERUM, ITA ET INÆQUALITATIS.

Prob. 1° *ex Scriptura.* (Gen. I) refertur Deus creasse tum animata tum inanimata secundum diversa genera et species. (Eccli. XVI, 26) dicitur: *In judicio Dei opera ejus ab initio, et ab institutione operum distinxit partes illorum, et initia illorum in gentibus suis.* Pariter (Eccli. XXXIII, 78): *Quare dies diem superat, et iterum lux lucem, et annus annum a sole? A Domini scientia separati sunt.*

Prob. 2° *ratione.*

Deus creando res ab invicem distinctas, unde oriretur mundi perfectio, formalem in primis rerum distinctionem intendere debuit. Atqui quæcumque distinctio formalis necessario requirit inæqualitatem. Ergo inæqualitas rerum est a Deo. *Major* declaratur: duplex enim distinctio invenitur in rebus, una *formalis* in his quæ specie discrepant, alia *materialis* in his quæ numero tantum differunt. Cum autem materia sit propter formam eique accommodetur, distinctio materialis est propter formalem eique subordinatur: quod manifestum est in rebus corruptibilibus in quibus multa sunt individua unius speciei, ad hujus conservationem ordinata; dum in iis quæ non corrumpuntur et quorum species sufficienter conservatur in uno, unum est individuum unius speciei. Jam vero universi perfectio exigit rerum distinctionem. Ergo potissima, scil. formalis distinctio, cui materialis famulatur, intendi a Deo principaliter debuit. *Minor* ostenditur *a)* ex natura formarum quæ, ut ait Aristoteles (8 Metaph.), se habent velut numeri, in quibus species variantur per additionem vel subtractionem unitatis. Unde *b)* in rebus creatis gradatim species, per modum scalæ ab ima creatione usque ad Deum progredientis, ordinatæ esse videntur; supra enim inanimata corpora inveniuntur

plantæ, et super has irrationalia animalia, et super hæc rationales necnon intellectuales substantiæ, et in singulis horum deprehenditur diversitas inferiorum specierum, ita ut suprema inferioris generis propinqua videantur superiori generi, et e converso, sicut animalia immobilia sunt similia plantis. Ergo formalis rerum distinctio inæqualitatem parit, quæ non minus necessaria fuit ad mundi perfectionem quam ad corporis humani constitutionem [1].

Solv. obj.—Optimum agens, qualis est Deus, optima producit. Atqui inter optima unum non est altero majus. Ergo.

Resp. *D. M* :...optima simpliciter, *N* ; proportionaliter, *C.*—*C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

In hac solutione, duo seorsim consideranda sunt : *singulæ creaturæ* atque *universum* ex illis conflatum. 1° Creaturæ singillatim sumptæ non sunt neque esse possunt optimæ *simpliciter*, cum nulla sit qua perfectior dari non possit : sed optimæ sunt *proportionaliter*, i. e. optima ratione dispositæ in ordine ad totum cujus perfectio, ut supra diximus, partium inæqualitatem requirit.—2° Simili modo universum quod est singularum creaturarum complexus dici optimum debet non *ontologice* seu quoad substantiam (in quo certe deceptus est Leibnitzius), sed *finaliter*, in quantum omnia mundi elementa, licet disparia, optime contendunt in communem finem divinæ gloriæ sibi a Deo præstitutum.—Idcirco 3° in Genesi dicitur de singulis creaturis quod bonæ a Deo habitæ fuerint, sed de omnibus simul dicitur quod apparuerint *valde bonæ*.

ARTICULUS III.

Utrum sit unus mundus tantum.

Mundi nomine intelligimus *complexum rerum creatarum quæ ordinem habent ad invicem et ad Deum.*—Porro quæstio de pluralitate mundorum dupliciter agitari potest : quoad factum aut quoad meram possibilitatem.

1—Cf. C. G., III, 97.

1° *Possibiles* esse, saltem de potentia Dei *absoluta*, plures mundos ab invicem prorsus independentes, nemo rationabiliter negare poterit. Nulla enim in hoc repugnantia invenitur, neque ex parte creatricis potentiæ simpliciter infinitæ, neque ex parte rerum quarum novimus suprema exemplaria in divina mente numquam exhauriri posse.

Sed 2° quæstio est maxime *de facto* et an juxta Dei *ordinatam* potentiam unus tantum mundus admitti debeat.—Innumerabiles dari mundos antiquitus dixerunt quicumque cum *Democrito* stulte commenti sunt omnia casu facta esse, scilicet ex fortuito atomorum concursu. Neque sententiam hanc, sæculorum ductu collapsam, in præsens abjiciunt moderni *Positivistæ*, quibus ratio creatricis causæ, efficientis et finalis, veluti impervia et ignota videtur.

Equidem 3° minime negamus (id enim testantur certissima Astronomiæ inventa) plurima vigere, præter nostrum, systemata solaria ab invicem distincta; verum contendimus talem esse eorum systematum habitudinem ut, quamvis singula propriis devinciantur legibus, in uno tamen mundo efformando certis quibusdam vinculis cuncta conveniant.

Conclusio.—UNUS DE FACTO MUNDUS EXISTIT.

Prob. 1° *ex Scriptura.* Sacræ Litteræ, quotiescumque de mundo loquuntur, vel de sapientia quæ in ejus creatione, vel de providentia quæ in ejus gubernatione, vel de misericordia quæ in ejus redemptione relucet, semper numerum singularem adhibent. Sat esto illud (Joan. I, 10): *Mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.*

Prob. 2° *ratione.*—*a)* Perfecta sunt Dei opera, quippe qui tam sapienter omnia condidit. Atqui multarum creaturarum perfectio in ordine consistit quo recte ad invicem et ad Deum se habeant. Ergo mundi unitas jure concluditur.

b) Huic conclusioni apprime consonant quæ disciplinæ physicæ nos docent, tum circa elementorum similitudinem terrestria inter atque cœlestia systematum solarium corpora, tum maxime circa vim attractivam quæ, dum regit singula systemata, simul existimatur uni communi centro, mole præstantissimo, omnia vincire [1].

1—Cf. C. Wolf, *Les hypothèses cosmogoniques*, p. 194-200.

Disputant autem auctores num præter planetæ nostræ incolas aliæ etiam rationales creaturæ, veluti mediæ inter Angelos et homines, *in sideribus habitent*. Non paucis (inter quos Secchi, Tongiorgi, Bougaud, Monsabré [1]) hypothesis illa arridet, quam tamen alii uti improbabilem ducunt. Mihi (modeste dicam) *probabilius videtur de facto non dari rationales illos orbium cœlestium incolas*. Factum, inquam, non possibilitas in dubium vertitur.

1° Licet præfata hypothesis non sit contra fidem, opposita tamen sententia ut *conformior Scripturis* habenda est, dicente Apostolo (Act. XVII, 26): *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ.* Quibus congruunt *Augustini* verba (16 de Civ. Dei, 8): "Quisquis uspiam nascitur homo... ex illo uno protoplasto originem ducere nullus fidelium dubitaverit".—Nec valet reponere, planetarum incolas non esse homines sed alia animalia ratione utentia quæ tamen sint, uti nos, et corpore et sensibus instructa. Si enim ita se haberent, ergo ab hominibus essentialiter non differrent, etsi forte accidentaliter nobiliora; et semper verum esset, exstare homines ab Adamo originem non ducentes.

2° Concessa tali hypothesi, Christi societas, quem totius mundi Regem adoramus, certe complecteretur cum Angelis et hominibus suppositos etiam illos siderum incolas. Atqui Sacræ Litteræ et traditio ecclesiastica, in quibus tam multa de regno, influxu ac universali Christi principatu nobis traduntur, ne verbum quidem de planeticolis faciunt; quos tamen, utpote qui essent ejusdem christianæ societatis membra, a nobis cognosci maxime congrueret.

3° Neque dicas globos cœlestes, si semel ponantur rationalis vitæ expertes, nulli fore usui [2].—Etenim *a)* scimus ex ipsis Scripturis (Gen. I, 14-15; Deut. IV, 19) cœli luminaria ad hoc esse creata ut varias vitæ temporisque vicissitudines hominibus signarent.—*b)* Insuper, quam alte stellarum agmen conferat exercendis humani ingenii viribus, studiis

1—Conf. 49e: La *Rédemption*.
2—Cf. *The American catholic quarterly review*, mens. april. et jul. 1884; ubi hæc quæstio in duobus articulis contradictorie agitatur.—Cf. etiam *Etudes religieuses*, etc., juillet 1892.

fovendis Deique gloriæ non solum per ea quæ jam innotuerunt, verum per alia minus pervia de quibus opinio est, nobis manifestandæ, profectus scientiarum astrologicarum quotidie demonstrant.—*c)* Accedit Angelos atque beatos, quorum intellectui cuncta materialia clarissime patent, sidera contemplari eaque, pro suæ mentis celsitudine ac rectitudine, optima ratione ad Deum referre.—*d)* Tandem nihil prohibet quominus loca siderea, secundum suæ perfectionis gradum, primitus a Deo destinata fuerint ad continendum,[1] post resurrectionem, gloriosa beatorum corpora, quæ cæteroquin maxima agilitate divinitus prædita facillime poterunt et quasi instantanee de uno in aliud pro lubitu transire[2].

Usquedum igitur cogens ratio in contrarium non objiciatur, pro negativa parte stabimus.

1—Cf. *Suppl.* S. Th. Q. LXXXIV, a. 2, corp. et ad 3.
2—Cf. Bougaud, *Le Christianisme* etc., tom. V, ch. 13, 6.

DISPUTATIO TERTIA

DE ANGELIS ABSOLUTE SUMPTIS (I, Q. L–LXIV)

Præstitutis iis quæ ad distinctionem rerum in communi pertinent, Auctor *Summæ theologicæ* quæstiones aggreditur de distinctione rerum in speciali.—Quum autem prima omnium distinctio esse videatur inter ens et non ens seu privationem entis debiti, assumit imprimis considerandum *de bono et malo;* quæ tamen quæstio in scholis philosophicis sufficienter tractari solet ideoque a nobis hic prætermittetur.—Alia et præcipua distinctio sequitur, nempe creaturæ *spiritualis* et *corporalis*.

Attamen creaturarum quædam datur pure spiritualis, videlicet Angelus, quædam vero pure corporalis, tertia ex utroque elemento conflata quæ dicitur homo. Hinc tria seorsim pertractanda, adeoque primo de *Angelo* agetur qui, Deo proximior atque divini solis radius excellentior, principem locum tenet in opere creationis ; secundo de *creatura mere corporali* oratio habebitur ; tertio de *homine*, cujus propria mixtaque conditio investigari non debet nisi perspectis antea extremis.

De Angelis ergo, duce *Angelico* nostro Præceptore quem ipsum nomen, clarissimis clarius atque præstantius, tantopere commendat, tractatum ordimur; et hunc in duas partes dividemus, quatenus Angeli primo *absolute*, dein *relative*, scil. respectu divinæ gubernationis, disputationi subjicientur. —Pars absoluta successive disseret *primo* de substantia, *secundo* de cognitione, *tertio* de voluntate, *quarto* de creatione cœlestium Spirituum.—Substantia autem considerari poterit vel *secundum se* vel *in ordine ad corporalia*.

QUÆSTIO PRIMA

DE ANGELORUM SUBSTANTIA SECUNDE SE

Quinque sub hoc capite determinanda sunt : an sint et quid sint generalius Angeli (art. 1) ; quid specialius (art. 2) ; quales numero sint (art. 3) ; quales specierum distributione (art. 4) ; quales tandem proprietate naturæ (art. 5).

ARTICULUS I.

Utrum Angelus sit omnino incorporeus.

Eodem tempore et fere eodem rationali processu tum *existentia*, tum quoque saltem generalior Angelorum *natura*, demonstrabitur.

1° Liceat ab exordio declarare titulum.—*a)* Nomen *Angelus*, a græca voce desumptum, missum vel nuntium primo significat ; quod est officii, non naturæ nomen. Quamvis autem in divinis Litteris quandoque contingat etiam pro hominibus missis usurpari, communius tamen sacro loquendi usu nomen illud invaluit ad significandum *creaturas incorporeas atque spirituales, inferiores Deo, homine superiores.*—*b)* Vel *specialiter* pro infimo ordine, vel *generaliter* adhiberi potest, et hoc ultimo sensu nunc est accipiendum.—*c)* Quæritur utrum Angelus sit *omnino incorporeus* idest substantia tam excedens corpus ut nec ipsa nec sua operatio sit corporea seu per organum corporeum exercita.

2° Negarunt inter antiquos Angelorum existentiam *Sadducæi* dicentes non esse spiritum (Act. XXIII, 8) ; de quo similiter accusantur *Samaritani*. *Materialistæ* omnium ætatum, distinguere nescientes inter sensum et intellectum, nihil in mundo esse existimant nisi quod sensu et imaginatione apprehendi potest. Et quia sub imaginationem non cadit

nisi corpus, hinc concludunt nullum ens dari quod non sit materia vel quædam materiæ vis ; quamvis tamen nonnulli eorum aperta contradictione Spiritismo faveant.—Sæculo XVI fertur *Anabaptistas* Angelos sumpsisse pro miris quibusdam divinæ potentiæ manifestationibus ad inferendum poenam et malum aut ad bonum nobis largiendum ordinatis.

Conclusio.—NECESSE EST PONERE ALIQUAS CREATURAS INCORPOREAS, QUÆ VOCANTUR ANGELI.—Id *de fide* constat juxta definitiones tum Lateran. IV tum Vaticani Concilii.

Prob. 1° *ex Scripturis,* in quibus permultæ Angelorum apparitiones, scilicet entium nobis superiorum, commemorantur. *a) In ætate patriarchali,* (Gen. XXII, 11) cum Abraham immolaturus esset suum filium, *ecce Angelus Domini de cœlo clamavit dicens: Abraham, Abraham...non extendas manum tuam super puerum.—c) In ætate mosaica,* Angelus Tobiam comitatus est in itinere et plurima ei officia præstitit ac tandem se ipsum manifestans ait (Tob. XII, 15): *Ego sum Raphaël Angelus, unus ex septem, qui adstamus ante Dominum.—c) In ætate christiana,* apparuit Angelus *Zachariæ* prædicans nativitatem Joannis (Luc. I, 11), *Mariæ* annuntians incarnationem Verbi (Luc. I, 28), *Josepho* mysterium summum revelans (Math. I, 28), *pastoribus* pandens Christi nativitatem (Luc. II, 9–11). Hæc autem intelligenda esse de substantiis omnino incorporeis liquet ex verbis Psalmistæ (CIII, 4): *Qui facit Angelos suos spiritus.*

Prob. 2° *ex Patribus. S. Clemens Romanus,* hortans Christianos ad subjectionem erga divinam voluntatem, Angelorum exemplum proponebat, dicens (Epis. 1, c. 34): "Consideremus exercitum Angelorum, qui Deum circumdant et ejus voluntati obtemperant." Pariter *Justinus M.* (Apol. I, n. 6) scribit. "Colimus exercitum sanctorum Angelorum, qui Deo obediunt et ipsi similes sunt." Et S. *Gregorius M.* (tom. 34 in Evang.): "Angelos, inquit, et Archanlegos omnes fere sacri eloquii paginæ loquuntur."

3° Fidei nostræ consonat quodammodo *totius humani generis fides* [1], juxta illud *Tertulliani* (Apolog. c. 22): "Dicimus esse substantias quasdam spirituales, nec nomen novum

1—Cf. Monsabré, 15e conf: *Le monde invisible.*

est. Sciunt dæmones philosophi,...sciunt poëtæ, ... Angelos quoque etiam Plato non negavit." Sane, quid luculentius *Platonis* doctrina (ex Convivio)? "Omnis natura dæmonum inter mortales deosve est media. Quam vim habet? interpretatur, inquit, et trajicit humana ad deos, divina ad homines." Non solum apud Græcos, sed etiam apud Chaldæos et Ægyptios, variis sub formis eamdem de Angelis viguisse fidem indubia monumenta testantur[1]; qui quidem modo *dei* et *genii*, modo *dæmones, heroes, cœlestes rectores* appellati sunt.

4º *Ratio* efficax argumentum præbet.—Profecto Deus in rerum creatione tanquam finem proximum sibi proposuit universi perfectionem. Atqui perfecta mundi constitutio requirere videtur creaturas omnino incorporeas. Ergo. *Min.* ostenditur. Etenim exigit mundi perfectio ut tantum opus perfecte Deo assimiletur, i. e. ut contineat omnes genericos essendi gradus, non autem (ut recte advertit Cajetanus) omnes possibiles modos habendi hos gradus qui in infinitum multiplicari possunt. Atqui supra esse, vivere, sentire eminet supremus gradus creaturæ intellectivæ, quæ causam suam Deum imitatur non solum quantum ad formam vel agendi rationem, sed etiam quantum ad modum proprium essendi seu esse intelligibile. Ergo hic gradus intellectualis substantiæ in mundo ponendus est. Jam vero intelligere non est corporis actus, neque alicujus virtutis corporeæ; quia omne corpus determinatur ad hic et nunc, mens autem abstrahit ab istis conditionibus. Ergo necesse est admittere creaturas omnino incorporeas.

Confirmatur hæc ratio [2].—Ex hoc enim quod intellectus altior sensu est, concludere licet aliquas exstare res incorporeas a solo intellectu comprehensibiles; siquidem imperfectus intelligendi modus, quo intelligibilia a sensibilibus mutuamur, supponit perfectiorem modum intelligendi, nempe intellectionem eorum quæ secundum se intelligibilia sunt seu incorporea.

Solv. obj.—Obj. 1.—Quod est incorporeum solum quoad nos et non quoad Deum non est incorporeum simpliciter.

1—Cf. Knoll, *Institut. theol. thoeret.* Vol. II, c. III, art. 1.
2—Cf. C. G., l. II, c. 91.

Atqui, teste Joan. Damasceno (II Orth. Fid. c. 3), hujusmodi est Angelus. Ergo.

RESP. *C. M.—D.m :*...absolute, *N;* relativa quadam ratione, *C.—Neg. conseq.*

Substantiæ incorporeæ mediant inter Deum et creaturas corporeas. Medium autem, ad unum extremum comparatum, videtur esse aliud extremum, sicut tepidum comparatum calido, videtur frigidum. Hac igitur *relativa* ratione, scil. in quantum Deo comparantur qui est in summo immaterialitatis, Angeli dicuntur materiales et corporei, non autem *absolute.*

OBJ. 2.—Nihil movetur nisi corpus. Atqui Damascenus (ibidem) dicit Angelum esse " semper mobilem. " Ergo.

RESP. *D. M :* Nihil movetur stricto sensu nisi corpus, *C;* lato vel latissimo sensu, *N.—C.d.m :* motu stricte accepto, *N;* latiori sensu, *C.—Neg. conseq.*

Objectio procedit ex æquivoco. Siquidem distincto vario sensu quo motus accipi potest, optime intelligitur quomodo Angelus dicatur semper mobilis ; non enim indiget, sicut nos, de potentia ad actum transire, sed semper actu intelligit proprium objectum.

OBJ. 3.—Juxta Ambrosium (l. I de Sp. S. c. 7), omnis creatura circumscripta est limitibus. Atqui circumscribi proprium est corporum. Ergo non dantur creaturæ incorporeæ.

RESP. *D. M :...* limitibus essentialibus, *C;* localibus, *N.—C.d.m :* circumscribi localiter, *C;* essentialiter, *N.—Neg. conseq.*

Circumscribi terminis *localibus* proprium est corporum, concludi autem terminis *essentialibus* commune est cunctis creaturis tam corporalibus quam spiritualibus, quarum natura genere et specie necessario determinatur. Hoc sensu accipiendum est dictum *Ambrosii*, prouti ipsemet loc. cit. clare exposuit, dicens : " Licet quædam locis corporalibus non contineantur, circumscriptione tamen substantiæ non carent. "

ARTICULUS II.

Utrum Angelus sit compositus ex materia et forma.

Post expositam articuli primi doctrinam, superflua videretur præsens quæstio, nisi quidam doctores aut falso aut ambigue hac de re locuti essent.

Ut summam et propriam Dei simplicitatem efficacius adstruerent, *Boetius* primum et *S. Bonaventura* aliquando dixerunt Angelos componi ex forma et materia, quamvis probabilius voce materiæ solam potentialitatem intellexerint.—*Avicebron* autem (in lib. Fontis vitæ), postquam adverterat in Angelis distingui posse aliquid speciale et aliquid commune ipsis corporibus, illud esse docuit quasi formam, istud vero materiam, quam ideo eamdem ponebat tum in corporalibus tum in spiritualibus.

Conclusio 1ª.—IMPOSSIBILE EST UNAM ESSE MATERIAM SPIRITUALIUM ET CORPORALIUM. (Contra Avicebronem)

Prob.—Primo forma spiritualis et corporalis nequeunt recipi in una parte materiæ, quia, cum unumquodque denominetur a forma, sic una et eadem numero res corporalis et spiritualis esset.—*Secundo* nec illa opinio tenet, posito quod alia pars materiæ recipiat formam spiritualem, alia corporalem. Materia enim divisibilis non est nisi ratione quantitatis cui subest. Ergo, in sententia quam impugnamus, substantia spiritualium, nempe Angelorum, esset quantitati subjecta. Atqui id repugnat incorporeis naturis. Ergo.—*Tertio* interimitur hypotheseos radix. Namque Avicebron falso supposuit quod quæcumque intellectu distinguuntur sint etiam distincta in rebus. Notissimum autem est Psychologiæ principium, intellectum non apprehendere res secundum modum rerum sed secundum suum. Unde materialia, nobis inferiora, simplicius sunt in intellectu nostro quam sint in se ipsis. E contra substantias superiores nobis, quales sunt Angeli, non potest humana mens percipere eo modo quo sunt in seipsis, sed juxta modum suum idest ad instar rerum compositarum eas apprehendit.

Conclusio 2ª.—ANGELI EXPERTES SUNT CUJUSLIBET MATERIÆ. (Contra positionem quorumdam catholicorum)

Prob. 1° *ex Scriptura.* In Psalmo enim (CIII, v. 4) Angeli dicuntur simpliciter *spiritus.* Et Apostolus (Hebr. I, 14) : *Nonne,* inquit, *omnes sunt administratorii spiritus?*

2° Plerique *Patres* doctrinam hanc indubie tradiderunt. Præiverat *Dionysius,* qui sub ipsis Ecclesiæ primordiis tam egregie de Angelis disseruit [1] : "Primæ creaturæ, inquit, sicut incorporales, ita et immateriales intelliguntur" (4 c. de Div. Nominibus). *S. Jo. Damascenus* (II, de Fide, c. 3) Angelum definit "substantiam intelligentem, materiæ atque corporis expertem." *Concilia* autem, nempe Later. IV atque Vaticanum, Angelum appellant creaturam *spiritualem,* quam corporali explicite opponunt. Ergo tam certa est nostra conclusio ut plane temerarium atque *erroneum* sit contrarium sentire.

3° Non deest *rationis* confirmatio.

Accipimus enim Angelos tanquam totidem substantias intellectuales. Atqui operatio cujuslibet rei est secundum modum substantiæ ejus. Ergo Angelorum substantia eadem perfectione simpliciter subsistit quæ sit propria operationis intellectivæ. Atqui intelligere est operatio penitus immaterialis, ut ex objecto ejus apparet a quo actus speciem et rationem recipit ; siquidem unumquodque non intelligitur nisi in quantum a materia abstrahitur propriisque materiæ conditionibus veluti nudatur. Ergo Angeli sunt omnino immateriales.

Solv. obj.—Obj. 1.—Genus sumitur ex materia, differentia ex forma. Atqui Angeli sunt compositi ex genere et differentia. Ergo.

Resp. *D. M :...*vel proprie, vel analogice, *C ;* proprie tantum, *N.*—*C.m.*—*Neg. conseq.*

Unumquodque per differentiam constituitur in specie, secundum quod determinatur ad aliquem specialem gradum in entibus.—In rebus autem *materialibus* aliud est quod determinat ad specialem gradum, sc. forma, aliud quod determinatur, sc. materia ; unde in eis ab alio sumitur genus et ab alio differentia.—Sed in rebus *immaterialibus,* quarum unaquæque est forma subsistens, non est aliud determinans et aliud determinatum ; verum idipsum apprehensum ab intellectu *indeterminate,* secundum analogiam communis

1—Cf. Freppel, *S. Irénée et l'éloquence chrétienne dans la Gaule.*

materiæ, præbet rationem generis ; ut *determinatum* autem, constituit differentiam.

Obj. 2.—Proprietates materiæ sunt recipere et substare. Atqui hoc invenitur in Angelis. Ergo. (Ita Avicebron)

Resp. *D. M* :... recipere formam qua constituatur in esse, *C;* recipere formam secundum rationem formæ indeterminatam et intelligibilem, *N.—C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

Materia recipit formam ut secundum ipsam constituatur in esse alicujus speciei, vel aeris, vel ignis, etc. Non ita intellectus, cujus est intelligibilem formam recipere ea ratione indeterminata et communi qua universalia cognoscit, quæque a materia omnino abstrahit. Hæc, non alia, formæ receptio in Angelis agnoscenda est.

Obj. 3.—Quod est forma tantum, sine materia, est actus purus. Atqui Angelus non est actus purus ; hoc enim solius Dei est. Ergo.

Resp. *D. M* :...forma non distincta realiter ab esse, *C;* secus, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

1° Quamvis ab Angelis removeri debeat complexio *physica* materiæ et formæ, multiplici tamen compositionis modo atque infinite distant a summo divinæ simplicitatis fastigio.—Nam 1° *logicam* generis et differentiæ compositionem in eis vigere supra didicimus.—2° Accedit *metaphysica* compositio, quæ quidem triplex est : *a)* naturæ et esse, ad quod natura se habet in omni creatura ut potentia ad actum ; *b)* naturæ et personæ [1] ; *c)* substantiæ et accidentis. Porro hæ omnes compositionis species in Angelis reperiuntur, non vero in Deo, quem solum idcirco actum purum dicere permittimur.

Obj. 4.—Forma, non limitata per materiam, est infinita. Atqui repugnat Angelum esse infinitum. Ergo.

Resp. *D. M* :... infinita secundum rationem formæ et secundum quid, *C;* secundum esse et simpliciter, *N.— D. m* :...simpliciter, *C;* secundum quid, *N.—Neg. conseq.*

1° Omnis creatura tum materialis tum spiritualis est finita *simpliciter*, in quantum esse creatum non est absolute subsistens, sed coarctatur atque limitatur ad naturam illam genere determinatam cui advenit.—Attamen 2° nihil prohibet aliquam creaturam infinitam esse *secundum quid* : quod

1—Cf. Cajet. *Comt.* in I, Q. III, a. 3.

diverse contingit. *a)* Substantiæ enim materiales habent infinitatem *ex parte materiæ*, cujus divisibilitas in infinitum individua parit sub unaquaque specie, sed finitæ sunt ex parte formæ quæ limitatur per materiam in qua recipitur. *b)* Substantiæ autem immateriales creatæ, finitæ simpliciter seu secundum esse, infinitatem aliquam habent quatenus earum *formæ* non sunt in subjecto receptæ, sed liberrime et absque limite rationem suam essentialem explicant.

ARTICULUS III.

Utrum Angeli sint in aliquo magno numero.

Quæstioni quid sint Angeli logice succedit altera, *quot sint;* præsertim quia ex tam nobilium entium natura numerositas sponte pendet.—Numerus Angelorum *indefinitus* tantum quæritur, non autem præcisus qui neque *a priori* ex divina sapientia, neque *a posteriori* ex revelatione colligi posset.

Refellemus primo falsas opiniones, dein autem veram sententiam proponemus.

a) Plato, ponens substantias separatas seu immateriales nihil aliud esse quam species rerum sensibilium, iis speciebus Angelos numero æquavit.—Sed jam notavimus (Disp. I, Q. I, a. 3) theoriam platonicam de speciebus rerum sensibilium per se extra materiam subsistentibus sustineri non posse, eo quod materia essentialiter ad illas species pertinet.

b) Id quum in comperto haberet, *Aristoteles* existimavit, supposito substantiarum separatarum ordine ad sensibilia secundum moventis et finis rationem, illarum numerum ex ipso numero cœlestium motuum vel sphærarum rationabiliter definiri posse.—Verum hæc positio manifeste repugnat documentis *Sacræ Scripturæ*, ubi multa et diversa Angelorum munera apud homines implenda passim referuntur.

c) Rabbi Moyses, Scripturam cum Aristotele componere volens, docuit Angelos, quatenus dicuntur substantiæ immateriales, equidem multiplicari secundum numerum motuum

cœlestium, tamen in Scriptura voce Angelorum accipi etiam homines a Deo legatos necnon virtutes quasdam mirabiles rerum naturalium.—Sed hoc iterum *Scripturæ* contradicit, in qua Angeli nominari non solent virtutes rerum irrationabilium atque nonnunquam expresse ab hominibus distinguuntur, ex. gr. (Ps. VIII, 6): *Minuisti eum* (Christum ut homo) *paulo minus ab Angelis.*

Quare nunc libet verum concludere.

Conclusio.—ANGELI PROPRIE DICTI, IDEST QUATENUS IMMATERIALES SUBSTANTIÆ, TAM MULTI SUNT UT OMNEM MULTITUDINEM SPECIERUM MATERIALIUM INCOMPARABILITER EXCEDANT.

Advertat hic lector comparationem fieri non ex parte individuorum materialium, sed *ex parte specierum* [1]. Credibile enim non est Angelorum numerum excedere arenas maris, pulverem terræ, folia arborum, grana frumentorum, etc.—Cæterum sermo est de illa multitudine quæ immediatius universum perficit, qualis non est pure numerica.

1° *Ex Scripturis* certo deducitur maximam esse et prope innumerabilem Angelorum multitudinem. Legitur enim (Dan. VII, 10): *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* Et (Apoc. V, 11): *Et vidi et audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, et animalium et seniorum; et erat numerus eorum millia millium.* Quibus loquendi formulis non sane determinatur, sed ingens omnemque veluti calculum excedens significatur Angelorum numerus.

2° Audiatur *Patrum* testimonium. *Dionysius* ait (c. 14 Cœl. Hier.): " Multi sunt beati exercitus supernarum mentium, infirmam et constrictam excedentes nostrorum materialium numerorum commensurationem." *S. Irenæus* " innumerabiles " Angelos dicit (c. Hær. l. 2, c. 7). Et *S. Hieronymus* (Comm. in Is. I, 11, c. 40): " Universa gentium multitudo supernis ministeriis comparata ac Angelorum multitudini pro nihilo ducitur."

3° Conclusio *ratione* suadetur.—Quanto specierum aliquæ sunt perfectiores, tanto magis congruit eas a Deo plurificari. Atqui manifestum est Angelos antecellere omnibus creaturis. Ergo. *Major* innotescit ex hoc principio quod perfectio

1—Cf. *de Pot.*, Q. VI, a. 6, corp.

universi præcipue intenditur in creatione rerum. Porro universi aliæ sunt partes principaliores, propter se intentæ, aliæ secundariæ et propter primas: inter quas talis differentia est ut secundariæ in tanto numero existere debeant quantus ad finem sufficiat; principales vero quanto plures sint, tanto perfectius universum habebitur. Ergo, quum Angeli nobilissimæ sint entium species, propter se intentæ et non propter alias, mundi perfectio quodammodo postulat ut numero longissime excedant species materialum.

Solv. obj.—OBJ. 1.—Numerus est quantitatis species, scil. discreta. Atqui in Angelis non est quantitas. Ergo.

RESP. *D. M:* Numerus prædicamentalis, *C;* transcendentalis, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

Numerus, causatus ex divisione continui, dicitur *prædicamentalis*, utpote pertinens ad illud prædicamentum quod est quantitas; *transcendentalis* vero non est aliquid realiter distinctum ab ipsis entibus, sed designat res ut indivisas in se et divisas ab aliis. Hoc numeri genus in Angelis ponimus, non primum.

OBJ. 2.—Quanto aliquid est magis propinquum uni, tanto minus est multiplicatum. Atqui Angeli propinquiores Deo sunt quam aliæ creaturæ. Ergo.

RESP. *D. M:*...tanto minus est multiplicatum in suî compositione, *C;* secundum numerum, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

ARTICULUS IV.

Utrum Angeli differant specie.

De numerica Angelorum ratione supra disputatum est: modo de *specifica.*—Certum est apud omnes, varios esse gradus variasque angelicæ multitudinis dignitates.—Pariter omnes concedunt *posse* saltem dari diversas Angelorum species.—Sed quoad *factum*, scilicet utrum revera Angeli specie distinguantur, non una doctorum sententia est.

a) Quidam antiquitus cum *Origene* dixerunt omnes substantias spirituales esse unius speciei, etiam animas.—*b)* Alii, quos sequitur *S. Bonaventura*, posuerunt omnes Angelos

cujuscumque ordinis, non tamen animas, ad unam pertinere speciem.—*c)* Tertia sententia, a *Gabriele, Richardo, Tournely* propugnata, tenet omnes Angelos unius hierarchiæ aut etiam ordinis specie non differre, distingui tamen specie ab aliis alterius hierarchiæ vel ordinis.—*d) S. Thomas*, cui Thomistæ communius assentiunt, quartam sententiam docet, nempe singulos Angelos specie inter se differre ita ut *nec possint* sub una specie plures numero haberi.

Conclusio.—ANGELI INTRA EAMDEM SPECIEM NUMERICE NON MULTIPLICANTUR [1].

Quid in hac re *Patres* sentierint dubium valde est, cum ipse *S. Augustinus* (c. Priscill.) de se fateretur: "Quid inter se differant nescio." Unde non pondere testimoniorum, sed rationum vi lis dirimenda est.

Prob. 1° *arg. demonstrativo.*

Quum Angeli sint formæ tantum, sine materia, eorum natura vel distinctio dijudicari debet secundum solius formæ rationem. Atqui proprium est formæ, secundum se sumptæ, constituere speciem et distinctionem specificam parere. Ergo totidem sunt Angelorum species quot sint angelicæ formæ. *Min. conf.* Siquidem *a)* eatenus, in rebus sensibilibus, plura individua sub una specie consistunt quatenus materia, quantitatis ope, in partes dividi possit; quibus partibus Angelos carere perspicuum est. Hinc, *b)* ut exemplo Auctoris utamur, albedo, semel ac concipiatur seorsim a subjectis albis, multiplicari numero non potest.

Prob. 2° *arg. convenientiæ* (ex resp. ad 3).—Id magis congruit ut a Deo multiplicetur, quod est perfectius. Atqui bonum speciei manifeste præstat bono individui. Ergo melius est Angelorum species multiplicari quam individua in una specie.

Ad cavendas adversariorum *objectiones*, breviter notetur differentiam accedere generi, non quasi sit alia natura, sed sicut proprium accedit communi, determinatum indeterminato. Unde quemadmodum animalia irrationalia specie discriminantur juxta diversos gradus seu determinationes naturæ sensitivæ, ita omnes Angeli differunt specie secundum *diversos gradus naturæ intellectivæ.*

1—Cf. C. G., l. II, c. 93.

ARTICULUS V.

Utrum Angeli sint incorruptibiles.

Reliquum est ut Angelorum proprietatem potissimam, nempe incorruptibilitatem, trutinæ subjiciamus.—Incorruptibilitas, quæ in viventibus immortalitas dicitur, alia est *per essentiam*, qualis Deo convenit, alia *per participationem*. Hæc autem duplici ratione habetur: 1° *ab extrinseco* tantum, i. e. ex speciali Dei dispensatione; 2° *ab intrinseco* et ex ipsa rei natura, supposito quod res existat.—Hoc altero sensu incorruptibilitas modo accipiatur.

Conclusio.—NECESSE EST DICERE ANGELOS NATURA SUA ESSE INCORRUPTIBILES.—Hæc propositio de fide quidem non est, at vero pertinet ad thesaurum scientiæ theologicæ cujus proprium est conclusiones ducere ex fidei principiis. Principium enim, quo tota nititur præsens doctrina, est Angelorum *spiritualitas*, de qua Scripturæ et concilia testantur.

Prob. 1° ex verbis *Dionysii* (c. 4, de Div. Nom.): " Intellectuales substantiæ vitam habent indeficientem, ab universa corruptione, morte, et materia et generatione mundæ existentes ;" ubi nobis eximius Doctor simul veritatem proponit atque veritatis rationem reddit.—Nonnulli, fateor, ex sanctis *Patribus* intrinsecam illam Angelorum immortalitatem negare visi sunt [1], sed, ut mox patebit ex solutione objectionum, id adscribendum est incertis quibusdam et minus accuratis loquendi rationibus.

Prob. 2° argumento desumpto ex *immaterialitate*.—Nihil corrumpitur nisi per hoc quod forma ejus a materia separatur. Atqui Angeli sunt formæ subsistentes et omnino immateriales. Ergo corrumpi non possunt. *Major* ostenditur. Quod convenit alicui secundum se ab eo separari non potest, ab eo autem cui convenit per aliud potest separari, dissociato eo secundum quod ei convenit; ex. gr. rotunditas a circulo separari non potest, quia convenit ei secundum seipsum, sed æneus circulus potest amittere rotunditatem per hoc quod

1—Cf. Satolli, Vol. III, Disp. VIII, lect. 1.

circularis figura separatur ab ære. Atqui secundum se *esse* competit formæ, non quidem *simpliciter* quasi oppositum contradictionem dicat, sed *physica* lege cursus naturalis; unumquodque enim exstantiam suam a Deo sortitur atque retinet quatenus habet formam, materiæ vero esse non convenit nisi ratione formæ. Ergo ex una parte, omne compositum desinit esse actu statim ac forma a materia separetur; ex altera autem, forma quæ subsistit nihil habet in se unde naturaliter in corruptionem abeat.

3° Ejusdem rei *signum* deducitur ex *intellectuali actione* Angelorum.—Etenim cum agens operetur secundum quod est actu, propria operationis indoles perspicue demonstrat naturalem conditionem operantis; ipsius autem operationis species ratioque deprehenditur ex objecto formaliter sumpto. Ergo taliter in sua natura unumquodque subsistit qualiter exigit formalis perfectio objecti circa quod agit. Atqui objectum intelligibile formaliter sumptum, i. e. in actu et sub ea ratione qua intelligitur, sempiternum est tum *negative* inquantum abstrahit a tempore et motu, tum *positive* quatenus, si extra animam existeret, perpetuo in esse manere postularet. Ergo omnis substantia intellectualis est incorruptibilis secundum suam naturam.

Solv. obj.—Obj. 1.—Dicit Damascenus (II Orth. Fid. c. 3) Angelum immortalem esse "gratiâ et non naturâ;" quibus similia habent Ambrosius (III de Fide, c. 2) et Sophronius Hieros. (Act. Synodi VI). Ergo.

Resp. *Dist. antec:*...gratia naturali, *C;* supernaturali, *S.d:* immortalem esse altiori genere, *C;* qualitercumque, *N.*—*Neg. conseq.*

Duo in solutione accipienda sunt. 1° Gratia, minus proprie quidem, aliquando significat *naturale* donum a Deo procedens; quo sensu admittur Angelos gratia esse immortales.—Si vero 2° nomen gratiæ stricte intelligatur pro munere *supernaturali*, dicendum est Patres (et hæc est probabilior expositio) sermonem facere non de naturali atque imperfecta, sed de altiori illa immortalitate quam omnes Angeli boni, virtute gratiæ beatificantis, consecuti sunt ita ut cor suum immutabiliter Deo adhæreret. Mutatio enim de bono in malum mors est animæ, cui opponitur justitiæ immortalitas.

Obj. 2.—Secundum Gregorium (XVI Mor. c. 16), " omnia in nihilum tenderent nisi ea manus omnipotentis conservaret." Atqui quod in nihilum redigi potest est corruptibile. Ergo.

Resp. *C. M.—D.m* :...est corruptibile naturaliter, *N* ; transcendentaliter seu per habitudinem ad potentiam divinam, *C.—Neg. conseq.*

Incorruptibilitas, quam supra Angelis vindicavimus, ea est quæ vocatur *ab intrinseco* et a natura, excludens internum corruptionis principium vel contrarietatem vel saltem materiæ potentiam. Jam vero non repugnat substantiam, in se naturaliter et simpliciter incorruptibilem, pendere a Deo quoad esse suum suamque durationem ita ut, respectu ejus et quasi transcendentaliter, vere sit contingens ideoque corruptibilis.—Id jam olim clare expresserat *Cyrillus Alexand.* (Thesauri, l. XX) dicens : " Angelus immortalis quidem est, sed non Deo."

QUÆSTIO SECUNDA

DE COMPARATIONE ANGELORUM AD CORPORALIA

Quanquam Angeli immateriales sint, non tamen sine ordine ad corpora existunt, quum e contra eos pluries in corporibus apparuisse Scriptura testificetur. Quocirca, quænam sit illa relatio Angelorum ad corpora et quomodo possint inter corporalia tam incorporeæ substantiæ versari, munus nostrum est modo investigare.

Quæstio enodabitur quinque articulis. Oportet enim quærere *primo* de Angelorum ordine ad corpora ipsa, vel quoad unionem (art. 1), vel quoad assumptionem (art. 2) et actionem in illis (art. 3) ; *secundo* de ordine ad loca corporalia (art. 4) ; *tertio* de ordine ad motum localem (art. 5).

ARTICULUS I.

Utrum Angeli habeant corpora naturaliter sibi unita.

Constat ex præcedentibus Angelorum naturam esse *secundum se* omnino incorpoream. Tamen, quia sæpe visibili sub specie in terris conversati sunt quumque nonnulli catholici doctores eos quandoque corporeos dixerint, orta est dubitatio num cœlestes illæ substantiæ naturali quodam et essentiali vinculo corporibus uniantur.

Unio naturalis intelligenda est qualis inter formam et materiam existit, ita nempe ut unum esse exinde resultet.

Conclusio.—ANGELI NON HABENT CORPORA SIBI NATURALITER UNITA.—Hæc est *communis* theologorum sententia.

1° *Sacræ Litteræ* implicitum saltem argumentum præbent. *a)* In eis enim Angeli vocantur *Spiritus*, et quidem sine addito, numquam vero animæ ; e contra spiritus noster vel

anima passim vel *spiritus hominis* dicitur (Rom. VIII, 16; 1 Cor. II, 11).—*b)* Insuper, quandoque Angeli solo nomine spirituum appellati opponuntur hominibus, ex. gr. (Luc. X, 20): *Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia Spiritus vobis subjiciuntur.* Ergo illi Spiritus non sunt, sicuti animæ humanæ, necessaria lege corporibus sociati.

2° *Traditio*, uti videre est apud Petavium [1], licet exhibeat quosdam antiquiores corpora Angelis tribuentes, disertissime tamen propositæ conclusioni favet.—Qui autem contrarium docere visi sunt *a)* aut corporis voce intelligebant aliquid subsistens: quo sensu *Tertullianus* corporeum Deum dixit; *b)* aut intantum Angelos scripserunt esse corporeos inquantum perspiciebant—quod veritas habet—eos esse limitatos spatio, tempore, virtute, perfectione (*Joan. Thessalon.* et *S. Hilarius*); *c)* aut non absolute, sed relative, scil. respectu Dei maxime simplicis, talia locuti sunt (*Arnob. Jun.* et *Damascenus*); *d)* aut tandem ad significandum tum invisibilem Angelorum naturam tum velocitatem, eis metaphorice subtilia quædam tribuerunt corpora, i. e. ignea, aerea, ætherea. Quapropter pleræque illæ sententiæ ex ambiguo vel male definito corporei et incorporei conceptu originem duxerunt.

3° Præsto est *ratio confirmativa.*—Habere corpus unitum non est de ratione naturæ intellectivæ generice sumptæ, sed tantummodo ad *aliquam* intellectualem substantiam ob imperfectionem pertinet. Atqui in quocumque genere invenitur aliquid imperfectum, oportet perfectum quiddam præexistere in genere illo. Ergo sub genere naturæ intellectualis, præter substantias corporibus unitas, aliæ esse debent corporeo commercio penitus liberæ, quos Angelos dicimus. *Maj. prob.* Nam quod accidit alicui naturæ non invenitur universaliter in natura illa, sicut habere alas, quia non est de ratione animalis, non convenit omni animali. Atqui necessitas corporeæ unionis accidit naturæ intellectivæ: intelligere enim secundum se sumptum non est actus corporis neque alicujus virtutis corporeæ; tamen alicui substantiæ intellectuali, videlicet animæ humanæ, competit uniri corpori eo quod imperfecta est, in potentia existens et veluti in confinio generis intellectivi, non habens ex se plenitudinem scientiæ sed eam

1—*De Angelis*, l. 1, c. 1-3.

acquirens operâ sensuum a rebus sensibilibus. Ergo. *Minor* sibi vult sub uno genere non dari imperfectam speciem quin perfectior, si quæ esse possit, simul ponatur, et ratio est, tum quia secus natura magis sollicita videretur de imperfecto quam de perfecto, tum quia generatim imperfectiora sunt propter magis perfecta.—Stat conclusio.

Solv. obj.—Obj. 1.—Petitur ex Origene (l. 1 Periarch., c. 6): "Solius Dei...proprium est ut....absque ulla corporeæ adjectionis societate intelligatur existere."—Ex S. Bernardo (6 hom. super Cant., serm. 6): "Liquet autem omnem spiritum creatum corporeo indigere solatio." — Ex S. Augustino (super Gen. ad litt. l. 3, c. 10): "Dæmones aerea dicuntur animalia, quia corporum aereorum natura vigent." Ergo.

Resp. 1° *Origenem* errasse, neque in quæstionibus de creatione rerum magni faciendam esse ejus auctoritatem, cum plerumque falsas quorumdam veterum opiniones sequatur.—2° *S. Bernardi* verba exponi possunt, quatenus intelligantur de Angelorum corpore non quidem ipsis naturaliter unito, sed ab eis instrumentaliter assumpto, quo Spiritus illi administratorii in obeundis suis muneribus indigent.—3° *Augustinus* in loc. cit. loquitur non asserens, sed opinione utens Platonicorum ponentium esse animalia aerea, quæ dæmones nominabant. Cæterum, sicubi Hipponensis Doctor corpora Angelis assignare videatur, hanc sententiam non ut certam sed tanquam dubiam proposuisse censendus est, imo probabiliter etiam retractasse (21 de Civ. Dei, c. 10; l. 1, Retract. c. 11).

Obj. 2.—Gregorius (hom. Epiph. 10 in Ev.) nominat Angelum "rationale animal." Atqui omne animal componitur ex corpore et anima. Ergo.

Resp. *D. M*:...proprie, *N*; metaphorice, *C*.—*C.d.m.* eodem sénsu.—*Neg. conseq.*

Angelus dicitur animal rationale secundum *metaphoram*, propter similitudinem vitæ et rationis.

Obj. 3.—Perfectior est vita in Angelis quam in animabus. Atqui anima non solum vivit, sed etiam vivificat corpus. Ergo.

Resp. *C. M.*—*D.m*:...vivificat corpus effective, *N*; formaliter, *S.d*: et hoc simpliciter perfectionis est, *N*;... hoc dicit imperfectionem, *C*.—*Neg. conseq.*

Vivificare *effective* simpliciter importat perfectionem ex parte causæ, unde et Deo convenit secundum illud (1 Reg. II, 6) : *Dominus mortificat et vivificat.* Sed vivificare *formaliter* pertinet ad substantiam specie incompletam quæque pars est alicujus naturæ : hanc imperfectionem ab Angelis arcemus.

ARTICULUS II.

Utrum Angeli assumant corpora.

Quatuor sub hoc capite discutienda sunt : 1um et præcipuum, an reales sint ex parte corporum Angelorum apparitiones ; 2um de fine illarum apparitionum ; 3um de modo quo ab Angelis corpora sumuntur ; 4um de materia ex qua assumpta corpora conficiuntur.

Conclusio.—ANGELI CORPORA REALITER ASSUMUNT.

Nonnulli equidem opinati sunt Angelos nunquam corpora assumere, sed omnia quæ in Scripturis divinis leguntur de Angelorum apparitionibus vel visione imaginaria vel externorum sensuum delusione solummodo contigisse.

Verum 1^0 hoc repugnare videtur *sensui Ecclesiæ*, cujus testis est *S. Augustinus*, dicens (15 de Civ Dei, c. 23) : " Apparuisse hominibus Angelos in talibus corporibus quæ non solum videri, verum etiam tangi possunt, verissima S. Scriptura testatur. "

Et sane 2^0 quod imaginatione vel sensibus illusis videtur subjective tantum se habet, neque videtur constanter, eodem modo et indifferenter ab omnibus, ut patet in somniantibus aut phreneticis. Atqui Scriptura Sacra sic introducit Angelos interdum apparentes ut eodem modo, constanter et communiter ab omnibus videantur ; sicut Angeli apparentes Abrahæ visi sunt ab eo et tota familia ejus, a Loth et a civibus Sodomorum ; pariter Angelus, qui apparuit Tobiæ, ab omnibus videbatur. Ergo concludendum est hæc et simila realiter evenisse, seu visiones illas ad reales terminos sese protulisse. Atqui Angeli neque sunt corpora, neque corpora habent sibi naturaliter

unita. Ergo relinquitur ut corpora assumant.—Si quid dubii in *Majori* oriatur, ex eo quod sicut unius tantum videntis, ita et totius spectantis populi potuerint sensus immutari, notabimus *a)* argumentum procedere secundum ea quæ ordinarie contingunt, neque ab hac via recedendum esse quoad ratio vel S. Scriptura aliud non suadeat. Scriptura autem, nedum adversetur, aperte nobis favet, ex. gr. (Gen. XVIII, 2): *Apparuerunt* ei (Abrahæ) *tres viri* (quos Apost. Heb. XIII dicit fuisse Angelos) *stantes prope eum*, etc. Præterea *b)* in tentatione Christi et Evæ quibus dæmon apparuit, quisnam in hypothesi adversariorum illorum sensum mutasset? Num Angelus malus, qui nihil poterat in sensus Christi et Evæ? Num Angelus bonus vel Deus ipse, ubi agebatur de pertrahendis ad malum cordibus? Ergo reale corpus, a dæmone assumptum, eorum oculis objiciebatur.

Quod ad *finem assumptionis* attinet (loquimur de Angelis bonis), non propter se sed propter nos assumptis isti corporibus utuntur. Hæ namque apparitiones, in quibus familiariter cum hominibus conversantur, *primo* inserviunt demonstrandæ spirituali societati quæ in futura vita nos eis conjunget. *Secundo*, assumptiones humanorum corporum, quæ in Veteri Lege contigerunt, specialiter ordinabantur ad futuram humanitatis assumptionem qua Dei Filius in carne apparuit.

De *modo assumptionis* quid statuendum?—Tria illi necessaria esse videntur: 1° ut formetur corpus; 2° ut Angelus corpori uniatur tanquam motor mobili. Non enim uniri potest ut forma materiæ, quum in se jam sit completa natura; neque hypostatice corpus assumit, quia subsistentia creata, utpote finita, specificata et limitata a natura quam terminat, nequit alienam naturam terminare. 3° Necesse est corpori assumpto inesse aptitudinem ad repræsentandum vel Angeli vel Dei, cujus Angelus legatus est, intelligibiles proprietates. Secus enim, quidquid Angelus moveret ab eo assumeretur; quod repugnat.—Si quis autem quærat *qua virtute* Angeli corpora sibi effingant, responderi debet eos id posse virtute suæ naturæ[1], saltem in genere; quamvis jure credatur Deum eis adesse speciali ratione, quandocumque

1—Cf. II, Dist. VIII, Q. I, a. 2. ad. 2; *De Pot.*, Q. VI, a, 7.

sumendi corporis ordinatio ad specialem finem, divinitus intentum, superius quoddam auxilium deposcat. Et id, ni fallor, significant verba Angelici Doctoris " virtute divina " (ad 2 et 3).

Quoad *materiam unde conficiuntur* assumpta corpora, nihil prohibet quin teneamus corpora aeriformia Angelorum virtute condensari usque in solidi statum et figuram ; ita ut, expleto assumptionis tempore, dimittantur, et statim colorem, figuram statumque exuant, opposita resolutione.

ARTICULUS III.

Utrum Angeli in corporibus assumptis opera vitæ exerceant.

Præ oculis habeatur *principium supra* constitutum, quod Angelus unitur corpori assumpto, non ut forma materiæ, sed ut motor mobili. Ex hoc enim necessario procedit sequentium demonstratio.

Conclusio.—ANGELI PER CORPORA ASSUMPTA POSSUNT EXEQUI QUÆDAM OPERA VITÆ QUANTUM AD ID IN QUO COMMUNICANT CUM CORPORIBUS NON VIVENTIBUS, NON AUTEM QUANTUM AD ID QUOD EST PROPRIUM VIVENTIUM.

Præmittendæ sunt *duæ distinctiones*.—Et 1° operationum quædam est *vitalis*, oriens ab anima in quantum anima est ; quædam *non vitalis*, procedens a natura tantum, ut motus sursum vel deorsum.—2° Vitalium operationum quædam habent et aliquid proprium in quantum vitales sunt et *aliquid commune* cum non vitalibus, non quidem ex parte principii, sed ex parte termini : v. g. locutio, quæ est opus viventis, convenit cum aliis sonis inanimatorum in quantum est sonus, et progressio cum aliis motibus in quantum est motus ; quædam vero vitales operationes *nihil commune* habent cum non vitalibus, ut vegere, sentire, intelligere.

1ª *Pars* concl. apparet ex eo quod Angeli possunt v. g. verberare aerem, aut localiter movere corpora.

2ª *Pars prob.*—Juxta principium " cujus est potentia, ejus est actio," nihil potest opus vitæ exequi quod vitam non habeat. Atqui Angeli non sic corporibus assumptis uniuntur ut formaliter vitam eis conferant; siquidem se habent ut motores tantum, non vero ut formæ. Ergo.

Ex præmissis *infertur :* 1º Angelos nullo modo per organa assumptorum corporum *sentire,* quod est opus vitale tum in principio, tum in termino; 2º nec posse eos proprie *loqui,* licet in aere sonos excitent persimiles humanis vocibus; 3º nec etiam proprie *comedere.* Vera enim comestio importat sumptionem cibi convertibilis in substantiam comedentis. Cibus autem, quo interdum Angeli usi sunt, neque convertebatur in corpus assumptum, neque corpus illud tale erat in quod posset alimentum converti.

Tandem *non officit veracitati Angelorum* quod per corpora assumpta videantur hominibus vivere, licet non vivant, et exequi opera vitæ, licet non exequantur.—Ita enim se gerunt, non ut credantur esse veri homines, sed ut per proprietates et opera hominis spirituales suæ proprietates et spiritualia opera designentur. Sic per oculos significatur virtus cognoscitiva Angeli et per alia membra aliæ ejus virtutes; sic etiam comestio sensibilis similitudine exprimit spiritualem supernarum mentium alimoniam quæ in visione et fruitione Dei consistit, ut Raphaël dixit Tobiæ (XII, 19) : *Cum essem vobiscum, videbar quidem manducare et bibere; sed ego potu invisibili et cibo utor.* In hoc autem nulla est fictio; quæ tunc tantum habetur quum quis intendit significare quod revera non est.

ARTICULUS IV.

Utrum et quomodo Angelus sit in loco.

(I, Q. LII)

Determinato Angelorum ordine ad corpora, proximum est ut eorum ordinem ad *corporalia,* nempe habitudinem ad locum motumque localem definiamus.—Tribus conclusionibus res præsentis articuli expedietur.

Conclusio 1ª.—ANGELO CONVENIT ESSE IN LOCO; NON TAMEN EODEM MODO AC CORPORI.

1° Quod aliqualiter Angelo conveniat esse in loco, manifesta *fidei* oracula testantur. Dicitur enim (Tob. VIII, 3): *Raphaël Angelus apprehendit dæmonium et religavit illud in deserto superioris Ægypti.* Et (Matth. XXVIII, 2): *Angelus Domini descendit de cœlo et accedens revolvit lapidem.*—Unde Ecclesia in Collecta Completorii: " Angeli tui sancti habitent in ea qui nos in pace custodiant."

2° *Altera pars* conclusionis facile explicatur.—Corpus enim est in loco per hoc quod ei adhæret secundum contactum dimensivæ quantitatis. Atqui in Angelis non est dimensiva, sed virtualis tantum quantitas qua loco applicari dicuntur. Ergo æquivoce, respectu corporum, loci occupatio Angelis tribuitur; quippe triplex censetur discrimen. Corpus est in loco *circumscriptive*, quatenus ei quantitate commensuratur; *situaliter*, in quantum partes ejus in loco disponuntur; tandem *passive*, utpote a loco contentum. Non ita Angelus qui *definitive* in loco ponitur, *indivisibiliter* atque *active* per modum continentis, sicuti anima corpus continet.

Dico Angelum se habere in loco *definitive*; quod est esse hic et non alibi, secundum applicationem suæ virtutis. Id autem dupliciter evenit [1]: incomplete tantum et *præsentia ordinis*, si habitu, non actu, angelica virtus loco applicetur; complete vero et etiam *præsentia operationis*, si in actu secundo Angelus virtute sua locum contingat.

Conclusio 2ª.—ANGELUS NON EST UBIQUE NEC IN PLURIBUS LOCIS SED IN UNO LOCO TANTUM, QUI EST TOTUM CORPUS CUI CONTACTU SUÆ VIRTUTIS APPLICATUR.

Prob. 1ª *pars:* 1° ex *Damasceno* (II Orth. Fid. c. 3): " Angeli, dum sunt in cœlo, non sunt in terra";—2° *ratione.* Hæc est differentia inter virtutem Dei infinitam et finitam virtutem Angeli quod illa, utpote universalis, universum ens respicit, hæc vero, contracta atque limitata, ens tantum particulare ultra quod non potest sese extendere. Atqui ens universaliter sumptum in sua formali et transcendentali unitate continet non solum aliquid unum, nempe universum, sed

1—Cf. Satolli, *Prælectiones,* III Vol. p. 599.

etiam plura, ut plura, in illo necessario conclusa ; ens vero particulare, quod Angelus attingit, dicit solummodo aliquid unum determinatum, quatenus uni virtuti finitæ proportionatur unus tantum effectus finitus et particularis. Ergo licet Deus, in quantum omnia operatur, possit esse in pluribus locis, immo sit ubique, Angelus tamen ita agit circa particularia ut vel unum tantum vel plura per modum unius adæquati effectus et intra quamdam activitatis sphæram attingat unumque idcirco locum occupet [1].

2ª *Pars* adjicitur contra eos qui, suam imaginationem transcendere non valentes, cogitaverunt indivisibilitatem Angeli ad instar puncti, quasi is consistere nequeat nisi in loco punctali. — Decepti sunt isti ; siquidem indivisibile punctum habet situm et infra genus quantitatis continetur, sed Angelus est indivisibile quoddam extra genus quantitatis et sitûs existens. Ergo nulla est necessitas determinandi cuique Angelo locum situ indivisibilem, sed vel divisibilis vel indivisibilis, vel major vel minor locus ei competit secundum quod voluntarie ad majus vel minus corpus virtutem suam applicat. — Hæc autem virtus quum diversa sit in diversis Angelis, diversa pariter est magnitudo loci singulis adæquate proportionati.

Conclusio 3ª. — NATURALITER LOQUENDO ET SECUNDUM ORDINEM DIVINÆ SAPIENTIÆ, DUO ANGELI NON SUNT SIMUL IN EODEM LOCO.

Prob.—Impossibile est quod duæ causæ completæ sint immediata ratio unius ejusdemque rei ; puta quod simul sint plures formæ ejusdem speciei, aut plura moventia proxima secundum uniuscujusque totalem effectum. Atqui Angelus dicitur esse in loco per hoc quod virtus ejus immediate contingit locum, perfecte eum continens. Ergo plures Angeli nequeunt in uno loco unum simul gignere effectum ibidemque simul sistere.

Notandum superest, in divinis Litteris tria generatim loca quasi propria Angelis assignari : cœlum, infernum et aerem. Dicitur enim (Marc. XIII, 32) : " De die illo vel hora nemo scit, neque Angeli *in cælo*."—(2 Pet. II, 4) : " Deus Angelis

1—Cf. Cajet. *Comt.* in h. l.

peccantibus non pepercit, sed rudentibus *inferni* detractos in tartarum tradidit cruciandos."—Et (Eph. II, 2) : "In quibus aliquando ambulastis secundum principem potestatis *aeris hujus.*"

ARTICULUS V.

Utrum et quanam lege Angelus moveatur localiter.

(I, Q. LIII)

Duplex est motus : *per se* et *per accidens*, seu ratione sui et ratione alterius. Non est dubium quin Angeli localiter moveantur saltem per accidens, ratione corporis cui præsentes sunt, quemadmodum anima movetur ratione corporis quod informat.—Sed in præsentiarum de motu *per se* quæritur.

Conclusio 1ª. — ANGELUS POTEST MOVERI LOCALITER ; DIVERSE TAMEN A CORPORE.

1ª *Pars de fide* est, et *prob* :—1º tum ex *Scripturis* in quibus sæpius Angeli dicuntur descendere de cœlo, aut in cœlum ascendere ; tum ex illo *fidei articulo* quod Christus secundum animam descendit ad inferos ; quippe Angelum et animam moveri ejusdem rationis est.—2º Angelus in loco esse dicitur per contactum suæ virtutis quin simul existat in pluribus locis. Atqui illam virtutem diversis corporibus successive applicare potest, quod est transire de uno loco in alium. Ergo localiter se potest movere.

2ª *Pars* ostenditur. —Etenim corpus, sub loco contentum et ei commensuratum, loci legibus ita obstringitur ut secundum continuitatem magnitudinis necessario habeat motum continuum. Verum Angelus, nedum contineatur a loco, ei virtute sua potius dominatur ; unde pro lubitu vel *continuum* vel *discretum* motum exequitur : continuum quidem, in quantum potest successive linquere locum divisibilem in quo prius erat ; discretum vero, si eumdem locum totum simul dimittat et toti alteri loco se simul applicet.



IMAGE EVALUATION
TEST TARGET (MT-3)

6"



Conclusio 2ª.—MOTUS ANGELI, SI SIT CONTINUUS, FIT PER MEDIUM; SI VERO DISCRETUS, POTEST FIERI NON TRANSITO MEDIO.

1ª *Pars* evidens est.—*Altera* probatur. Illud in suo motu cogitur pertransire medium quod subjacet, veluti inferius, conditionibus loci. Atqui tale est corpus, minime vero Angelus, in cujus potestate est pro suæ voluntatis arbitrio se huic vel alteri loco applicare. Ergo quandocumque discrete se moveat, potest Angelus, prouti voluerit, vel plura pauciorave media tangere, vel de uno in aliud extremum absque ullo medio mox transilire.

Conclusio 3ª.—MOTUS ANGELI, LICET VELOCISSIMUS, NON FIT IN INSTANTI SED IN TEMPORE, CONTINUUS IN CONTINUO, DISCRETUS IN DISCRETO.

1ª *Pars*, scil. motum angelicum non esse instantaneum, deducitur ex eo quod nullum successivum fit in instanti. Atqui motus Angelorum est successivus, cum duo saltem *nunc* sibi succedant, unum in quo ultimo quiescit Angelus in præcedenti loco, aliud in quo novum locum sibi acquirit. Ergo motus ille fit in tempore.

Hoc autem tempus, ut habet *secunda pars*, vel continuum vel discretum est, prouti motus ipse alteruter fuerit; et dum ex una parte ab *ævo* discriminatur quod est mensura substantiæ angelicæ, ex altera etiam differt a nostro tempore quo mensuratur motus corporalium quodque necessario continuum est [1].

Attamen *notetur* Angelorum motum, quoad velocitatem, pendere non a quantitate virtutis, sed a determinatione liberæ voluntatis; unde velocissime pro lubitu moventur, ita ut etiam duobus instantibus discretus eorum motus perfici valeat. Quare non immerito pinguntur *alati*.

1—Cf. Cajet. *Comt.* in h. loc., necnon in I, Q. X, a. 5.

QUÆSTIO TERTIA

DE COGNITIONE ANGELORUM UNIVERSIM SUMPTA

Consideratis iis quæ ad substantiam Angelorum pertinent, procedendum est ad indagandas eorum proprietates quæ sunt *intellectus* et *voluntas*.—De intellectu autem plura quæri possunt prouti vel ipsa *virtus* cognoscitiva, vel cognoscendi *medium*, vel *objectum* cognitum, vel tandem cognitionis *modus* in debitam considerationem veniant.—Nos de hac re, brevitatis gratia, duas tantum quæstiones instituemus, unam circa naturam angelicæ cognitionis *generalius* sumptam, alteram *specialem* de eadem cognitione respectu rerum materialium.

Prima quæstio absolvetur quatuor articulis secundum divisionem superius traditam.

ARTICULUS I.

De virtute cognoscitiva Angelorum.

(I, Q. LIV)

1°—*a)* In Angelis haberi virtutem intellectivam nemo est qui dubitet, postquam constiterit eos esse substantias spirituales ab omni materiæ consortio sejunctas.

b) Imo nec alia virtus cognoscitiva, præter intellectivam, in eis agnoscenda est. Vires enim sensitivæ animæ, quæ mediantibus organis corporeis operationes suas exercent, actus sunt quarumdam partium corporalium, uti visus in oculo, auditus in aure. Atqui Angeli non habent corpora sibi naturaliter unita. Ergo intellectivis tantum viribus pollent.

c) Unde si quando *Patres* aliter sentire videantur, eorum sententias exponere fas erit quatenus procedant vel secundum opinionem illorum qui posuerunt Angelos et dæmones habere

corpora, vel secundum proportionem quamdam analogicæ similitudinis inter phœnomena sensitiva et intellectiva.

2º Igitur hujusce articuli propositum est inquirere de *natura* ipsa angelici intellectus ; quod præstabimus eum considerando, tum sub generica ratione potentiæ, tum in ordine ad vulgatam divisionem intellectus *possibilis* et *agentis*.

Conclusio 1ª.—ANGELORUM VIRTUS INTELLECTIVA REALITER AB ESSENTIA DISTINGUITUR. Idem dic de voluntate.—Hæc doctrina *communis* est apud scholasticos.

Prob. 1º ex *S. Dionysio* (Angel. Hier. cap. 2) : " Angeli dividuntur in substantiam, virtutem et operationem."—2º *Ratione.* Potentia dicitur ad actum tanquam ad finem ita ut secundum diversitatem actuum sit diversitas proximarum potentiarum. Atqui in creaturis (philosophi id demonstrant) essentia ab esse realiter discrepat, unde illa comparatur ad istud sicuti potentia ad actum ; ex altera parte vero intelligere aut velle quod est actus potentiæ operativæ non est idem ac esse Angeli. Ergo in Angelo virtus intellectiva aut volitiva revera ab essentia distinguitur. *Min. prob.* quoad *secundam partem.* Etenim intelligere et velle, cum se habeant quodammodo ad omnia suamque speciem ab objecto recipiant, induunt necessario quamdam infinitatem. Atqui esse cujuslibet creaturæ determinatum est ad unum secundum genus et speciem naturæ quam actuat, secus ac esse divinum in quo omnia infinite comprehenduntur. Ergo in solo Deo esse est ipsum intelligere et velle, quemadmodum in eo tantum essentia, potentia atque operatio identificantur [1].

Conclusio 2ª.—IN ANGELIS ESSE NON POTEST INTELLECTUS AGENS ET POSSIBILIS, NISI ÆQUIVOCE.

Prob.—Necessitas ponendi intellectum possibilem in nobis provenit ex eo quod invenimur quandoque intelligentes in potentia et non in actu ; necessitas autem admittendi intellectum agentem ex eo ducitur, quia naturæ rerum materialium, quas nos intelligimus, non subsistunt extra animam ut immateriales et intelligibiles actu, sed tales fiunt per aliquam virtutem propriam animæ rationalis, cui naturaliter intelligibilia hujusmodi proportionantur. Atqui Angeli non sunt

1—Cf. Cajet. *Comt.* in h. l.

quandoque intelligentes in potentia tantum respectu eorum quæ naturaliter intelligunt ; neque hæc sunt intelligibilia in potentia, sed in actu : siquidem primo et principaliter intelligunt res immateriales. Ergo non potest in Angelis esse intellectus agens et possibilis.

Uterque tamen *æquivoce* poterit admitti, scilicet secundum quamdam analogiam. Nam intellectûs agentis est illuminare, non quidem alium intelligentem, sed intelligibilia in potentia, in quantum per abstractionem facit ea intelligibilia in actu ; ad intellectum autem possibilem pertinet esse in potentia respectu naturalium cognoscibilium et quandoque fieri in actu. Jam vero Angelus illuminat Angelum, nec non illuminatur de supernaturalibus mysteriis ad quæ cognoscenda quandoque est in potentia. Ergo, non proprie, verum analogice poterit uterque intellectus seu melius utraque intellectus habitudo, activa et passiva, *agentis* et *possibilis* appellatione nuncupari.

ARTICULUS II.

De medio cognitionis angelicæ.

(I, Q. LV)

Nomine *medii* hic intelligimus *species intelligibiles* quibus mediantibus objecta attingi possunt secundum propriam suam rationem.—Dato quod Angeli non solum seipsos sed et alia cognoscant, tria inquiruntur circa illas species : *num sint* in Angelis medium cognitionis, *undenam* et *quales* sint.

Conclusio 1ª. — ANGELUS PER SUAM ESSENTIAM NON POTEST OMNIA COGNOSCERE, SED AD HOC INDIGET SPECIEBUS SUPERADDITIS.—Hæc est sententia *communissima.*

Prob.—Medium cognitionis se habet veluti forma intellectus. Nulla autem forma complete perficit aliquam potentiam nisi contineat omnia ad quæ se extendit potentia illa ; v. g in rebus corruptibilibus forma non perfecte complet materiæ potentiam, quia hæc ad plura se extendit quam contineantur in una vel altera forma. Atqui, cum objectum intellectus

sit ens vel verum commune, intellectiva potentia Angeli se extendit ad omnia: ipsa autem essentia angelica, utpote determinata ad genus et ad speciem, nullatenus omnia in se comprehendit. Ergo impossibile est ut Angelus per suam essentiam omnia cognoscat, sed oportet intellectum ejus aliquibus speciebus perfici ad res cognoscendas. — Poterit equidem, quatenus ea quæ sunt supra vel infra ipsum aliqua communi et inadæquata ratione in ipso continentur, illa in speculo suæ essentiæ *imperfecte* deprehendere, non tamen perfecte secundum proprias eorum differentias. Solius Dei est omnia in seipso perfecte cognoscere in quo, tanquam in prima, perfecta et universali causa a qua procedit quidquid est in rebus proprium vel commune, cuncta simpliciter et unite præhabentur.

Conclusio 2ª.—SPECIES ANGELORUM NON SUNT A REBUS ACCEPTÆ, SED EIS A DEO INDITÆ IDEOQUE CONNATURALES.—Ita *communissime* catholici doctores contra paucos qui censuerunt præfatas species accipi a rebus, vel singularibus (Alex. Alensis), vel saltem materialibus (Scotus).

Prob. 1º *auctoritate.*—(Ezech. XXVIII,12) in persona regis Tyri dicitur lapso Angelo: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia et perfectus decore.* Et infra: *Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ.* Jam vero *perfectus* et *plenus sapientia* non fuisset *a die conditionis suæ*, si speciebus intelligibilibus carens ab initio eas postea debuisset acquirere. Ergo.—*S. Dionysius* (de Div. Nom. c. 7): "Angeli, inquit, non congregant divinam cognitionem a rebus divisibilibus aut a sensibilibus." Quibus consona sunt *Augustini* verba (II super Gen. c. 8).

Prob. 2º *ratione.—a)* Rerum creatarum *ordo* exigit ut, sicuti in materialibus, ita etiam in spiritualibus gradata quædam perfectionum distributio servetur. Atqui in genere substantiarum intellectualium inferiores sunt, nempe animæ humanæ, quarum potentia naturaliter vacua successive completur per species intelligibiles a rebus abstractas. Ergo congruum est ut in substantiis ejusdem generis sed superioribus, i. e. in Angelis, potentia intellectiva sit naturaliter speciebus ornata, quibus intelligant quæcumque sint sibi proportionata. —Id ipsum *b)* clarius apparet ex ipso *modo essendi* hujusmodi substantiarum. Illas enim substantias oportet consequi a corporibus et per corpora perfectionem suam intelligibilem

quarum esse affine est corpori, in quantum sunt corporum formæ : qualiter se habere animas humanas novimus. Atqui substantiæ superiores sunt a corporibus totaliter absolutæ, immaterialiter et in esse intelligibili subsistentes. Ergo perfectionem suam intelligibilem consequuntur per intelligibilem effluxum quo a Deo simul cum natura species rerum cognoscendarum acceperunt. Unde non solum *de facto* Angelus non abstrahit a rebus species, quibus non eget, verum id etiam *impossibile* reputat S. Thomas, dicens : " Quantumcumque sit potens intellectus angelicus, non posset formas materiales reducere ad esse intelligibile nisi prius reduceret eas ad esse formarum imaginatarum ; quod est impossibile, cum careat imaginatione."

Conclusio 3ª.—SPECIES QUIBUS ANGELI INTELLIGUNT UNIVERSALES SUNT, ET EO UNIVERSALIORES QUO ANGELI SUNT SUPERIORES.

Species *universales* hic dicuntur *quæ multa repræsentant*, eo universaliores quo plura sub se contineant non solum in communi et confuse, sed in particulari et distincte.

Prob. utraque pars conclusionis.—Quanto ens creatum in ordine intellectuali propinquius est et similius Deo, tanto per species et pauciores et universaliores intelligit. Atqui Angeli in ordine intellectuali sunt Deo propinquiores et similiores quam homines, et Angeli superiores quam inferiores. Ergo. *Min.* est certa. *Prob. Maj.* Creatura eo magis assimilatur Deo in ordine intellectuali quo magis participat perfectiones divinas in illo ordine. Atqui summa est Dei perfectio quod cuncta intelligat per unum medium, nempe per suam essentiam quæ vices gerit speciei intelligibilis. Ergo.

Hujus rei *indicium* experimur in nobis. Sunt enim quidam, intellectu debiles, qui veritatem intelligibilem capere non possunt nisi particulatim seu per singula sibi explicetur ; alii vero ingeniosiores ex paucioribus principiis et absque distincta singulorum propositione quam multa valent percipere. Non dissimili graduum proportione angelica cognitio regitur.

ARTICULUS III.

De objecto immateriali angelicæ cognitionis.

(I, Q. LVI)

1° Objectum adæquatum intellectus creati duplex est: *extensivum* atque *intensivum* seu proportionatum. *a)* Extensivum dicitur quod potentia potest attingere vel per proprias vel saltem per additas vires, atque cum pro nobis tum pro Angelis est ens in tota sua latitudine acceptum. *b)* Intensivum vero illud est quod potentia propriis viribus, absque additione alterius virtutis, attingere valet: quod quidem vel *materialiter* seu in esse rei, vel *formaliter* aut in esse objecti et secundum lumen sive rationem sub *qua* cognoscitur potest considerari.

2° Primo modo inspectum, objectum intensivum intellectus Angelorum complectitur non solum res *immateriales* naturaliter sumptas, maxime ipsam substantiam angelicam, verum secundario etiam res *materiales;* formaliter vero, nihil aliud est quam proprius immaterialitatis gradus cuique Angelo cognoscenti conveniens, ex quo cognitio omnium sibi proportionatorum quodammodo mensuratur.

3° Præsens articulus versatur circa res *immateriales* quas Angelus virtute sua cognoscit quæque sunt vel cognoscens ipse, vel alter Angelus, vel Deus. Rerum autem materialium, de quibus videtur gravior esse difficultas, consideratio in aliam quæstionem secernetur.

Conclusio 1ª.—ANGELUS SEIPSUM COGNOSCIT PER SUAM SUBSTANTIAM GERENTEM VICES SPECIEI INTELLIGIBILIS.

Quod Angelus seipsum cognoscat nemini dubium est; unde assumitur sub hac conclusione principaliter determinandus modus proprius talis cognitionis.

Probatur assertum.—Quod, in genere intelligibilium, se habet ut forma intelligibilis subsistens intelligit seipsum per seipsum quin indigeat specie sibi impressa. Atqui Angelus ex sua immaterialitate obtinet ut sit forma subsistens actu intelligibilis. Ergo. *Maj.* declaratur. Etenim cognitio fieri non potest nisi *a)* objectum uniatur potentiæ, atque *b)* sit actionis formale principium. Quod autem *c)* potentia movea-

tur ab objecto per receptam speciem, aut quod *d)* hæc species informet intellectum per modum inhæsionis *per se* non requiritur ad intellectionem, sed accidit ei in quantum intelligens est in potentia atque species illa ad genus accidentis pertinet. Unde si quid in genere intellectivo se habeat ut forma intelligibilis subsistens, nihil prohibet quin tale ens seipsum cognoscat per suam substantiam vices gerentem speciei intelligibilis. Id de Angelis nunc concludimus.

Neque *objiciatur* animam humanam intellectui unitam esse, tamen non intelligi ab eo per seipsam.—Anima enim nostra in hoc statu conjunctionis ad corpus dependet in cognoscendo a phantasmatibus, ita ut non sit præsens suo intellectui *in ratione objecti intelligibilis* nisi per speciem haustam a sensibus.

Conclusio 2ª.—UNUS ANGELUS ALIUM COGNOSCIT, NON TAMEN PER SOLAM PROPRIAM ESSENTIAM.

Prob. utraque pars.—Juxta Augustinum (II super Genesim, c. 8), " ea quæ in Verbo Dei ab æterno præexstiterunt dupliciter ab eo fluxerunt : uno modo in intellectum angelicum ; alio modo ut subsisterent in propriis naturis." In intellectum autem angelicum processerunt per hoc quod Deus menti angelicæ impressit similitudines rerum, quas in esse naturali produxit. Atqui in Verbo Dei ab æterno exstiterunt non solum rationes rerum corporalium, sed etiam rationes spiritualium creaturarum. Ergo harum omnium propriæ rationes Angelis singulis a Deo impressæ sunt.—Tamen unicuique Angelo indita est ratio propriæ speciei secundum esse naturale et intellectuale simul, ita ut in natura speciei suæ subsisteret et se per eam intelligeret ; aliarum vero naturarum tam spiritualium quam corporalium rationes sunt ei impressæ secundum esse intellectuale tantum, ut videlicet per has repræsentativas species tam corporales quam spirituales creaturas modo suo cognosceret.

Hinc *deducitur* Angelum inferiorem posse intelligere naturam superioris, non tamen naturaliter comprehendere, eo quod mente non adæquat cognoscibilitatem ejus saltem intensivam [1].

1—Cf. Billuart, Tract. *de Angelis*, Diss. III, a. 3.

Conclusio 3ª.—ANGELI ALIQUAM COGNITIONEM DE DEO HABERE POSSUNT PER SUA NATURALIA.

Prob. 1º *arg. a fortiori.*—Angeli sunt potentiores in cognoscendo quam homines. Atqui homines per sua naturalia Deum aliqualiter cognoscere possunt, juxta illud (Rom. I, 19) : *Quod notum est Dei manifestum est in illis.* Ergo multo magis Angeli.

2º Tripliciter aliquid cognoscitur : *uno modo* per præsentiam suæ essentiæ in cognoscente, velut si lux in oculo videatur : quo modo Angelus seipsum intelligit; *alio modo* per præsentiam suæ similitudinis in vi cognoscitiva, v. g. speciei lapidis in oculo ; *tertio modo* per hoc quod similitudo rei cognitæ non accipitur immediate ab ipsa, sed ab alia in qua resultat, sicut videmus hominem in speculo.—Jam vero *a)* primo cognitionis generi illa assimilatur qua Deus videtur per suam essentiam, et hæc creaturæ convenire nequit per sola naturalia. *b)* Tertio generi assimilatur cognitio qua nos in via Deum attingimus per similitudinem ejus in creaturis refulgentem; nam (Rom. I, 20) *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur* ; unde et dicimur Deum videre in speculo. *c)* Cognitio autem, qua naturaliter Angelus Deum cognoscit, aliquid participat de secunda et de tertia : de *secunda* quidem, in quantum essentia Angeli cognoscentis est veluti species Dei repræsentativa et ab eo accepta ; de *tertia* autem, imo et maxime, quia hæc species, sicuti quævis similitudo creata, insufficiens est ad repræsentandum Deum ea eminenti ratione qua formaliter in se constituitur. Unde potius angelica natura, cæterarum creaturarum instar, comparanda est speculo in quo aliqualiter imago Dei relucet.

Ex hoc manifestum est Angelos non posse Deum distincte cognoscere, sed *confusa* tantum et imperfecta ratione.

ARTICULUS IV.

De modo cognitionis angelicæ.

(I, Q. LVIII)

Modus iste considerari potest vel ex parte *potentiæ* cognoscitivæ, vel ex parte *objecti* cogniti, vel ex parte *operationis*, vel tandem quoad *conformitatem* inter cognoscentem et rem cognitam.—Insuper abs re non erit distinguere cum Augustino quod ipse vocat cognitionem *matutinam* et *vespertinam*. Matutina enim dicitur, quippe quæ clarior, illa cognitio qua Angeli per gloriæ lumen res vident in Verbo; vespertina vero, qua per species sibi inditas cognoscunt res in seipsis.

Conclusio 1ª.—ANGELI NATURALIA AUT ACTU AUT HABITU SEMPER CONSIDERANT, NON VERO SUPERNATURALIA REVELATIONE COGNOSCIBILIA; QUÆ AUTEM IN VERBO VIDENT IMMUTATO ACTU COGNOSCUNT.

1ª *Pars*.—Angelorum talis perfectio est ut secumferant ab ortu creationis omnes intelligibiles species sibi connaturales.—Non tamen eis semper uti coguntur, sed, prout libuerit, ad objecta applicant. Excipitur natura Angeli cognoscentis quæ, quum sit intime præsens ejus intellectui eumque semper actu informet, ab ipso etiam semper intelligitur [1].

2ª *Pars*.—Quantum ad ea quæ eis divinitus revelantur, nihil prohibet intellectum Angelorum esse in potentia tum ad actum tum ad habitum cognitionis.

3ª *Pars*.—Quæ vident intuendo Verbum actu continuo ab eis prospiciuntur. Nam in hac visione consistit suprema eorum beatitudo; beatitudo autem, utpote ultima mentis perfectio, non in habitu, sed in actu collocanda est.

Conclusio 2ª.—ANGELI NON POSSUNT SIMUL PLURA, UT PLURA, INTELLIGERE, SED EA DUMTAXAT QUÆ SE HABENT PER MODUM UNIUS.

Plura intelligi possunt, vel seorsim *ut plura* omnino disparata et per diversas species, v. g. homo et lapis; vel per modum *unius* ad quod referuntur et per unam speciem, v. g. partes domus.

1 Cf. *de Veritate*, Q. VIII, a. 14 ad 6; C. G., l. II, c. 97.

Prob.—Plura ut plura non possunt attingi nisi per plures actus omnino diversos ac disparatos. Atqui implicat unam potentiam simul terminari pluribus actualitatibus totalibus et disparatis, sicuti implicat unam lineam terminari pluribus punctis. Ergo.—Tamen quæcumque per unam speciem et per modum unius cognosci possunt simul attingi minime repugnat; unde Angeli quæ in Verbo vident matutina cognitione eodem actu cognoscunt; pariter omnia illa simul possunt intelligere quæ una innata specie cognoscuntur, non autem alia.—Actus autem quibus Angeli simul intelligunt Deum, seipsos et aliquid aliud a se ideo non sunt incompossibiles, quod connexi et sibi invicem subordinati sunt [1] ratione specierum repræsentativarum.

Conclusio 3ª.—ANGELUS NEQUE PER DISCURSUM NEQUE PER COMPOSITIONEM ET DIVISIONEM FORMALEM INTELLIGIT.

a) Tres sunt humanæ mentis operationes : simplex *apprehensio, compositio et divisio*, atque *discursus*.—*b)* Discursus autem (idem dic de compositione et divisione) alius est *formalis*, quo ex aliquo prius noto devenimus in cognitionem posterius noti secundum duplicem actum cognoscitivum, alius *virtualis* quo mens uno actu eminentiori simul attingit causam et effectum, principia et conclusiones.—*c)* Formalis hic negatur contra Scotum, Molinam, Suarezium etc, non vero virtualis.

Prob. 1ª *pars* concl :—1º ex *loquendi usu*. Dicuntur enim homines creaturæ *rationales*, Angeli autem naturæ *intellectuales* quasi intus legendo, sine ratiocinio, omnia cognoscant ;—2º ex *perfectione angelica*. Gradui naturæ proportionatur operandi modus. Atqui animæ humanæ, cum sint inferioris conditionis, non possunt, cognito principio, statim omnes conclusiones in eo contentas deprehendere : unde eis ratiocinari opus est. Ergo Angeli, quorum conditio superior est, quique propterea plenitudinem habent intellectualis luminis, non egent discursu, sed statim intuendo principium quidquid ex eo syllogizari possit clare percipiunt.

Prob. 2ª *pars*.—Ex eo provenit in judiciis nostris compositio et divisio quod non statim, apprehensa quiddidate

1—Cf. Cajetani *Comt.* in hunc locum.

subjecti, notitiam capiamus eorum omnium quæ possunt subjecto tribui aut ab eo removeri. Atqui, ut dictum est, Angelorum mentes perfusæ sunt claritate intellectualis luminis. Ergo uno conspectu confestim videntes quidquid ad subjectum pertineat vel non, non componunt neque dividunt, sed compositionem vel divisionem objective sumptam prima apprehensione intelligunt.

Conclusio 4ª.—PER SE IN ANGELO FALSITAS ESSE NON POTEST, PER ACCIDENS TAMEN ANGELI MALI INTELLECTUM AFFICIT.

Prob. 1ª *pars.*—In simplici rerum apprehensione, falsitas inficit intellectum nostrum non per se, sed *per accidens* ratione alicujus admixtæ compositionis, vel cum definitionem unius rei accipimus ut definitionem alterius, vel cum partes definitionis sibi non cohærent, v. g. animal quadrupes volatile. Atqui Angeli non intelligunt discursu aliquo nec componendo et dividendo, sed simul apprehendunt quid est res et omnes enunciationes ad illam rem pertinentes de omni eo quod naturaliter ipsi convenit vel ab ipsa removetur, non autem quæ a supernaturali Dei ordinatione pendent. Ergo, saltem quoad *naturalia*, nec per se nec per accidens potest in Angelis esse falsitas.

Decl. 2ª *pars.*—Quantum vero ad *supernaturalia*, non quidem boni, sed mali Angeli decipiuntur quatenus, ex pravitate suæ voluntatis a divina sapientia remoti eamque non attendentes, absolute interdum de rebus judicant (judicio virtuali, non formali) secundum naturalem conditionem, puta si videntes hominem mortuum judicent eum non resurrecturum, vel videntes hominem Christum judicent non esse Deum. Quod Angelis bonis accidere non potest qui semper judicant, salva dispositione divina.

QUÆSTIO QUARTA

DE ANGELORUM COGNITIONE RESPECTU RERUM MATERIALIUM

Quæstio hæc ob intimum quem habet nexum cum aliis quæstionibus de actione Angelorum in homines fusiori calamo exponenda suscipitur.—Quinque inquirenda sunt. Etenim materialia considerari possunt 1° confusim (art. 1), 2° speciatim. Hoc sub respectu, vel sunt materialia singularia et præsentia (art. 2) vel tantum futura (art. 3) ; vel sunt spiritualia juncta materialibus quæ sive a voluntate hominis (art. 4) sive a voluntate Dei pendent (art. 5). En totus processus.

ARTICULUS I.

Utrum Angeli cognoscant res materiales.

Materialia accipimus *communi* ratione et maxime quoad naturam.—Eorum vero non quæcumque, sed *perfecta* cognitio Angelis tribuenda est.

Conclusio.—ANGELI MATERIALIA COGNOSCUNT PER SPECIES INTELLIGIBILES.

Id 1° certo deducitur ex verbis *Scripturæ*. Legitur enim (Heb. I, 14) : *Omnes sunt administratorii spiritus;* quod quidem intelligendum est de gubernatione mundi et hominum. Jam vero non ea, qua par est, sapientia et prudentia possent Angeli in gubernatione rerum munus suum implere nisi propriam illarum rerum naturam perspectam haberent. Ergo.

Idipsum 2° probatur, tum per causam remotam et demonstratione *quia*, tum per causam propriam et demonstratione *propter quid*.

a) Quidquid potest inferior virtus potest et superior. Atqui intellectus hominis, qui est ordine naturæ infra intellectum

Angeli, potest cognoscere res materiales. Ergo multo magis intellectus Angeli.

b) Præterea talis est ordo in rebus ut superiora in entibus sint perfectiora inferioribus, in quantum eminenter et per quamdam totalitatem et simplicitatem continent quidquid in inferioribus deficienter et partialiter et multipliciter invenitur. Atqui in summo rerum vertice eminet Deus; Angeli autem inter cæteras creaturas sunt Deo propinquiores et similiores. Ergo omnia materialia in Deo præexistunt secundum suum esse simplex; in Angelis autem simplicius quidem et immaterialius quam in ipsis rebus, multiplicius autem et imperfectius quam in Deo. At vero quod est in aliquo est in eo per modum ejus. Ergo cum Angeli sint naturâ suâ et actu intellectuales, materialia cognoscunt, non quidem ut Deus per suam essentiam, sed per species intelligibiles sibi naturaliter inditas.

Solv. obj.—Obj. 1.— Intellectum est perfectio intelligentis. Atqui materialia non possunt perficere Angelos, cum sint infra ipsos. Ergo Angeli ea non cognoscunt.

Resp. *D. M:* Intellectum principale, *C;* secundarium, *S.d:* ut res, *N;* ut intellectum et per speciem intelligibilem, *C.*—*C.d.m:* secundum esse reale, *C;* secundum esse quod in Angelis habent intelligibiliter, *N.*—*Neg. conseq.*

1° Quod specificando maxime perficit intellectum non est objectum mere *secundarium*, qualia sunt materialia respectu Angelorum, sed objectum *principale* cui intellectus quodammodo commensuratur. — Præterea 2° res intellecta perficit intelligentem, non secundum esse suum *reale*, sed secundum esse *intelligibile* quod habet in cognoscente per speciem intelligibilem. Unde per species rerum materialium a Deo receptas, minime per res ipsas, Angeli perficiuntur.

Obj. 2.—Visio intellectualis est eorum quæ sunt in anima per suî essentiam (August. 12 super Gen.). Atqui res materiales non possunt esse in anima hominis vel in mente Angeli per suas essentias. Ergo.

Resp. *D. M:*...quæ sunt in anima per suî essentiam vel realiter vel repræsentative, *C;* realiter tantum, *N.*—*C.d.m:* ...non possunt esse in anima vel in mente angelica realiter, seu eo modo quo sunt in seipsis, *C;*...repræsentative, seu per formam qua essentialiter menti objiciuntur, *N.*— ***Neg.*** *Conseq.*

OBJ. 3.—Res materiales non sunt intelligibiles actu, sed tales fiunt abstractionis operâ, præsupposito ministerio sensuum et imaginationis. Atqui nec sensus nec imaginatio in Angelis sunt. Ergo.

RESP. *D. M*:... tales fiunt opera abstractionis in iis qui non habent species connaturales, *C*; in eis qui habent hujusmodi species, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

ARTICULUS II.

Utrum Angelus cognoscat singularia.

Quæstio instituitur de materialibus, non in genere, sed in specie sumptis; et quia aliud est cognoscere naturam alicujus rei, aliud vero rem illam ut est *singularis* mente conspicere, primo jam discusso, alterum nunc in controversiam vocatur.—Simul tractabitur tum de *facto*, nempe quod Angeli singularia cognoscunt, tum de *modo* quo hæc cognitio illis convenit.

Inter eos qui Angelis omnino subtraxerunt singularium cognitionem recensetur *Averroes.—Alii* autem, licet non verbo, re tamen negarunt eamdem cognitionem, dicendo Angelos singularia videre in causis universalibus.

Conclusio.—CERTUM EST DE FIDE ANGELOS COGNOSCERE SINGULARIA MATERIALIA.

Prob. 1° *ex Scriptura.—a)* Nullus potest custodire quod non cognoscit. Atqui Angeli custodiunt homines singulares, juxta illud (Ps. XC, 11): *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Ergo.—Item *b)* juxta fidem, hæc inferiora administrantur per Angelos, siquidem *omnes sunt administratorii spiritus* (Heb. I). Atqui si singularium notitiam non haberent, nullam providentiam exercere possent circa ea quæ in hoc mundo aguntur, cum actus sint singularium. Ergo.—Hinc *c)* plura *facta* in Scripturis leguntur quæ singularium cognitionem ex parte Angelorum necessario supponunt, puta quod diabolus seduxerit mulierem, quod Angelus percusserit primogenitos Ægypti vel eduxerit Petrum de carcere, etc.

Prob. 2° *ratione*, primo quoad *factum*, deinde quoad *modum*.

Homo diversis viribus cognoscitivis attingit omnium rerum genera; intellectu quidem (directe) universalia et immaterialia, sensu autem corporalia et singularia. Atqui hoc rerum ordo vindicat ut, quanto aliquid superius est, tanto habeat virtutem magis unitam et ad plura se extendentem, sicuti patet in ipso homine in quo sensus communis, superior sensu proprio, omnia per se percipit quæ a quinque sensibus exterioribus cognoscuntur, nec non quædam alia, ex. gr. differentiam albi et dulcis. Ergo cum Angelus ordine naturæ sit supra hominem, pronum est inferre eum posse per solum intellectum directe assequi quæ homo distinctis potentiis cognoscit.

Modus autem hujus cognitionis sic ostenditur.—Quemadmodum a Deo res effluunt ut subsistant in propriis naturis, ita etiam ut sint in mente angelica secundum species intelligibiles. Atqui creaturæ a Deo procedunt non solum quantum ad formam et naturam universalem, sed etiam quoad materiam et principia individuantia: Deus enim omnia continet, omnia efficit, omnium similitudo est tum ontologice tum logice. Ergo per species a Deo sibi inditas, veluti per multimodas unius et simplicis essentiæ divinæ repræsentationes, Angeli cognoscunt res materiales et quoad naturam et quoad ipsam singularitatem.

Opinio vero eorum qui dicunt singularia ab Angelis cognosci in causis universalibus falsa prorsus est: siquidem conclusio singularis non potest ex præmissis duci nisi altera istarum singularis sit; ex. gr. astrologus, cognoscens eclipsim futuram per computationem motuum cœlestium, nunquam eam sciet in particulari nisi prius sensu acceperit terram et lunam nunc esse in tali signo; unde concludi possit: ergo in tali anno erit talis eclipsis.

Solv. obj.—Obj. 1.—Juxta Aristotelem, sensus est singularium, ratio vero vel intellectus universalium. Atqui in Angelis sola vis cognoscitiva est intellectus. Ergo.

Resp. *D. M*:...absolute, *N*; in nobis, *S.d*: intellectus non cognoscit directe singularia, *C*; neque indirecte, *N*.—*C.m.*—*Neg. conseq.*

1° Philosophus in verbis citatis loquitur de intellectu non

quocumque, sed nostro. Nostrum est autem res intelligere per abstractionem a phantasmatibus ex quibus eruitur species intelligibilis: unde *directe* intellectus humanus non cognoscit nisi universale a materia individuali abstractum, licet *indirecte* [1] seu per quamdam continuationem mentis et imaginationis singulare attingat.—Verum 2° Angeli natura superiores sunt, quumque non intelligant abstrahendo a materia sed perfectiori modo, hinc possunt una eademque specie a Deo recepta utrumque apprehendere, tum rei quidditatem, tum singularitatem.

Obj. 2.—Omnis cognitio est per assimilationem aliquam cognoscentis ad cognitum. Atqui non videtur posse dari assimilationem Angeli ad singulare, quod tale est per materiam. Ergo.

Resp. *D. M*:...secundum speciem repræsentativam objecti, *C*; secundum naturam cognoscentis, *N*.—*C.d.m*: considerato Angelo secundum naturam, *Transeat*;...secundum speciem repræsentativam quam habet rei singularis, *N*.—*Neg. conseq.*

1° Similitudo requisita inter cognoscens et cognitum accipienda est secundum *ordinem intelligibilem*, in quo cognoscens sibi quodammodo objectum assimilat illudque compenetrat; quod quidem in Angelis, respectu singularium, conceditur propter species a Deo acceptas earumque rerum sufficienter repræsentativas.—2° Nec deest inter materialia et ipsam Angelorum naturam *aliqualis similitudo* quæ, quamvis non sit univoca, saltem analogia quadam continetur; quo modo (at perfectius) ipse Deus, cujus essentia omnia continet sive quoad formam sive quod materiam, omnium similitudinem habet.

Obj. 3.—Angelus non potest singularia cognoscere nisi vel per singulares vel per universales species. Atqui singulares essent infinitæ; universales vero nequeunt repræsentare singularia. Ergo.

Resp. *C. M.*—*D.m.* quoad 2^am^ partem: universales quæ sint adæquatæ, *C*; quæ sunt excellentes, *N*.—*Neg. conseq.*

Angeli cognoscunt singularia non per singulares, sed per universales species. Hæ autem species non sunt commen-

1—Cf. I, Q. LXXXVI, a. 1.

suratæ rerum principiis universalibus, sed tum universalia tum individualia principia, pro sua excellentia seu eminentia, simul repræsentant.

ARTICULUS III.

Utrum Angeli cognoscant futura.

1º Singularium alia sunt præsentia, alia præterita et alia futura. De *præsentibus* diximus.—Quoad *præterita*, illa, juxta Billuart, ab Angelis cognoscuntur quæ vel in memoria, si prius cognita sint, vel in mundo aliquod suî vestigium reliquerunt.—Verum heic quæstio proponitur de *futuris*.

2º Dubium est an Angeli *naturali* virtute futura cognoscant; eos enim plura contingentia et libera prænoscere per revelationem aut cognitionem rerum in Verbo, secundum quod sua perfectio vel ratio sui ministerii postulaverit, negari non potest.

3º Futurum dupliciter cognitioni subest: primo *in causa*, secundo *in seipso*.

Conclusio 1ª.—FUTURA IN CAUSIS CONSIDERATA CERTO AB ANGELIS COGNOSCI POSSUNT, SI NECESSARIA SINT; CONJECTURALITER, SI PLERUMQUE EVENIANT; NULLATENUS VERO, SI SINT STRICTE CONTINGENTIA.

Prob. 1ª *pars.*—Quod est in causa sua determinatum determinatæ ac certæ mentis cognitioni fundamentum præbet. Atqui effectus necessarii, v. g. cras solem oriri, sunt in causis determinati. Ergo.

Prob. 2ª *pars.*—Quæ ex causis ut in pluribus proveniunt non sunt omnino indeterminata, sed plus minusve ordinem ad unum dicunt. Atqui talia sunt de quibus mens conjicit; v. g. medicus, præ oculis habens varia indicia, ex his dignoscere potest statum infirmi. Ergo hic modus cognoscendi futura Angelis convenit, et tanto perfectius quanto universalius atque intimius rerum causas perspicere valent.

Prob. 3ª *pars.*—Quæ in causis nullam prorsus determinationem habent nullatenus cognosci possunt. Atqui hujusmodi

sunt stricte contingentia, ut libera et casualia. Ergo nec ab Angelis ea cognosci possunt.—Tamen quædam sunt *casualia quoad nos* quæ, respectu angelicæ mentis plura et perfectius ab alto prospicientis, necessario eveniunt.

Conclusio 2ª.—FUTURA IN SEIPSIS INSPECTA CAPTUM ANGELORUM PRORSUS EXCEDUNT.—Id *de fide* vel proximum fidei est.

Prob. 1º *ex Scriptura.*—Quod est proprium Divinitatis signum non convenit Angelis. Atqui cognitio futurorum Deo veluti quidpiam proprium in Scripturis tribuitur (Is. XLI, 23): *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos.* Ergo.

Prob. 2º *ex Patribus.*—*Tertullianus* (Apologet. c. 20) ait : " Idoneum, opinor, testimonium Divinitatis, veritas divinationis. " Et *S. Joan Chrys.* (Hom. 18 in Joan) : " Certa prædictio futurorum immortalis Dei dumtaxat opus est. "

Prob. 3º *ratione.*—Ille solus potest omnia futura contingentia, cujuscumque generis sint, in seipsis videre, cujus intellectus, ambiens omnes temporis differentias, cuncta velut sibi præsentia conspicit. Atqui hujusmodi est Deus, nequaquam vero Angelus. Ergo. *Minor* apparet ex eo quod Dei cognitio æternitate mensuratur quæ, quum sit simplex, toti tempori adest et ipsum concludit. Angelus autem et quælibet creatura deficit ab æternitate divina ; unde non potest ab aliquo intellectu creato cognosci futurum ut est in suo esse.

Solv. obj. (contra 2ªᵐ concl.).—OBJ. 1.—Angeli potentiores sunt in cognoscendo quam homines. Atqui homines aliqui cognoscunt futura multa. Ergo multo magis Angeli.

RESP. *C. M.—D. m :...* in seipsis, *N ;* in causis, vel Deo revelante, *C.—Neg. conseq.*

OBJ. 2.—Præsens et futurum sunt differentiæ temporis. Atqui intellectus Angeli, utpote ævo mensuratus, est supra tempus. Ergo indifferenter præsens et futurum attingit.

RESP. *C. M. —D. m :...* quoad esse suum, *C ;* quoad suas conceptiones, *S.d :* est supra tempus continuum, *C ;* supra tempus discretum, *N.—Neg. conseq.*

1º Esse Angelorum, cum sit immutabile, mensuratur *ævo* quod est medium inter æternitatem et tempus [1]. — At

1—Cf. I, Q. X, a. 5.

2° eorum intellectiones atque volitiones, quæ sibi succedunt, mensurantur *tempore*, non quidem continuo, quod corporalibus motibus convenit, sed *discreto*: hoc enim nihil aliud est quam numerus transcendentalis prioris et posterioris in motibus spiritualibus. Unde dixit *Augustinus* (7 super Gen.): "Deus movet spiritualem creaturam per tempus."—Ex hoc 3° intelligitur Angelos non posse ea quæ aguntur per totum tempus simul apprehendere, sed in illis cognoscendis legi successionis subesse.

Obj. 3.—Angelus non cognoscit per species a rebus acceptas, sed per species innatas universales. Atqui hæ species æqualiter se habent ad præsens et futurum. Ergo.

Resp. *C. M.—D.m* :...quantum est de se, *C*; ex parte rerum quæ repræsentantur, *N.—Neg. conseq.*

Licet Angelorum species, quantum est *de se*, æqualiter se habeant ad præsentia et futura, tamen præsentia et futura non æqualiter se habent ad species. 1° Quemadmodum ideæ divinæ successive causant individua materialia, ita species ab illis ideis derivatæ in Angelos petunt repræsentare eadem individua successionis modo, seu quando sunt, non autem quando non sunt.—Hinc 2° hujusmodi species sunt repræsentativæ omnium singularium *in actu primo*, non autem ea repræsentant *in actu secundo* nisi quando existunt; existentia enim est conditio seu fundamentum assimilationis inter cognoscentem et rem cognitam.—3° Sequitur (ita Cajetanus) non per mutationem speciei, sed objecti, Angelum cognoscere aliquod singulare quod prius nesciebat.

Obj. 4.—Sicut aliquid dicitur distans secundum tempus, ita secundum locum. Atqui Angeli cognoscunt distantia secundum locum. Ergo.

Resp. *D. M* :...quoad genus distantiæ, *C*; quoad distantiæ modum, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

Distantia secundum locum in rerum natura existunt proindeque habent unde assimilentur speciebus angelicis: quod de futuris dici nequit.

Obj. ultima præcaveri potest, advertendo *dæmones* interdum futura quædam contingentia prænuntiare, *a)* sive quia, Deo sic disponente, illa discunt ab Angelis bonis cognitione Verbi aut revelatione instructis; *b)* sive quod ea cognoscunt ex revelationibus factis aliquibus sanctis quas vel audiunt

vel scriptas adspiciunt; *c)* sive quia ea prædicunt quæ ipsi facere constituerunt; *d)* sive demum quod illa per probabilem conjecturam assequuntur multo melius quam homines.

ARTICULUS IV.

Utrum Angeli cognoscant cogitationes cordium.

Disputatio procedit de mere materialibus ad quædam spiritualia materialibus conjuncta.—Titulus intelligendus est de *operationibus liberis* sive formaliter ut actus voluntatis sive radicaliter atque extrinsece ut actus intellectus.— Insuper quæritur de secretis cordium tum *angelicorum* tum *humanorum*.

Porro cogitatio cordis dupliciter cognosci potest: *uno modo* in suo effectu, *alio modo* in seipsa. Unde duo statuenda sunt.

Conclusio 1ª.—COGITATIONES CORDIUM QUANDOQUE POSSUNT PER SUOS EFFECTUS AB ANGELIS COGNOSCI.

Etenim 1º ipsi homines hanc cognitionem per effectus sibi comparant: ergo *a fortiori* concedenda est Angelis.

2º Manifestantur secreta cordium, tum per opera exteriora quorum causa est in intellectu et voluntate, tum per immutationem quæ in phantasia vel in motibus appetitus sensitivi ex influxu partis superioris resultat. Jamvero Angeli sive boni sive mali facultatem habent has immutationes occultas corporis perpendendi et externa quæque percipiendi. Diverso igitur cognitionis gradu, pro diversitate illorum effectuum, possunt quandoque per hæc signa sensibilia cordium cogitationes deprehendere [1].

3º Id confirmant *Augustini* verba (l. de Divinatione dæmonum, c. 5): " Aliquando hominum dispositiones non solum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cum signa quædam in corpore exprimuntur ex animo, tota facilitate perdiscunt."

1—Cf. *de Malo*, Q. XVI. a. 8.

Conclusio 2ª.—ANGELI NATURALITER NON POSSUNT COGNOSCERE SECRETA CORDIUM, SECUNDUM QUOD SUNT IN SEIPSIS. —Dico *naturaliter*; manifestum est enim Deum posse ea revelare. Veritas hæc de fide vel *fidei proxima* est, quamvis Durandus aliter sentierit.

Prob. 1° *ex Scriptura*; ubi proprium Dei asseritur cognoscere cogitationes cordium. (2 Paral. VI, 30): *Tu solus nosti corda filiorum hominum.* (Jerem. XVII, 9-10): *Pravum est cor hominum et inscrutabile, quis cognoscet illud?... Ego Dominus scrutans cor et probans renes.*—Hinc Evangelistæ tanquam certum divinitatis signum referunt Christum penetrasse internas adstantium cogitationes (Matth. IX, 4; XII, 25).

Prob. 2° *ex Patribus.*—*S. Ambrosius* (in Luc. l. 5): "Dominus, inquit, volens salvos facere peccatores, occultorum cognitione Deum se esse demonstrat." Cui concordat *S. Joan. Chrysost.* (Hom. 30 in Matth.): "Non solum peccata dimisit, sed occulta etiam cordium, quæ nosse solius Dei est, manifestavit."

3° En *ratio.* [1]—Quæ a sola voluntate libera et a Deo pendent, seclusa quavis dependentia a causis naturalibus aut connexione cum illis, hæc ab Angelis non sunt naturaliter cognoscibilia sed solum ab ipso volente et a Deo cui voluntas creata subjacet. Atqui actus liberi voluntatis et intellectus pendent a sola voluntate et a solo Deo, seclusa quavis dependentia a causis naturalibus seu connexione cum illis. Ergo. *Minor* constat, quia voluntas sui juris est ita ut solus Deus, quippe principium et finis ejus, possit effective atque finaliter intime eam movere. *Major prob.* Ea enim Angeli per species innatas cognoscere debent quæ naturalis rerum ordo patere præscribit. Atqui creaturarum ordo postulat ut quæ naturalia sunt publice innotescant; quæ autem voluntaria, libero cujusque et Dei tantum arbitrio subjecta, pro volentis lubitu abscondi possint: secus enim periclitaretur indifferentia voluntatis illudque perfectum in actus proprios jus et dominium quod quisque sibi vindicat. Ergo cum Apostolo dicamus oportet: *Quæ sunt hominis nemo novit nisi spiritus hominis qui in ipso est* (1 Cor. II. 11).

1—Cf. *de Malo*, Q. XVI, a. 8.

Tamen, semel ac libere quis velit occulta sui cordis Angelis pandere, jam, sublata secreti ratione, ea publici juris fiunt statimque Angeli illa percipiunt: quod sane exigit naturalis influxus quem in homines atque in spiritus inferiores exercent.

Solv. obj. (contra 2^{am} concl.).—Obj. 1.—Juxta S. Gregorium (Mor. l. XXVIII, c. 27), in beatitudine resurgentium "unus erit conspicabilis alteri, sicut ipse sibi." Atqui resurgentes erunt similes Angelis (Matth. XXII, 30). Ergo Angeli cognoscere possunt cogitationes cordium.

Resp. *D. M* :...quoad statum gratiæ et gloriæ, *C;* quoad liberas cogitationes, *S.d :* eo sensu quod grossities corporis tunc non impediet earum cognitionem, *C ;* quasi cogitationes in se videbuntur, *N.—Transeat minor.—Neg. conseq.*

1° Dicendum est verba Gregorii intelligenda esse de *quantitate gratiæ et gloriæ* resurgentium, in quibus claritas corporis, animæ claritati proportionata, hanc manifestabit.—Si vero 2° eadem de *liberis actibus* exponi libeat, notare sufficiet cogitationem unius hominis non cognosci ab alio propter duplex impedimentum: scil. propter grossitiem corporis et propter voluntatem claudentem sua secreta. Primum autem obstaculum, impediens ne mentis affectus in lucem prodeant, tolletur in resurrectione, neque exstat in Angelis; sed secundum impedimentum post resurrectionem manebit, et hoc in Angelis esse contendimus.

Obj. 2.—Visa substantia intellectuali, videtur species intelligibilis quæ eam perficit. Atqui Angelus videt alium Angelum animamque hominis. Ergo.

Resp. *D. M* :...videtur species intelligibilis secundum se, *C ;* quantum ad usum, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

Etsi unus Angelus species intelligibiles alterius videat per hoc quod modus illarum specierum secundum majorem minoremve universalitatem proportionatur nobilitati substantiarum, haud tamen sequitur unum cognoscere quomodo alius prædictis speciebus actualiter utatur.

Obj. 3.—Ea quæ sunt in intellectu et voluntate similiora sunt Angelo quam ea quæ sunt in phantasia. Atqui quæ sunt in phantasia possunt ab Angelo cognosci. Ergo.

Resp. *D. M* :...in ordine reali, *C;* in ordine intelligibili, *N.—Transeat min.—Neg. conseq.*

Plura ad occurrendum huic objectioni animadvertenda sunt. 1° Appetitus brutalis non est dominus suorum actuum, sed impressionem alterius causæ, corporalis vel spiritualis, sequitur. Jam vero Angeli certo cognoscunt res corporales earumque naturales dispositiones. Ergo etiam cognoscere possunt quod est in appetitu et phantasia brutorum, necnon ipsorum hominum, secundum quod in istis appetitus sensitivus quandoque obedit impressioni receptæ et necessario in actum procedit.—Verumtamen 2° non oportet Angelos cognoscere motum appetitus sensitivi et apprehensionem phantasticam hominis secundum quod phantasia et appetitus libere a voluntate et ratione moventur.—3° Nec sequitur, si Angelus cognoscat quæ sunt in phantasia vel appetitu sensitivo hominis, etiam cognosci quæ habentur in mente atque voluntate; voluntas enim humana non subjacet sensitivis motibus, sed eis potest diversimode uti.—Quare 4° concludendum est in *ordine intelligibili* affectiones sensitivas, maxime vero quæ liberæ non sunt, magis proportionari intellectui angelico quam cogitationes et secreta cordium.

ARTICULUS V.

Utrum Angeli cognoscant mysteria gratiæ.

Gratiæ mysteria hic significant non quæ constituunt ipsum esse divinum, ut Trinitas, sed quæ in ordine supernaturali a sola Dei voluntate pendent.—Duplex Angelorum cognitio est: alia *naturalis, beatificans* alia qua intuentur Verbum et res in Verbo.

Conclusio 1ª.—ANGELI NATURALITER MYSTERIA GRATIÆ COGNOSCERE NON POSSUNT: quod sibi vult Angelos non posse illa mysteria per seipsos attingere, neque quoad *essentiam*, posita revelatione, neque quoad *possibilitatem* et *existentiam*, revelatione non supposita.

Conclusio videtur *fidei proxima*; quamvis *Scotus* existimaverit mysteria gratiæ, jam impleta, posse ab Angelis naturaliter cognosci, hanc vero cognitionem malis spiritibus sub-

tractam fuisse, ne istorum scientia ac malitia plura Redemptionis bona impedirent. Decrevit quidem Concil. Vatic. (Const. *Dei Filius*, c. 4): "*Divina* enim *mysteria* suapte natura intellectum *creatum* sic excedunt ut, etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant".

Prob. concl. 1° *ex S. Scriptura*, (1 Cor. II, 11): *Quæ sunt hominis nemo novit nisi spiritus hominis qui in ipso est; ita et quæ sunt Dei nemo novit nisi Spiritus Dei.* Huc etiam spectant Apostoli verba (ibid. v. 8) de Sapientia Dei: *Quam nemo principum hujus sæculi cognovit: si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Ubi principum sæculi appellatione dæmones nuncupari multorum interpretum sententia est.

2° Succurrit manifesta *ratio*.—Etenim mysteria gratiæ ex pura Dei voluntate dependent. Atqui hæc voluntas multo altior est voluntate creata, cujus constat occultos affectus ab Angelis cognosci non posse. Ergo a fortiori etc.—Neque dicatur illa mysteria fieri cognoscibilia saltem post revelationem signis confirmatam. Nam quod est *secundum essentiam* supernaturale nequit, etiam per revelationem, proportionatum reddi viribus mere naturalibus creati intellectus: obstat siquidem immutabilis rerum natura.

Conclusio 2ª.—ANGELI IN VERBO MYSTERIA GRATIÆ VIDENT; NON TAMEN OMNIA, NEC OMNES ÆQUALITER, NEQUE SIMUL.

1ª *Pars* concl. patet: nam quæ pendent ex divina voluntate in Verbo sunt tanquam in causa.

2ª *Pars* ostenditur, quia Angeli, licet videant divinam essentiam, non tamen eam comprehendunt; unde nec exhauriunt cognoscibilitatem ejus.

3ª *Pars* probatur.—Quo perspicaciores sunt Angeli, eo plura atque altiora in videndo Deo mysteria deprehendunt. Atqui superiores inter Angelos majori luminis divini abundantia fruuntur quam inferiores. Ergo.

4ª *Pars* tandem evincitur ex eo quod hæc cognitio mysteriorum gratiæ, dum complet Angelorum beatitudinem, eis quoque media obeundi proprii muneris maxime circa creaturas rationales monstrat et suppeditat. Quare quædam a principio suæ creationis cognoverunt, quædam vero postmodum et

decurrentibus sæculis pro officiorum exigentia aut opportunitate didicerunt atque nunc discunt.

Hinc si quæratur de *mysterio Incarnationis Christi*, an et quomodo fuerit ab initio revelatum Angelis, distinguendum est.—*a) Generatim* sumpta, Christi Incarnatio ab ipso creationis exordio illis revelata est, juxta verba Apost. (1 Tim. III, 16): *Apparuit Angelis illud magnum sacramentum pietatis.* Quod etiam *Augustinus* affirmat (5 super Gen. c. 19): "Sic fuit hoc mysterium absconditum a sæculis in Deo ut tamen innotesceret principibus et potestatibus in cœlestibus." Ratio est, quia tam grande mysterium veluti principium commune se habet ad quod omnia Angelorum officia habitudinem dicunt. *Omnes enim sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis* (Heb. I, 14); salus autem a Christo est.

Si vero *b)* de Incarnatione quantum ad *speciales conditiones* loquamur, sic non omnes Angeli ab initio de omnibus edocti sunt; imo etiam superiores ex illis quædam lapsu temporis tantum didicerunt, ut patet ex verbis *S. Dyonisii* (Cœl. Hier. c. 7): "Sacra Scriptura inducit quasdam cœlestes essentias ad ipsum Jesum quæstionem facientes et addiscentes scientiam divinæ ejus operationis pro nobis."

QUÆSTIO QUINTA

DE VOLUNTATE ANGELORUM

Voluntas Angelorum triplici sub adspectu considerari potest: 1° secundum se; 2° quoad actum suum, qui est dilectio; 3° secundum suum objectum. Unde materiam habes trium articulorum.

ARTICULUS I.

Utrum in Angelis sit voluntas et quænam sit.

(I, Q. LIX)

Tria sub hoc capite demonstranda veniunt: 1° an sit in Angelis voluntas; 2° quid sit; 3° qualis sit.

Conclusio 1ª.—NECESSE EST PONERE IN ANGELIS VOLUNTATEM.

Hæc veritas luculenter constat ex omnibus quæ in *Scripturis* aut in *Patrum* scriptis legimus de missione Angelorum. *Declaratur* vero sequenti processu.

In omnibus habentibus intellectum est appetitus boni universaliter apprehensi, quem dicimus voluntatem. Atqui Angeli sunt intellectuales. Ergo voluntatem habent. *Minor* nota est: *Major* ostenditur. Et sane quod insit creaturis intellectualibus appetitus boni ex eo patescit, quia omnia bonum appetunt: quandoquidem omnia profluunt a divina voluntate quæ nonnisi in bonum tendere et ordinare potest. Quædam vero inclinantur in bonum per solam naturalem habitudinem absque cognitione, sicut plantæ et corpora inanimata, et talis inclinatio vocatur *appetitus naturalis*. Alia bonum appetunt in particulari cognitum, scil. per sensus, et hic *appetitus sensitivus* vocatur. Alia tandem inclinantur

in bonum universaliter apprehensum, quod est proprium intellectus ; et hæc inclinatio, aliis perfectior, dicitur *voluntas*. Ergo.

Conclusio 2ª.—IN ANGELIS VOLUNTAS REALITER DISTINGUITUR CUM A NATURA TUM AB INTELLECTU.—Ita Thomistæ communiter.

Prob. 1ª *pars* :—1º ratione quam supra attulimus, loquendo de intellectu (Q. III, a. 1).—2º Sic : quidquid ordinatur proxime et immediate ad aliquid extrinsecum omnino differt a completa[1] rei substantia. Atqui Angelorum voluntas proxime se extendit ad aliquid extrinsecum. Ergo. *Major prob. a) A priori :* nam essentia rei intra rem ipsam comprehenditur, utpote independens tam in esse quam in sua definitione a quocumque extrinseco. *b) A posteriori :* videmus enim in sensibilibus inclinationem ad aliquid intrinsecum, qualis est habitudo materiæ et formæ ad esse habendum vel conservandum, intrinsecam esse ; inclinationem vero ad aliquid externum, qualis est gravitas, essentiæ superaddi per modum proprietatis extrinsecæ. *Minor* ostenditur ; etenim solus Deus in seipso invenit omnem boni rationem. Voluntas autem quælibet creata, cujus finis est bonum supremum et commune, non potest tantum objectum prosequi et attingere nisi extra seipsam. Ergo in creaturis voluntas non est idem ac substantia.

Prob. 2ª *pars*.—Alterius virtutis est ita agere ut objectum exterius positum constituatur intra ipsam vim agentem et alterius virtutis in rem exteriorem tendere. Atqui primum ex his tam diversis muneribus pertinet ad intellectum, aliud ad voluntatem. Ergo oportet in qualibet creatura voluntatem ab intellectu differre.

Hæc distinctio, quam in utraque conclusionis parte tenendam demonstravimus, non solum *formalis*, sed etiam *realis* est. Petitur enim ex propria rerum quidditate, neque, nisi sit specialis ratio aliunde procedens, nempe vel infinitas ut in Deo, vel essentialis ordo generationis et perfectionis ut in vegetativo et sensitivo quorum superius includit inferius et aliquid addit, ea quæ sunt formaliter distincta in unum re conveniunt. Hæc Cajetanus.

1—Cf. Cajet. *Comt.* in h. l.

Conclusio 3ª.—ANGELI LIBERTATE ARBITRII GAUDENT; quod quidem tam *fide* quam *ratione* asseritur.

Nam 1º *Scriptura* introducit Angelos quorum alii peccaverunt et pro peccatis suis puniuntur, alii meriti sunt beatificam Dei visionem: hæc autem supponunt libertatem arbitrii.

2º Notanda sunt, præ aliis *SS. Patrum* sententiis, *Damasceni* verba de Angelis (l. II, cap. 3): "Eo ipso quod rationalis est et intelligens Angelus, liberi est arbitrii;" ubi acutus Doctor tum rem ipsam tum rei rationem exprimit.

Etenim 3º dum quædam moventur sub impulsu externo, v. g. sagitta, alia vero, ut bruta animalia, ex quodam judicio a natura indito ideoque necessario; solum id quod habet intellectum potest agere judicio libero in quantum cognoscit universalem boni rationem, ex qua hoc vel illud esse bonum subindeque eligendum judicat. Atqui Angeli intelligendi virtute præstantiores sunt quam homines. Ergo et multo magis libero arbitrio potiuntur.

ARTICULUS II.

Utrum in Angelis sit dilectio naturalis et electiva.

(I, Q. LX, a. 1-2)

Actus præcipuus voluntatis est dilectio seu amor in quo omnis motus appetitivus fundatur. Expedit de illo actu quantum ad Angelos pauca delibare.

Conclusio.—NECESSE EST IN ANGELIS PONERE DILECTIONEM TUM NATURALEM TUM ELECTIVAM.

1ª *Pars* ostenditur.—At imprimis adverto amorem *naturalem* hic sumi non pro naturali inclinatione in aliquid seu pro mera aptitudine, sed pro *actu elicito* quamvis non libero saltem quoad specificationem.

Prob.—In omni substantia intellectuali invenitur naturalis inclinatio secundum voluntatem. Atqui Angelus est intellectualis naturæ. Ergo. *Major* expl. Etenim talis est rerum ordo ut prius et superius salvetur in posteriori hocque totum

cum suis proprietatibus, secundum modum ejus, intime pervadat, v. g. ens quoad omnes categorias. Ergo natura, prior intellectu, creaturæ intellectuali hoc modo illabitur. Atqui proprium est omnis naturæ, qua natura est, habere inclinationem actualem naturalem seu a Deo ipso sibi inditam et ad finem determinatam. Ergo in Angelo, quemadmodum et in homine, invenitur talis inclinatio *secundum modum ejus*, i. e. naturalis amor voluntatis.

Hæc dilectio, quippe ab ipso naturæ Auctore primitus impressa, semper recta est, sicut cognitio naturalis semper est vera.

2ª *Pars* probatur ex ipsa dilectione naturali quæ, nedum electivæ repugnet, hujusce causa existit.

Sane natura in unaquaque re primum locum obtinet; et quæ sunt naturæ necesse est esse principia aliorum, ex. gr. in homine cognitio naturalis principiorum parit, inventionis aut doctrinæ ope, scientiam conclusionum; item in voluntate appetitio finis causa est cur media ad finem appetantur. Jam vero dilectio illa naturalis, de qua locuti sumus, finem prosequitur, ob quem alia bona, creata et particularia, plus minusve diligenda videntur. Ergo ex ea tanquam ex causa dilectio electiva procedit.

Neque *objiciatur* dilectionem sequi ipsam cognitionem quam in Angelis naturalem tantum, non vero ratiocinativam esse constat.—Quod enim intellectus non statim cognoscat omnia naturaliter sibi cognoscibilia, ex imperfectione ejus provenit; quod vero voluntas aliquid naturaliter appetat ut finem, alia vero in finem ordinata per electionem velit, dependet ex rebus ipsis, non ex appetentis imperfectione. Atqui natura intellectualis perfecte in Angelis inest. Ergo cognitionem naturalem tantum habent, dilectionem vero tum naturalem tum electivam.

ARTICULUS III.

Quomodo se habeat dilectio Angelorum ad suum objectum.

(I, Q. LX, a. 3-4-5)

Objectum angelicæ dilectionis vel est ipse diligens, vel alius Angelus, vel Deus: unde tria singillatim consideranda.

Conclusio 1ª.—ANGELUS SEIPSUM NATURALITER DILIGIT.

Dilectio dici potest naturalis dupliciter: *specificative* seu ex parte objecti quod nunquam respuitur, et quoad *exercitium* actus qui nunquam interrumpitur.

1º Omnes docent Angelum diligere naturaliter seipsum saltem primo modo, quod est amor *amicitiæ;* licet amore *concupiscentiæ* bona sibi per electionem comparanda desideret.—Etenim, juxta legem experientia probatam, unumquodque naturaliter appetit consequi id quod est suum bonum. Quare et Angelus et homo quilibet naturaliter appetunt suam perfectionem. Atqui appetere suam perfectionem non est aliud quam amare seipsum. Ergo.

2º Num autem naturalis ista dilectio *semper sit in actu* dubitant nonnulli; quanquam plerique scholastici affirmant [1].—Revera Angelus cognoscit et contemplatur seipsum necessario etiam quoad exercitium. Atqui operatio voluntatis proportionatur operationi intellectus, per quam dirigitur et regulatur. Ergo sicuti in animalibus, motus cordis et pulmonum est continuus, utpote principium aliorum motuum, ita in Angelis dilectio suî nunquam ab actu desistit.

Conclusio 2ª.—UNUS ANGELUS ALIUM DILIGIT DILECTIONE NATURALI QUANTUM AD ALIQUID, NON AUTEM QUANTUM AD OMNIA.

Ratio asserti fundatur in illo (Eccli. XIII 19): *Omne animal diligit sibi simile.*—Nam unumquodque naturaliter diligit quod est sibi conjunctum unione naturali, v. g. consanguineus naturaliter diligitur; unitas autem secundum

1—Cf. Gonet, *de Angelis*, Disp. XI; S. Thom. Q. XVI, *de Malo*, a. 2 ad 6.

naturam est communitas speciei vel generis. Atqui Angeli sibi invicem assimilantur, etsi non specie, saltem genere sive proximo sive remoto. Ergo sub hoc respectu se invicem amant dilectione naturali; quoad cætera vero, dilectione libera.

Tamen cum identitas numerica major sit quam specifica aut generica, magis unus Angelus seipsum diligit quam alium.

Hæc lex mutuæ dilectionis, in naturæ convenientia fundata, viget non solum inter Angelos bonos, sed etiam inter bonos et malos.

Conclusio 3ª.—NATURALITER ANGELUS DEUM DILIGIT ET PLUSQUAM SEIPSUM.

1ª *Pars* intelligitur de amore naturali tum *specificati* tum *quoad exercitium*; sequitur vero ex prima conclusione. Impossibile enim est Angelum se amare amore necessario quoad exercitium quin simul diligat eadem necessitate Bonum supremum, a quo clare cognoscit se essentialiter pendere tanquam a proprio principio et fine.—Hoc adeo verum est ut, licet dæmones sint a Deo mortaliter aversi per peccatum, tamen eum ut Auctorem naturæ *physica* et necessaria inclinatione diligunt [1].

2ª *Pars* sibi vult Angelum diligere Deum plus quam seipsum saltem *appretiative*, si non *intensive*.—Ratio est quia in rebus naturalibus unumquodque principalius et magis inclinatur in id cujus est quam in seipsum; v. g. manus exponitur ictui absque deliberatione ad conservandum totum corpus. Atqui Angelus, sicuti quælibet creatura, totaliter Dei est, huncque nexum cum suo Auctore perfecte cognoscit. Ergo, quantum est de dilectione naturali, plus diligit Deum quam seipsum.

1—Gonet, *op.* et *loc. cit.*

QUÆSTIO SEXTA

DE PRODUCTIONE ANGELORUM SECUNDUM ESSE NATURÆ, GRATIÆ ET GLORIÆ.

Statutis omnibus quæ ad naturam, cognitionem et voluntatem Angelorum spectant, superest considerandum de eorum *exordio*. Hoc autem duo comprehendit: productionem Angelorum, et quorumdam lapsum a statu gratiæ in quo positi fuerant.

1° *a)* Angelos per creationem atque in tempore a Deo accepisse *esse naturale*, demonstratum manet post ea quæ diximus in prima Disputatione.—*b)* Pariter in comperto est ipsos non fuisse creatos post hominem neque post absolutam mundi dispositionem [1]; nam in lib. Job (XXXVIII, 7) *filii Dei* (scil. Angeli) exhibentur admirantes opera ejus, dum fundamenta universi jaceret.—*c)* Attamen dubitatum est, num fuerint conditi ante mundum vel potius cum mundo; et licet olim nonnulli Græci Patres primum tenuerint, nunc *pro certo* habendum est alterum, attento præsertim Conc. Later. et Vatic. decreto in quo dicitur " simul ad initio temporis " Deum utramque condidisse creaturam, angelicam et mundananam. Congrua ratio hujus veritatis est, quod Angeli sunt pars universi, prouti ostendit potestas creaturæ spiritualis in materialem atque harmonia rerum creatarum manifeste postulat. Porro nulla pars perfecta existit a suo toto separata. Ergo æstimandum est Deum e nihilo simul duxisse materiam et Angelos.—*d)* Plerique theologi, Patrum vestigiis insistentes, una cum D. Thoma creaturas illas spirituales in quadam suprema mundi stellaris parte constituunt veluti in throno ex quo præsideant toti naturæ corporeæ.

Verum 2° quia, accipiendo esse, Angeli a Deo protinus in ordinem supernaturalem evecti sunt, plura hic occurrunt nobis discutienda circa eorum *gratiam* atque *gloriam* ; quæ quidem omnia, pulcherrime distributa, Doctor Angelicus in

1—Cf. Mazzella, *De Deo creante*, Disp. II, a. 7.

novem articulos partitur. Angeli enim considerari possunt *ante* gloriam (art. 1–5), *in* gloria (art. 6), et *post* gloriam (art. 7–9).—Quoad 1um, quæritur an statim gloria donati sint (art. 1), an in eis præcesserit gratia (art. 2), quonam tempore gratia eis collata fuerit (art. 3), et quinam sit ordo tum causalitatis (art. 4) tum successionis (art. 5) inter gratiam et gloriam.—Quoad 2um, proportio determinatur inter quantitatem gratiæ et gloriæ et naturalem Angelorum capacitatem (art. 6).—Quoad 3um, gloria consideratur tum relative tum absolute: relative quidem, in ordine ad naturam vel respectu boni (art. 7) vel respectu mali (art. 8); absolute vero, secundum beatitudinis augmentum (art. 9).

3° Summum hocce *principium* regere videtur totam quæstionem, videlicet: *gratia suscipitur in natura per modum naturæ.*

ARTICULUS I.

Utrum Angeli fuerint in sua creatione beati.

Beatitudo generatim sumpta definitur: *ultima perfectio rationalis seu intellectualis naturæ*; quam ideo unusquisque naturaliter desiderat, sicuti unumquodque naturaliter appetit suam ultimam perfectionem.

Ultima autem perfectio intellectualis naturæ duplex est: una quidem quam potest assequi virtute propria, quæque ponenda est, juxta ipsum Aristotelem, in perfectissima Dei contemplatione habita per creaturas, et hæc est *beatitudo naturalis*; altera quæ superat vires naturæ, quamque nemo ignorat esse repositam in ea cognitione qua *videbimus Deum sicuti est*, et hæc est *beatitudo supernaturalis* seu simpliciter dicta, utpote creaturis afferens divinum et perfectum bonum.

Articulus præsens circa utramque, præcipue tamen circa beatitudinem supernaturalem versatur.

Conclusio 1^{a}.—ANGELUS CREATUS FUIT IN BEATITUDINE NATURALI.—Ita cum S. Thoma plerique theologi.

Etenim in hoc differt Angelus ab homine quod non per

aliquem motum discursivum, sed statim, propter suæ naturæ dignitatem, perfectionem sibi connaturalem acquirit. Atqui hujusmodi perfectio aliud non est quam beatitudo de qua loquimur. Ergo hanc ab initio accepisse merito Angelus existimatur.

Conclusio 2ª.—ANGELI NON STATIM IN SUA CREATIONE BEATITUDINEM SUPERNATURALEM HABUERUNT.

Prob. 1º ex divina lege : *non coronabitur nisi qui legitime certaverit* (2 Tim. II, 5) ; quæ lex esse videtur omnino universalis.

Prob. 2º duplici argumento.—*a)* De ratione beatitudinis est stabilitas sive confirmatio in bono. Atqui Angeli non statim ut creati sunt fuerunt confirmati in bono ; quod lapsus quorumdam ostendit. Ergo.—*b)* Nulla creatura, quantumvis perfecta, exigit statim haberi quod est suæ naturæ finis gratuitus, ab ea longe distans Deique proprius. Atqui beatitudo supernaturalis nonnisi ex gratia Dei conceditur, superat naturæ vires atque solius Dei propria est. Ergo non oportuit statim ab initio Angelos eam consequi.

Solv. obj. (contra 2ᵃᵐ concl.).—OBJ. 1.—Dicitur (l. de eccl. dogm. c. 59) : " Angeli, qui in illa in qua creati sunt beatitudine perseverant, non naturâ possident bonum quod habent." Ergo.

RESP. *Dist. antec :*...et hic sermo est de beatitudine naturali, *C ;* supernaturali, *S.d :* inchoata per gratiam, *C ;* consummata per gloriam, *N.—Neg. Conseq.*

OBJ. 2.—Angelus non fuit creatus informis. Atqui formatio seu perfectio ejus est per beatitudinem, qua Deo immediate fruatur.—Ergo.

RESP. *D. M :*...id est carens perfectione naturæ, *C ;* id est carens aliqua perfectione etiam supra naturam, *N.—C.d.m :* formatio supernaturalis, *C ;* naturalis, *N.—Neg. conseq.*

Angelus respectu ordinis superioris qui est ordo divinus imperfectus est, ideoque se habet ad finem illius sicut creatura quævis corporea ad finem sibi proprium. Jamvero non statim creaturæ corporales assequuntur finem et perfectionem sibi debitam, sed multiplici operatione indigent. Ergo pariter nec statim, verum mediante aliqua operatione, Angelus finem supernaturalem comparavit.

ARTICULUS II.

Utrum Angelus indiguerit gratia ad hoc quod converteretur in Deum.

In titulo duo notentur: 1° *Deus* accipiendus est non ut auctor naturæ, sed ut auctor gratiæ et gloriæ; 2° per *gratiam* intelligi debet Dei auxilium supernaturale sive habituale sive actuale, ex quo Angelus constituatur in esse superiori atque moveatur proportionaliter ad finem vitæ æternæ.

Veritas intenta ferit *Jansenium aliosque recentiores*, qui existimant necessitatem gratiæ efficacis ex sola infirmitate et corruptione naturæ esse desumendam atque ideo ad statum innocentiæ hominum et Angelorum non debere extendi.

Conclusio.—ANGELI INDIGUERUNT GRATIA UT IN DEUM, PROUT EST OBJECTUM BEATITUDINIS SUPERNATURALIS, SESE CONVERTERENT.—Hæc est doctrina *omnium* theologorum.

Prob. 1° *ex S. Scriptura.*—Conversio ad Deum via est ad beatitudinem. Atqui beatitudo supernaturalis non potest obtineri nisi per gratiam juxta illud Apostoli (Rom. VI, 23): *Gratia Dei vita æterna.* Ergo.

2° *Ex S. Augustino*, qui (Concione 2 in Ps. 32) loquens de bonis Angelis sub nomine cœlorum hæc scribit: "Nec ipsi cœli firmitatem sibi propriam præstiterunt; verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum."

3° *Ratione.*—Voluntas non potest ferri in id quod est supra naturam nisi ab aliquo principio supernaturali moveatur. Sed Deus, ut objectum beatitudinis supernaturalis, excedit omnem naturam creatam. Ergo voluntas creata non potest in illum ferri nisi ab aliquo principio supernaturali adjuta. *Major* declaratur exemplo et ratione: *exemplo* quidem caloris qui non potest generare carnes nisi ut instrumentum animæ; quia generare carnes est supra naturam caloris: *ratione* vero, quia omnis voluntas est inclinatio naturalis in bonum conveniens secundum naturam. *Minor* constat ex eo quod universaliter intellectus creatus, quippe creaturis commensuratus, nequit Deum videre per essentiam; in qua tamen visione ultima beatitudo rationalis creaturæ consistit.

Solv. obj.—Obj. 1.—In iis quæ naturaliter possumus gratia non indigemus. Atqui Angelus naturaliter Deum diligit. Ergo.

Resp. *C. M.—D.m :...*in quantum Deus est principium naturalis esse, *C ;* in quantum est beatificans per suæ essentiæ visionem, *N.—Neg. conseq.*

Obj. 2.—Ea tantummodo auxilium requirunt quæ sunt difficilia. Atqui nulla difficultas inpediebat ne Angeli in Deum converterentur. Ergo.

Resp. *C. M.—D.m :* Nulla difficultas extrinsecus adveniens ex peccato, *C*; nulla difficultas potentiæ intrinseca, *N.—Neg. conseq.*

Difficultas impediens ne aliquid operemur potest esse duplex, *intrinseca* et *extrinseca :* intrinseca quidem, procedens ex natura potentiæ quæ non adæquatur rei faciendæ; extrinseca vero, si aliunde potentiæ adveniat, v. g. ex infectione peccati. Homo in opere salutis utramque difficultatem experitur, Angelus autem non secundam, sed primam; ad quam superandam gratia indiget.

Obj. 3.—Converti ad Deum nihil aliud est quam se ad gratiam præparare. Atqui non indigemus gratia ut nos ad gratiam præparemus; secus abire esset in infinitum. Ergo.

Resp. *D. M :* Converti ad Deum prima cordis conversione, *C ;* secundum meritum justorum vel dilectionem beatorum, *N.—D.m :* non indigemus gratia habituali ut nos ipsos ad gratiam præparemus, *C ;* neque actuali, *N.—Neg. conseq.*

Triplex est *conversio voluntatis in Deum : prima* qua aliquis de peccato ad justitiam se movere incipit; *alia* qua voluntas, jam justificata per habitualem gratiam, actus meritorios gloriæ elicit; *tertia* quæ consistit in dilectione perfecta Dei, oriens ex gratia consummata beatorum.—Prima tantum dicitur præparatio ad gratiam, et ad hanc non exigitur aliqua habitualis gratia, sed operatio Dei moventis animam seu gratia actualis, juxta illud (Thren. V, 21) : *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur.*

ARTICULUS III.

Utrum Angeli sint creati in gratia.

1° Certum est non solum beatos Angelos (quod demonstravimus art. præc.), sed etiam Angelos malos, antequam pervenirent ad proprium terminum, fuisse per gratiam ad ordinem supernaturalem evectos. Id enim suadet *a) S. Scriptura;* ubi dicitur de diabolo (Joan. VIII, 44): *Et in veritate non stetit*; et (Jud. 6): *Angelos qui non servaverunt suum principatum ... vinculis æternis sub caligine reservavit.* Quæ verba *veritas* atque *principatus* de gratia a Patribus intelliguntur. Accedit *b) Catechismus Tridentinus*, cujus tanta auctoritas est. Legitur enim (p. 1 de 12 symb. art. 1, 20): " Perspicuum est eum reliquosque desertores Angelos ab ortus sui initio gratia præditos fuisse. "

Verum 2° quæstio præsentis articuli est quandonam Angeli gratiam acceperint, num in creatione ipsa vel tantum postea. —Aliqui doctores, inter quos *Hugo Victorinus*, *Scotus* et *S. Bonaventura*, negarunt Angelos fuisse in gratia creatos; *alii* tamen et numero plures post D. Thomam affirmant.

Conclusio.—PROBABILIUS EST ANGELOS GRATIAM SANCTIFICANTEM ACCEPISSE IN IPSA SUA CREATIONE.

Prob. 1° *ex Scriptura.*—(Is. XIV, 12) dicitur: *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer qui mane oriebaris?* idest qui a prima diei luce fulgebas. Jamvero hæc verba in persona regis Babyloniæ ad diabolum referri censent Augustinus atque Hieronymus. Ergo.—Clarius (Ezech. XXVIII, 12 et sqq.) Propheta, alloquens Luciferum sub persona regis Tyri, juxta communiorem doctorum interpretationem, ait illi: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti.....Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te.*

Prob. 2° *ex S. Augustino* (12 de Civ. Dei, c. 9): " Bonam voluntatem, inquit, quis fecit in Angelis, nisi ille qui eos cum bona voluntate, id est, cum amore casto quo illi adhærerent creavit, simul in eis et condens naturam et largiens gratiam.".—Cf. etiam *Catech. Trid.* loc. cit.

Conf. 3° *ratione* saltem probabili.—Juxta S. Augustinum atque modernorum plurium theoriam de primæva virium materialium explicatione, omnia quæ processu temporis per opus divinæ Providentiæ sunt producta præexstiterunt in prima rerum conditione secundum quasdam seminales rationes. Atqui gratia sanctificans ad beatitudinem se habet sicuti ratio seminalis in natura ad naturalem effectum, unde etiam (1 Joan. III, 9) *semen* Dei vocatur. Ergo statim in primo creationis momento Angeli gratiam veluti omnium donorum supernaturalium germen acceperunt.

Solv. obj.—Obj. 1.—Juxta Augustinum (2 super Gen. c. 8) " angelica natura primo erat informiter creata et *cœlum* dicta ; postmodum vero formata est et *lux* appellata ". Atqui hæc formatio est per gratiam. Ergo.

Resp. *C. M.* — *D.m* :... per gratiam beatitudinis, *C*; per gratiam viæ, *S.d* : et illa informitas præcessit tempore formationem gratiæ, *N*; præcessit naturâ tantum, *C*.—*Neg. conseq.*

Obj. 2. — Gratia inclinat creaturam intellectualem in Deum. Atqui certo constat quosdam Angelos a Deo defecisse. Ergo saltem aliqui non sunt creati in gratia.

Resp. *D. M* :... secundum modum liberæ voluntatis, *C*; necessario, *N*.—*C.m.*—*Neg. conseq.*

Omnis forma inclinat suum subjectum secundum modum naturæ ejus. Modus autem proprius intellectualis creaturæ est ut libere feratur in ea quæ vult. Unde inclinatio gratiæ non imponit necessitatem, sed habens gratiam potest ea non uti et peccare.

Obj. 3.—Gratia medium est inter naturam et gloriam. Atqui Angeli non fuerunt creati in gloria. Ergo nec in gratia.

Resp. *D. M* :...ordine naturæ, *C*; ordine temporis, *N*.—*D.m* : et gloria se habet per modum principii, *N*; per modum termini, *C*.—*Neg. conseq.*

Gratia, *ordine naturæ*, necessario medium tenet inter naturam et gloriam.—Attamen *ordine temporis* non debuit esse naturâ posterior, cum sit bene operandi principium. Secus dicendum de gloria, quæ se habet per modum finis meritoriæ operationis.

ARTICULUS IV.

Utrum Angelus beatus suam beatitudinem meruerit.

Præsens ac sequens articulus agunt de causalitatis aut successionis nexu gratiam inter et gloriam. —Quod autem ad propositam quæstionem attinet, duo solvenda sunt, primum de *facto*, aliud de *modo*.

Conclusio 1ª.—ANGELI MERUERUNT BEATITUDINEM SUAM SUPERNATURALEM.—Id *communis* atque indubitata theologorum sententia est.

Prob. 1º *ex Scriptura*, (Prov. XII, 14): *Justa opera manuum suarum retribuetur ei.* (Ps. LXI): *Tu reddes unicuique secundum opera sua;* quæ quidem et similia non solum ad homines, sed etiam ad Angelos ob dictorum generalitatem merito referri possunt.

Prob. 2º *ex S. Augustino* (de Corr. et Gr. c. 11): " Angeli sancti, cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, et hujus mansionis debitam mercedem recipere meruerunt ".

Prob. 3º *ratione.*—Soli Deo, in quo esse idem est ac beatitudo, convenit naturaliter et absque media operatione esse beatum. Quælibet autem creatura ad ultimum finem pertingere non potest nisi per suam operationem : quæ operatio in finem ducens, vel est factiva finis, quando finis non excedit virtutem operantis, sicut medicatio est factiva sanitatis ; vel est *meritoria* finis, quando finis essentialiter superat operantis vires, unde expectatur ex dono alterius. Atqui beatitudo supernaturalis est ultimus finis excedens naturam angelicam et humanam. Ergo.—*Conf:* quia nobilius est gloriam mereri quam consequi titulo mere gratuito.

Conclusio 2ª.—ANGELI MERUERUNT SUAM BEATITUDINEM NON PER OPERA ILLAM SUBSEQUENTIA AUT TEMPORE CONCOMITANTIA, SED PER OPERA TEMPORE PRÆCEDENTIA.

1ª *Pars* est contra *Magistrum Sententiarum* (Petrum Lombardum) et paucos veteres qui posuerunt Angelos beatitudinem meruisse per ea quæ, jam beatitudinem adepti, in divinis ministeriis operantur.

Prob.—Meritum habet rationem viæ ad finem. Atqui ei

qui est in termino non convenit moveri ad terminum, et sic nullus meretur quod jam habet. Ergo.

2ª *Pars* dirigitur contra *S. Bonaventuram, Ægidium, Richardum* aliosque docentes, Angelos sanctos meruisse beatitudinem per actus natura, sed non tempore priores.

Probatur, præmissa in antecessum distinctione meriti *de congruo* quod non est nisi habitudo convenientiæ ad recipiendam mercedem, et meriti *de condigno* seu simpliciter quod inducit necessitatem justitiæ respectu ejusdem mercedis.—Etenim actus non potest esse meritorius simpliciter nisi procedat ex libero arbitrio gratia informato. Atqui repugnat idem subjectum simul tempore informari gratia imperfecta et amissibili quæ est principium merendi et gratia perfecta, inamissibili, quæ est principium fruendi.

Ergo remanet concludenda 3ª *pars*, scil. Angelos meruisse beatitudinem per actus illam tempore præcedentes.

Solv. obj. (contra 1am concl.).—Obj. 1.—Meritum oritur ex difficultate actus meritorii. Atqui Angelus nullam difficultatem ad bene operandum expertus est. Ergo beatitudinem sine merito habuit.

Resp. *D. M*:... inspecto actu ex parte operis, *Transeat*; ex parte agentis divino amore flagrantis, *N.—D.m*:... i. e. nullam contrarietatem aut impedimentum virtutis naturalis, *C*; nullam difficultatem provenientem ex elevatione operis supra virtutem naturæ, *N.—Neg. conseq.*

Obj. 2.—Non meremur per ea quæ nobis naturaliter insunt. Atqui conversio ad Deum naturalis fuit Angelo. Ergo per hoc non meruit beatitudinem.

Resp. *C. M.—D.m*: Conversio ad Deum ut est objectum beatitudinis naturalis...*C*;...ad Deum ut est objectum beatitudinis supernaturalis... *N.—Neg. conseq.*

ARTICULUS V.

Utrum Angelus statim post unum actum meriti beatitudinem habuerit.

Profecto Angelus, in sua creatione, non solum caritatis, sed etiam fidei, spei, humilitatis aliarumque virtutum probationem dedit. At vero hi actus omnes comprehenduntur sub actu caritatis tanquam sub principaliore ad quem cæteri ordinantur, et sic censentur *unus*.

Conclusio.—ANGELUS STATIM POST PRIMUM CARITATIS ACTUM BEATITUDINEM CONSECUTUS EST.

Imprimis cum Cajetano *observandum* duco quæcumque ex sola divina voluntate pendent, ipsa revelante, nobis innotescere ; quod si nulla specialis revelatio in Scriptura inveniatur, rem dijudicandam esse secundum communes Providentiæ regulas.—Hoc itaque præmisso, sic *argumentor*. Omnis perfectio recipitur in perfectibili secundum modum ejus; unde et gratia perficit naturam secundum modum naturæ. Atqui proprium est angelicæ naturæ ut suam naturalem perfectionem, non per discursum, sed statim sibi comparet. Ergo statim post meritum, quod se habet ad gloriam sicuti natura ad naturalem perfectionem, Angelus felicitatem suam assecutus est. Atqui meritum beatitudinis tum in Angelo tum in homine uno actu effici potest. Ergo post unum caritatis actum Angelus beatus fuit.

Frustra *Scotus*, studio abreptus impugnandi D. Thomam, contra præstitutam conclusionem arguit ex lege evangelica : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*—Manifeste enim (quod ei haud raro contigit) deceptus est Doctor Subtilis, non advertens Angeli viam post unum actum compleri, non autem viam hominis; unde ille Angelus perseverare dicitur qui primum motum voluntatis in Deum peccato non corruperit.

Ambigunt theologi circa *quæstionem*, an via bonorum Angelorum duobus tantum vel tribus instantibus constare dicenda sit.—*Probabilior* simul atque *conformior Auctori* sententia esse videtur, quæ tenet *duo* dumtaxat *instantia* adfuisse. Et sane *a)* S. Doctor in hoc articulo (corp.) dicit :

" Statim post unum actum charitate informatum Angelus beatus fuit." Et (resp. ad 2): " Relinquitur quod oportet diversa instantia accipi, in quorum *uno* meruerit beatitudinem et in *alio* fuerit beatus "[1]. *b) Opposita* quidem *ratio* adducitur, quia Angeli primo in bonum naturaliter sese moverunt seu motu necessario quoad specificationem et communi malis Angelis, dein autem judicio libero elegerunt permanere in bono ; unde oriri concludunt duo instantia præter primum instans beatitudinis. Verum, *respondent* plures theologi, idem fuit realiter, quamvis non formaliter, actus caritatis quem naturæ Auctor creando Angelis impressit et in quo boni perseverarunt, dum cæteri, jam facti sui juris omninoque liberi, ab illo desistere voluerunt [2].

Sequitur ex dictis illos cœlestes spiritus, qui per tam breve probationis spatium fideles Deo manserunt, continuo fuisse beatifica visione muneratos eaque nunc frui, juxta illud Christi (Matth. XVIII, 10) : *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.*

Solv. obj.—Obj. 1.—Actus hominis, utpote difficiliores, majus meritum habent quam actus Angeli. Atqui homo non statim post unum actum solet præmiari. Ergo.

Resp. *D. M :...* respective seu attentis obstaculis quæ superantur, *C ;* in se et secundum vim caritatis, *N.—D.m :* et id pendet ex ratione meriti, *N ;* ex ratione subjecti, *C.—Neg. conseq.*

1° Meritum, simpliciter loquendo, pensari debet non *relative*, in ordine ad devicta obstacula, sed *absolute* et secundum virtutem gratiæ et caritatis, quæ potest esse abundantior in Angelis quam in hominibus.—2° Quidquid sit de perfectione meriti, homo secundum suam naturam non statim natus est ultimam perfectionem adipisci, sicuti Angelus, et ideo longior ipsi quam Angelo via data est ad merendum beatitudinem.

Obj. 2.—Angeli non potuerunt statim per primum actum consequi beatitudinem, quin in ipso creationis instanti beati essent. Atqui hoc alterum falsum est. Ergo.

Resp. *D. M :...* dato quod actus meriti et actus beatitu-

1—Cf. I, Q. LXIII, a. 6.
2—Cf. Billuart, *Curs. theol.*, t. III, *de Angelis*, Diss. IV.

dinis ejusdem rationis sint, *C;* dato quod sint diversæ rationis, *N.—C.m.—Neg. Conseq.*

Angelus est supra tempus rerum corporalium ; unde instantia diversa in his quæ ad Angelos pertinent non accipiuntur nisi secundum successionem actuum. Jam vero non potest actus meritorius beatitudinis simul esse cum ipso beatitudinis actu, cum unus sit gratiæ imperfectæ, alius autem gratiæ consummatæ. Ergo duo fuerunt in Angelis instantia primum meriti, secundum præmii.

Obj. 3.—Inter multum distantia oportet esse multa media. Atqui status beatitudinis multum distat a statu naturæ: medium autem inter utrumque est meritum. Ergo per multa merita Angelus devenit ad beatitudinem.

Resp. *D. M :...* multa media vel formaliter vel æquivalenter, *C;* formaliter tantum, *N.—C.m.—Neg. Conseq.*

ARTICULUS VI.

Utrum Angeli sint consecuti gratiam et gloriam secundum quantitatem suorum naturalium.

Aggredimur secundam quæstionis partem, de Angelis *in gloria.*—Sensus tituli est, non utrum major vel minor perfectio naturalis fuerit *dispositio* ad gratiam et gloriam (quod Pelagianum est), verum an Deus, ex mero beneplacito, servare voluerit quamdam proportionem inter naturalia atque supernaturalia dona Angelis concessa.—Hanc potuisse legem servari nemo negaverit: dubium est *de facto.*

Conclusio.—Rationabile videtur quod Deus Angelis largitus sit dona gratiæ et beatitudinis secundum gradum naturalium.—Ita *communius* opinantur theologi.

1° *Basilius* (de Sp. S. c. 16) id docuerat: "Cœlorum virtutes juxta proportionem qua se invicem superant a Sp. Sancto habent sanctificationis mensuram." Quibus similia sunt verba *Damasceni* (l. II de Fide, c. 3.)

2° Accedunt *rationes congruentiæ*, quarum *prima ex parte Dei* petitur.—Deus namque per suam sapientiam simul

fecit naturam angelicam gradusque diversos in ea constituit. Atqui quemadmodum ipsam naturam ad gratiam et beatitudinem consequendam destinavit, sic verisimile est quod diversos gradus naturæ angelicæ ad gradus diversos gratiæ et gloriæ ordinaverit ; sicut si ædificator lapides polit ad construendam domum, ex hoc ipso quod aliquos pulchrius disponit, videtur eos ad honoratiorem partem domus ordinare. Ergo.

Secunda ratio petitur *ex parte Angeli*.—Angelus non est compositus ex diversis naturis ita ut inclinatio unius naturæ impetum alterius impediat aut retardet, sicut in homine accidit in quo motus intellectivæ partis aut retardatur aut impeditur ex inclinatione partis sensitivæ. Porro, nisi quid retardet aut impediat, natura secundum totam suam virtutem movetur. Ergo rationabile est quod Angeli qui meliorem naturam habuerunt etiam fortius atque efficacius in Deum sint conversi. Atqui secundum intensionem conversionis ad Deum, Deo ipso supernaturaliter movente, major datur gratia et gloria. Ergo.

Solv. obj.—OBJ. 1.—Quod procedit ex mera Dei voluntate non pendet ex gradu naturalium. Atqui gratia ex mera Dei voluntate procedit. Ergo.

RESP. *D. M* :...non pendet ex gradu naturalium in se sumpto, *C* ; prouti iste gradus a Deo ordinatus est ad proportionalem gradum gratiæ, *N*.—*C.m.*—*Neg. conseq.*

OBJ. 2.—Gratiæ propinquior est actus quam natura. Atqui gratia non est ex operibus (Rom. XI). Ergo a fortiori etc.

RESP. *D. M* :...in genere immediatæ dispositionis, *C* ; simpliciter *N*.—*Transeat minor.*—*Neg. conseq.*

1° Actus rationalis creaturæ sunt ab ipsa ; natura autem, sicut et gratia, immediate est a Deo. Ergo, propter hanc similitudinem, magis convenit gratiam proportionari naturæ quam operibus.—Cæterum 2° ipsa opera, prouti considerantur non præcise secundum substantiam, sed quatenus ex coagente Deo procedunt, congruitatem habent ad donum gratiæ proportionatum.

OBJ. 3.—Homo et Angelus pariter ordinantur ad gratiam et gloriam. Atqui homini non datur major gratia pro majori naturæ perfectione. Ergo nec Angelo.

RESP. *D. M* :... generice, *C* ; specifice, *N*.—*C.m.* —*Neg. conseq.*

Duo sunt ex quibus intelligi potest cur Deus in Angelis servare voluerit proportionis legem inter naturæ et gratiæ perfectionem, non autem in hominibus : videlicet 1° cum Angeli specie differant, nobilior illa naturæ distinctio magis congrua videbatur proportionali gratiæ collationi quam mera distinctio accidentalis, qualis est inter homines ; 2° in homine, haud infrequenter accidit naturas aliis perfectiores minus tamen ob majora sensuum et passionum impedimenta sese ad gratiam disponere ; quod non est in Angelis.

ARTICULUS VII.

Utrum in Angelis beatis remaneat cognitio et dilectio naturalis.

Gloria angelicæ beatitudinis de qua sermocinati sumus considerari potest, vel *in ordine ad naturam* quam perficit, vel *absolute* secundum suî augmentum.—Rursus vero de habitudine gloriæ ad naturam duo in controversiam veniunt, et, quod ad hunc articulum pertinet, scilicet an gratia beatorum Angelorum naturæ operationem incolumem linquat, id brevi negotio resolvetur.

Conclusio.—IN ANGELIS BEATIS REMANET COGNITIO ET DILECTIO NATURALIS.

Prob.—Sicut se habent principia operationum ad invicem, ita se habent et ipsæ operationes. Atqui beatorum gloria non tollit principia operationum naturalium, nempe intellectum atque voluntatem ; siquidem naturam, cui illa principia necessario insunt, nedum destruat, potius præsupponit, elevat atque perficit. Ergo in Angelis, beata Dei visione fruentibus, remanet cognitio et dilectio naturalis.

Conf. (ex resp. ad 1).—Perfectio adveniens non tollit imperfectionem nisi quæ sit sibi opposita, qualiter scientia fidem depellit. Atqui imperfectio naturæ non opponitur perfectioni beatitudinis, sed substernitur ei, sicut imperfectio potentiæ substernitur perfectioni formæ quæ non tollit potentiam illam imperfectam, sed solum privationem sibi oppositam. Similiter

igitur imperfectio cognitionis naturalis non opponitur perfectioni gloriæ : quippe nihil prohibet simul aliquid cognoscere per diversa media, puta per medium probabile et demonstrativum. Quapropter potest Angelus simul Deum cognoscere per essentiam Dei ipsius, quod pertinet ad cognitionem gloriæ, et per essentiam propriam, quod pertinet ad cognitionem naturæ. Idem teneas de dilectione.

Solv. obj.—Obj. 1.—*Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* (1 Cor. XIII, 10). Sed dilectio et cognitio naturalis est imperfecta respectu cognitionis et dilectionis beatæ. Ergo.

Resp. *D. sensum M* :...evacuabitur imperfectio perfectioni opposita, *C* ; inperfectio quomodocumque sumpta, *N*.—*C.d.m* :... et opponitur beatitudini, *N* ; substernitur ei, *C*.—*Neg. conseq.*

Obj. 2.—Ubi unum sufficit, aliud superfluum est. Atqui in Angelis beatis sufficit cognitio et dilectio gloriæ. Ergo.

Resp. *D. M* : Ubi unum sufficit sub omni respectu...*C* ; ... formaliter, non autem fundamentaliter, *N*.—*C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

Ea quæ sunt beatitudinis per se et *formaliter sufficiunt* ; sed, ut sint, *præexigunt* aliquam naturam, quam concomitantur propriæ perfectiones : nulla enim beatitudo est per se subsistens, nisi beatitudo increata.

Obj. 3.—Eadem potentia non habet simul duos actus. Atqui Angeli beati sunt semper in actu cognitionis et dilectionis beatæ. Ergo.

Resp. *D. M* :... non habet simul duos actus, omnino independentes ab invicem, *C* ; aliqualiter sibi invicem subordinatos qui ideo per modum unius se habeant, *N*.—*C.d.m* : ... cui cognitioni et dilectioni beatæ subordinatur cognitio et dilectio naturalis, *C* ; non subordinatur, *N*.—*Neg. conseq.*

ARTICULUS VIII.

Utrum Angelus beatus peccare possit.

Docuit olim *Origenes* post certas annorum revolutiones denique futurum ut Angeli boni peccarent ac pœnarum rei in gehennam mitterentur, dæmones vero pœnitentiam agerent et ad felicitatem pervenirent.—Idem fere tenuit *Walterus Lolhardus*, e secta Fraticellorum. *Episcopius* dixit Angelis bonis æque mutabilem nunc adhuc competere sanctitatem ac hominibus in hac vita convenit.

In adversum se habet doctrina catholica.

Conclusio.—ANGELUS BEATUS PECCARE NON POTEST.

Prob. 1° *ex Scriptura*, (Ps. LXXXIII, 5) : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.*—Præterea beatitudo universaliter exhibetur tanquam *vita æterna* (Matth. XXV, 46), *immarcescibilis gloriæ corona* (1 Pet. V, 4) aut *corona incorruptibilis* (1 Cor. IX, 25).

2° Ex verbis *Gregorii Magni* (Moral. XXVIII, 39). " Virtutes angelicæ, quæ in divino amore fixæ perstiterunt, hoc in munere retributionis acceperunt ut in contemplatione conditoris sine felicitatis fine permaneant et in hoc quod sunt conditæ æterna stabilitate consistant."—*S. Augustinus, S. Epiphanius* et *Philastrius* opinionem Origenis inter hæreses recensuerunt.

3° *Ratione.*—Cum Deus sit ipsa essentia bonitatis, hoc modo se habet Angelus videns Deum ad ipsum sicut se habet quicumque Deum non videns ad communem boni rationem. Atqui impossibile est ut aliquis quidquam velit vel operetur nisi attendens bonum; bonum enim est objectum proprium voluntatis, unde omnis creatura intellectualis necessario vult beatitudinem. Ergo Angelus beatus non potest velle vel agere nisi attendens ad Deum : hoc autem est peccare non posse. Ergo.

Conf[1] *:* quia secus Angelus non esset vere beatus. Vera

1—I-IIæ, Q. V, a, 4.

enim beatitudo omne malum excludit; maximum autem malum est amissibilitas tanti boni. Ergo.

Solv. obj.—Obj. 1.—Beatitudo non tollit naturam. Atqui proprium est naturæ creatæ posse deficere. Ergo.

Resp. *C. M.—D.m :...* in quantum natura secundum se consideratur, *C;* in quantum perfecte conjungitur cum bono increato, *N.—Neg. conseq.*

Obj. 2.—Potestates rationales sunt ad opposita. Atqui voluntas Angeli beati non desinit esse rationalis. Ergo se habet ad bonum et malum.

Resp. *D. M :...* in illis ad quæ non ordinantur naturaliter, *C;* ad quæ naturalem ordinem dicunt, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

Virtutes rationales se habent ad opposita in iis *ad quæ non ordinantur naturaliter*; sed quantum ad illa ad quæ naturaliter ordinantur, fixum essendi modum induunt. Intellectus enim non potest non assentire principiis naturaliter notis; et similiter voluntas non potest non adhærere bono communiter sumpto, quia in bonum naturaliter ordinatur sicut in suum objectum. Jam vero in Deo concrete reperitur omnis boni ratio. Ergo semel ac lumine beatifico divinum illud bonum menti proponatur, non potest voluntas ab eo distrahi oppositumque eligere.

Obj. 3.—Ad libertatem arbitrii pertinet facultas eligendi bonum et malum. Atqui libertas arbitrii non minuitur in Angelis beatis. Ergo.

Resp. *D. M :...* absolute, *N;* in natura defectibili, *C.—D.m :* i. e. nihil amittitur eorum quæ ad perfectionem libertatis pertinent, *C;* eorum quæ pertinent ad ejus defectum, *N.—Neg. conseq.*

Liberum arbitrium sic se habet ad eligendum ea quæ sunt ad finem, sicut se habet intellectus ad conclusiones. Porro ad virtutem seu perfectionem intellectus pertinet ut secundum data principia in diversas conclusiones procedere possit; sed quod in aliquam conclusionem procedat præter principiorum ordinem, hoc est ex defectu ejus. Simili modo, quod liberum arbitrium diversa possit eligere, se vato ordine finis, hoc pertinet ad ejus perfectionem; sed quod, prætermisso illo ordine, aliquid eligat atque ita peccet, id sane defectum libertatis promit. Unde—et hoc notetur contra pseudo-philoso-

phos docentes illimitatam cogitandi volendive libertatem— major libertas arbitrii existit in Angelis qui peccare non possunt quam in nobis qui deficere possumus.

ARTICULUS IX.

Utrum Angeli beati in beatitudine possint proficere.

Duplex est beatitudinis præmium: *essentiale* atque *accidentale.* Primum consistit principaliter quidem in visione Dei, consequenter vero in dilectione ac fruitione divinæ essentiæ; aliud ponendum est in quibusdam actibus sive intellectus sive voluntatis qui non sunt inseparabiles a beatitudine.—Insuper, quod Angelus beatus aliquid de novo acquirat, dupliciter intelligi potest: vel *per meritum*, vel *sine merito.*

Conclusio 1ª.—PRÆMIUM ESSENTIALE ANGELORUM AUGERI NON POTEST NEQUE PER MERITUM NEQUE SINE MERITO.

Prob. 1º *ex statu Angelorum.*—Mereri et proficere in iis quæ respiciunt præmium essentiale pertinent ad statum viæ. Atqui Angeli non sunt viatores, sed comprehensores. Ergo Angeli beati non possunt mereri nec in beatitudine essentiali proficere.

2º *Ex intentione Dei prædestinantis.*— In unoquoque motu, motoris intentio fertur in aliquid determinatum et ultimum, ad quod intendit perducere mobile. Atqui omnis creatura promovetur a Deo in beatitudinem. Oportet igitur ut sit aliquid determinatum et ultimum ad quod quælibet rationalis creatura dirigitur. Atqui non potest hæc determinatio consistere in ipsa divina visione quantum ad id quod videtur, cum sub hoc respectu eadem omnibus et immediate conveniat. Ergo versatur tantum in visionis modo, qui potest infinitis gradibus diversificari, propterea quod nulla creatura Deum comprehendit. Unde omnes justi, sive homines, sive Angeli, ita perducuntur ex Dei prædestinatione ad finem beatitudinis ut etiam beatitudinis suæ gradum determinatum immutabiliter obtineant.

Conclusio 2ª.—PRÆMIUM ACCIDENTALE ANGELORUM AUGERI POTEST, USQUE AD JUDICII DIEM, NON TAMEN RATIONE MERITI (ex resp. ad 3).

Præsupponendum est præmium accidentale constare ex novis quibusdam revelationibus vel cognitionibus novisque gaudiis inde procedentibus.

Prob. 1ª *pars*:—1º ex Luc. (XV, 10): *Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente*; quod maxime intelligendum est de peccatoribus Angelorum cura salvatis.—2º *Ratione.* Angeli non omnia neque æqualiter gratiæ mysteria cognoverunt ab initio, sed temporis lapsu plura, præsertim data occasione sui ministerii, per acceptas revelationes didicerunt. Atqui in subjecto recte disposito boni cognitio proportionatum gaudium parit. Ergo.

Prob. 2ª *pars.*—Post judicii diem novi cessabunt effectus gratiæ: ergo et similiter novæ revelationes cunctaque ex his manantia gaudia.

Prob. 3ª *pars* contra quosdam dicentes præmium accidentale Angelorum beatorum merito obtineri.

Enimvero meritum est conditio viæ. Atqui illi Angeli jam sunt in termino ultimo constituti. Ergo nullo modo mereri proprie possunt: id solus Christus beatus potuit, utpote viator simul et comprehensor.—Quare secundaria seu accidentalia illa gaudia Angelis obveniunt vel ex meritis quibusdam antecedentibus, vel ex applicatione scientiæ inditæ ad nova objecta, vel ex virtute suæ beatitudinis quæ quodam modo per ministeria in Dei laudem præstita completur.

Solv. obj. (contra 1ªᵐ concl.).—OBJ. 1.—Charitas est merendi principium. Atqui in Angelis beatis est perfecta charitas. Ergo mereri possunt augmentum beatitudinis.

RESP. *D. M*: Charitas imperfecta viæ...*C*; charitas perfecta patriæ, *N.*—*C.d.m*: scil. charitas patriæ, *C*; charitas viæ, *N.*—*Neg. conseq.*

Mereri est ejus quod movetur ad finem. Ei autem quod jam assecutum est ultimum terminum non convenit moveri, sed in fine quiescere. Ergo meritum ad charitatem imperfectam *viæ* pertinet; charitatis autem perfectæ, qualis est in *patria*, non est mereri sed potius præmio frui; sicut et in habitibus acquisitis operatio præcedens habitum est acqui-

sitiva habitus, quæ vero procedit ex habitu jam constituto perfectionem quamdam cum delectatione importat.

Obj. 2.—Ministeria Angelorum ipsis utilia sunt. Atqui hoc non esset nisi per illa aliquid mererentur. Ergo.

Resp. *D M*:...ipsis utilia sunt ut via ad finem, *N*; ut pars ad totum quod perficit, *C*.—*C.d.m.*: eodem sensu.—*Neg. conseq.*

Aliquid dicitur utile dupliciter: *primo*, ut via ad consequendum finem, et sic utile est meritum beatitudinis; *secundo*, ut pars utilis est ad totum perficiendum, v. g. paries, et hoc modo ministeria angelica sunt Angelis ipsis beatis utilia. Diffundere enim in alia perfectionem habitam est de ratione entis perfecti ideoque pertinet, quasi pars quædam completiva, ad beatitudinem.

Obj. 3.—Qui non est in summo nec proficere potest imperfectus est. Atqui Angeli non sunt in summo neque imperfecti sunt. Ergo proficere possunt.

Resp. *D. M*: Qui non est in summo nec simpliciter nec relative...*C*; qui non est in summo simpliciter, tamen summum gradum sibi destinatum consecutus est...*N*.—*C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

QUÆSTIO SEPTIMA

DE ANGELORUM CULPA

Subit considerandum quomodo quidam Angeli, mox in creatione accepta gratia, facti sunt mali; et *primo* quantum ad malum culpæ, *secundo* quantum ad malum pœnæ res agitanda est.

Quæstio hæc dividetur in novem articulos sequenti ordine digestos. Nam de culpa in Angelis quæri potest an sit (art. 1), quid sit tum quoad speciem (art. 2) tum quoad materiam (art. 3), unde sit (art. 4), quandonam acciderit, an in creatione (art. 5), vel post aliquam moram (art. 6); insuper considerari potest subjectum illius culpæ sive principale (art. 7) sive secundarium (art. 8), nec non tandem peccantium numerus (art. 9).

ARTICULUS I.

Utrum malum culpæ possit esse in Angelis.

Dubium proponitur de *possibilitate* in ordine ad *factum* luculentissimis fidei oraculis demonstratum.

Non defuere nec etiam desunt qui negent existentiam dæmonum. *a) Alii* cum Voltaire judicant doctrinam de malis Angelis ex antiquorum fabulis a Judæis esse derivatam; *b) alii* dictitant Christum et Apostolos minime dæmonum exstantiam credidisse, verum de iis ita esse locutos ut erroneæ vulgi persuasioni sermonem accommodarent. *c) Sunt qui* existimant nomine dæmonum appellari hominum animas e corpore solutas quæ, in numerum deorum relatæ, ut idola colebantur; *d) nonnulli* vero contendunt vocabula illa *diabolus*, *satanas* etc, nihil aliud significare quam malum vel physicum vel morale, aut (ita Kant) ideale malitiæ.

e) Omittimus *Rationalistas* atque *Pantheistas* quorum nimia et cæcutiens turba nec bonos nec malos Angelos admittunt.

Conclusio 1ª.— PLURIMI ANGELI A PRIMÆVA JUSTITIA LIBERE DEFECERUNT.—Hoc est *fidei dogma* in Conc. Lateranensi IV definitum (cap. I *Firmiter*): "Diabolus a Deo quidem naturâ creatus est bonus, sed ipse per se factus est malus."

Prob. 1º *ex Scriptura.*—(Job, IV, 18) legitur: *Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, et in Angelis suis reperit pravitatem*; quæ quidem pravitas, cum non sit naturæ, ideo voluntatis est.—Christus increpans Judæos aiebat (Joan. VIII, 44): *Vos ex patre diabolo estis; et desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit, quia non est veritas in eo: cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est.* Innumera pene sunt loca similia quæ intelligi nequeunt nisi de spiritibus voluntate propria perversis.

Prob. 2º *ex Patribus*, quorum agmen ducit *S. Augustinus* (l. 3 contra Maximum, c. 12): "Angeli peccaverunt et dæmones facti sunt, quorum est diabolus princeps; et qui non peccaverunt peccare potuerunt. Et cuicumque creaturæ rationali præstatur ut peccare non possit, non est hoc naturæ propriæ, sed Dei gratiæ." Docet pariter *S. Joan. Damasc.* (de Fid. Orth. l. 2, c. 4) "Angelos electione propria malos factos esse."

3º *Ratio* idipsum confirmat, demonstrando intrinsecam defectibilitatem cujuscumque creaturæ rationalis.

At vero in antecessum notetur creaturam intellectualem posse dici impeccabilem *per naturam* vel *simpliciter* quatenus a nulla lege sive naturali sive supernaturali deficere queat, vel *secundum quid* in quantum ordinem mere naturalem offendere non possit, sed solummodo supernaturalem.—Theologi communiter tenent nullam dari posse creaturam intellectualem ita perfectam ut sit simpliciter ex se impeccabilis.

Prob.—Illud tantum principium nequit in suo actu declinare a debita rectitudine subindeque peccare quod est regula suæ operationis vel hujusmodi regulam habet inseparabiliter sibi conjunctam. Atqui id convenit divinæ voluntati, nullatenus vero voluntati creatæ competere potest.

Ergo. *Major* exemplo declaratur. Si manus artificis esset ipsa regula incisionis, artifex non posset nisi recte lignum scindere: contingit vero incisionem esse rectam et non rectam, eo quod rectitudo pendet ab alia regula a qua virtus incisiva deficere potest. *Minor prob.* Regula, operationibus voluntatis debita, est ultimus finis, qui se habet in practicis sicuti primum principium in speculativis. Atqui nulla voluntas creata est suus ultimus finis, imo neque ex se potest conjungi ultimo fini simpliciter qui est tam naturalis quam supernaturalis; sed in hoc dirigi et regulari indiget ab externa divinæ voluntatis norma. Ergo nulla voluntas creata potest esse regula vel habere inseparabiliter conjunctam regulam suæ operationis.

Quid mirum igitur quod inter Angelos, creaturas defectibiles, quidam reipsa defecerint?

Conclusio 2ª.—CERTUM VIDETUR ANGELOS NON POSSE PECCARE, SALTEM DIRECTE ET IMMEDIATE, CONTRA LEGEM NATURALEM.—Id non obscure insinuat D. Thomas (resp. ad 3) diserteque asserit (Q. XVI de Malo, a. 3); cui Thomistæ communiter assentiunt [1] contra Suarezium, Vasquezium, Molinam, etc.

Prob.—Angeli ex se hanc perfectionem habent ut Deum, prouti est Auctor naturæ, statim optime intelligant itemque necessario prosequantur amore: unde per hoc ipsum voluntate consistunt inseparabiliter conjuncti supremæ regulæ totius naturalis moralitatis. Atqui principium necessario connexum cum tali regula deficere non potest. Ergo.

Dixi in conclusione: *saltem directe et immediate.* Indirecte enim Angeli peccare possunt contra legem naturalem, quatenus violando præceptum supernaturale virtualiter offendunt hanc naturæ legem: cuicumque legitime præcipienti in quacumque materia obediendum est.

Ex dictis *sequitur* Angelos medios esse inter Deum perfectissimum, cujus sanctitas omnem peccati labem longe a se repellit, infirmosque Adæ filios quorum prævaricationes utrumque ordinem tum naturalem tum supernaturalem directe percellunt.

1—Cf. Billuart, Gonet, etc.

Solv. obj. (contra 1[am] concl.).—OBJ. 1. — Malum culpæ, cum sit privatio, esse non potest nisi in his quæ sunt in potentia. Atqui Angeli, utpote formæ subsistentes, non habent esse in potentia. Ergo.

RESP. *D. M* :...quæ sunt in potentia ad esse naturale, *N*; ad aliquod esse morale, *C*.—*C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

OBJ. 2.—Naturale est Angelis moveri in Deum dilectione continua. Atqui diligendo Deum non peccant. Ergo.

RESP. *D. M* :...quatenus Deus est principium esse naturalis, *C*; quatenus est objectum beatitudinis supernaturalis, *N*.—*C.d.m* : diligendo Deum amore naturali, *C*; amore gratuito quem voluntas libere abjiciat, *N*.—*Neg. conseq.*

OBJ. 3.—Angeli, in quibus saltem ante culpam error non invenitur, appetere nequeunt nisi verum bonum. Atqui nullus peccat appetendo quod est vere bonum. Ergo.

RESP. *D. M* :...servatoque ordine debitæ mensuræ, *N*; secluso, si velint, hujusmodi ordine, *C*.—*C.d.m.* eodem sensu. —*Neg. conseq.*

Peccatum mortale dupliciter esse contingit : *uno modo*, eligendo aliquod malum ; *alio modo*, eligendo aliquid secundum se bonum, sed non cum ordine debitæ mensuræ — 1º Si quis peccet eligendo aliquod malum, v. g. adulterium, tale peccatum semper procedit ex aliqua ignorantia vel errore. Errat enim adulter, si non in universali, saltem in particulari eligens sub influxu passionis vel habitus delectationem illam inordinatam tanquam aliquod bonum hic et nunc habendum. Jam vero in Angelis nec passiones sunt quæ mentem nubilent, nec habitus malus præcedere potuit primum peccatum. Ergo non hoc modo peccasse dicendi sunt.—2º Peccatum committi etiam potest eligendo quod est secundum se bonum sed non cum ordine debitæ regulæ, v. g. si quis oret non attendens ad ordinem ab Ecclesia statutum. Porro istud peccandi genus non præexigit ignorantiam, sed solum absentiam considerationis eorum quæ considerari debent. Hoc modo tenemus deliquisse Angelos, nempe sese convertendo libera voluntate ad proprium bonum, neglecta regula voluntatis divinæ.

ARTICULUS II.

Utrum in Angelis possit esse tantum peccatum superbiæ et invidiæ.

1° Ex præcedentibus constat plures Angelos, sibi indulgentes, libere a Deo recessisse et peccato corruisse. Quapropter quærendi locus offertur cujusnam *speciei* fuerit istud peccatum, et an post primum misere commissum alia dein secuta sint.

2° *a) Qui* inter philosophos et antiquos theologos corpora vel Angelis omnibus vel dæmonibus assignant censent primam Angelorum culpam fuisse *luxuriæ.—b) Alii* ut Irenæus, Lactantius, Nyssenus *invidiam* illam nominant.—*c) Communior* vero theologorum sententia, quæ est S. Thomæ, duabus sequentibus conclusionibus exhibebitur.

3° Præmittere heic juverit peccatum in aliquo esse posse dupliciter: uno modo secundum *reatum* et in causa, alio modo etiam secundum *affectum*.

Conclusio 1ª.—OMNIA PECCATA SUNT IN DÆMONIBUS SECUNDUM REATUM SEU CAUSALITER.

Prob.—Qui ad peccata cujuscumque generis homines inducunt omnium peccatorum reatum incurrunt. Atqui nullum est peccatum humani cordis cujus dæmones quandoque instigatores non exstiterint. Ergo.

Conclusio 2ª.—PECCATUM PRIMUM ANGELI SECUNDUM AFFECTUM SEU FORMALITER ALIUD ESSE NON POTEST QUAM SUPERBIA; CONSEQUENTER VERO IN EO ESSE POTUIT ETIAM INVIDIA.

Prob. 1ª *pars.*

1° *Ex Scriptura.*—(Tob. IV, 14) dicitur: *Superbiam nunquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.*—Apost. (1 ad Tim. III, 6) ait neophytum non esse eligendum in episcopum, *ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli*, i. e. ne damnationem diaboli subeat imitando ejus superbiam.

2° *Ex Patribus.*—*Augustinus* (14 de Civ. Dei, c. 3) hæc habet: " Diabolus non est fornicator aut ebriosus neque

aliquid hujusmodi; est tamen superbus et invidus"; ubi superbiæ primum locum assignat. Pulchre *S. Bernardus* (l. 1 de Anima): "Superbia, inquit, de superis ad ima præcipitat, humilitas ab imis ad alta levat. Angelus e cœlo in tartara corruit; homo de mundo ad cœlum ascendit".

3° *Ratione.*—Illa solum peccata in malis Angelis inveniri possunt secundum affectum ad quæ contingit affici spiritualem naturam. Atqui horum omnium primum est superbia. Ergo. *Major* patet: *minor prob.* Nihil afficitur nisi ad id quod naturæ suæ potest esse conveniens. Atqui bona corporis minime conveniunt naturæ spirituali; qualis est Angelus. Ergo repugnat creaturam angelicam affici ad materialia, v. g per gulam aut luxuriam; sed restat ut afficiatur ad spiritualia. Atqui in affectu bonorum spiritualium non potest primo dari peccatum nisi sit superbiæ: siquidem talis affectus ideo malus est quia non servatur regula superioris; superbia vero definiri solet "inordinatus appetitus propriæ excellentiæ". Ergo.—Cum Cajetano hic *advertam* nolle subjici divinæ regulæ contingere dupliciter: vel ex consequenti seu *per accidens*, et sic commune est omnibus peccatis; vel *per se*, quatenus despiciatur divina voluntas, sive contemptus ille sit res ipsa electa sive sit modus tantum electionis, et sic constituit peccatum superbiæ.

Prob. 2ª *pars*, scil. in dæmonibus consequenter esse etiam *invidiam*.

1° Audiamus *S. Augustinum* qui (l. 11 de Gen. ad litt. c. 14) hæc de Angelo peccante scribit: "Nonnulli dicunt ipsum ei fuisse casum a supernis sedibus quod inviderit homini facto ad imaginem Dei. Porro hæc invidia sequitur superbiam, non præcedit. Non enim causa superbiendi est invidentia, sed causa invidendi superbia".

Et sane 2° ejusdem rationis est affectu tendere in proprium bonum et reniti opposito. Atqui invidia nihil aliud est quam "tristitia de bono alterius in quantum impeditivum existimatur propriæ excellentiæ". Ergo superbia dæmonum, appetentium singularem quamdam excellentiam, in eis peperit invidiam de bono quocumque opposito huic singularitati. Jamvero singularitas boni Angelorum dupliciter impeditur, tum per felicitatem homini collatam, tum per ipsam excellentiam divinam. Ait enim *Augustinus* (loc. cit.): "Amando

quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quod ei coæquantur; vel inferioribus, ne sibi coæquentur; vel superioribus, quod eis non coæquetur". Ergo ex superbia in Angelis consecutum est malum invidiæ, scil. dolor de bono hominis et de bono Dei.

Solv. obj. (contra 2^{am} concl.).—OBJ. 1.—Quicumque delectatur in aliquo peccato in illud cadere potest. Atqui dæmones, teste Augustino (14 de Civ. Dei, c. 14), delectantur in obscænitatibus carnalium peccatorum. Ergo.

RESP. *D. M* :...in illud cadere potest affectu, *N;* reatu, *C.—C.m.—Neg. conseq.*

Dæmones non delectantur peccatis carnalibus quasi ipsi ad illa afficiantur; id enim supponit naturam corpoream, qua certe Angeli carent. Verum ex invidia in eis procedit spirituale quoddam gaudium de quibuscumque peccatis, ad quæ nos inducunt, in quantum hæc sunt impedimenta humani boni humanæque felicitatis.

OBJ. 2.—Sicut superbia et invidia sunt peccata spiritualia, ita acedia, et avaritia, et ira. Atqui spiritui conveniunt peccata spiritualia. Ergo in Angelis possunt esse acedia, avaritia et ira.

RESP. *D. M* :...aliqualiter, *C;* perfecte, *N.—C.d.m* :...peccata pure spiritualia, *C;* aliqualiter tantum, *N.—Neg. conseq.*

Peccata avaritiæ, iræ et acediæ, quamvis non sint proprie carnalia [1] seu delectatione carnis perfecta ut gula et luxuria, nec tamen pure spiritualia dici debent, ut superbia et invidia.—*Avaritia* enim, secundum quod est speciale peccatum, consistit in immoderato appetitu rerum temporalium, humanæ vitæ utilium, ad quas repugnat dæmones affici; unde in eis proprie esse non potest.—*Ira* cum quadam passione est, sicut et concupiscentia; quare dæmonibus nequit tribui nisi metaphorice.—Denique *acedia* dicitur quoddam tristitiæ genus, quo homo tardus redditur ad spirituales actus propter corporalem laborem: qui labor Angelis convenire non potest.

OBJ. 3.—Ex superbia nascuntur plura vitia, similiter ex invidia. Atqui posita causa, ponitur effectus. Ergo in Angelis, præter illa duo, alia vitia etiam admittenda sunt.

1—Cf. I-II[a], Q. LXXII, a. 2.

Resp. *D.M*:... plura vitia ejusdem spiritualis generis, *C*;...generis materialis, *S.d* : remote et in subjecto materiali, *C*; proxime et in subjecto spirituali, *N*.—*Transeat minor*.—*Dist. conseq* :...vitia ejusdem generis, *C*; diversi generis, *N*.

Nihil vetat quin dicamus ex superbia et invidia manasse in dæmonibus omnia peccata quæ ab illis proxime derivantur, scil. ex una parte inobedientiam, inanem gloriam etc, ex alia vero odium, blasphemiam, desperationem etc.—Cætera autem vitia quæ esse non possunt nisi in subjecto materiali, licet ad ea superbia dæmonum homines inducat, illis tamen tribui nequeunt secundum affectum, sed tantum secundum reatum.

ARTICULUS III.

Utrum diabolus appetierit esse ut Deus.

Luciferum superbia seu inordinato sublimitatis amore graviter defecisse in confesso est. Quænam vero fuerit illa altitudo qualisve excellentia quam appetiit, non tam clare apparet.

1º Omnes concedunt intumescentem illum spiritum appetiisse *esse ut Deus*. Id enim eruitur ex illo (Is. XIV, 13): *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo* ; necnon ex pari loco (Ezech. XXVIII, 2): *Elevatum est cor tuum et dixisti : Deus ego sum*. Quæ duo litteraliter ad reges Babylonis et Tyri, mystice vero secundum plerosque ad Satanam referri videntur. Favet *Augustinus* (l. de Quæst. V. T. q. 113) : " Elatione, inquit, inflatus (diabolus) voluit dici Deus ". Unde Michael, qui primus Lucifero restitit, ei dixisse fertur : " Quis ut Deus " ? hoc enim Michaelis nomen sonat.

Sed 2º quo pacto Lucifer voluerit esse ut Deus, valde controvertitur [1].—Etenim dupliciter hoc intelligi potest : vel per *æquiparantiam* vel per *similitudinem*. *a) Quidam* censent Angelum peccasse appetendo æqualitatem cum Deo absolute ; *b) alii*, appetendo unionem hypostaticam aut æquali-

1—Cf. Gonet, *Clyp. theolog.* Tract. *de Angelis*, Disp. XIII, a. 3.

tatem cum Christo; *c) nonnulli* rati sunt illum appetiisse indebitum quemdam principatum in alias creaturas.—Demum quid de hac re S. Doctor sentiat modo perspectum fiet.

Conclusio 1ª.—DIABOLUS NON POTUIT APPETERE ESSE UT DEUS PER ÆQUIPARANTIAM.

Prob.—1º Diabolus non potuit appetere quod cognoscebat esse omnino impossibile. Atqui Angelum æquiparari Deo in natura est omnino impossibile, idque Lucifer apprime noverat. Ergo.—Contingit quidem in nobis interdum appeti et eligi *per accidens* quod est impossibile, eo quod vel habitus vel passio obducit mentis judicium [1]. Atqui in Angelo nec passio nec malus habitus potuit præcedere primum peccandi actum. Igitur etc.

2º Dato etiam, absolute loquendo, quod æqualitas cum Deo sub appetitu entis creati cadere posset, id tamen certo repugnaret ex alio capite. Inest enim unicuique naturale quoddam desiderium conservandi suum esse, quod est fundamentum aliarum perfectionum. Atqui esse rei non conservaretur, si transmutaretur in aliam naturam. Ergo nulla res, inferius posita, potest appetere gradum superioris naturæ, sicut asinus non appetit esse equus. Manifestum est autem Deum excedere infinita distantia quemcumque Angelum. Nullus ergo Angelus appetere potuit esse æqualis Deo.—Equidem accidit hominem decipi in quantum, acceptis quibusdam perfectionibus accidentalibus quæ crescere possunt absque corruptione subjecti, æstimat se posse etiam appetere altiorem naturæ gradum, in quem tamen pervenire non posset nisi esse desineret. Jamvero mens angelica ea non est quæ talis deceptionis laqueo irretiatur; unde vis argumenti integra manet.

Conclusio 2ª.—ANGELUS PRIMO PECCAVIT, VEL APPETENDO BEATITUDINEM SUAM NATURALEM QUIN EAM ORDINARET AD SUPERIOREM FINEM, VEL APPETENDO SALTEM VIRTUALITER BEATITUDINEM SUPERNATURALEM HABENDAM EX SOLIS NATURÆ VIRIBUS.—Utrumque involvit similitudinem cum Deo qui est per seipsum beatus.

Verum ante omnia *distinctio* fiat. — Appetere esse ut Deus per similitudinem contingit dupliciter: *uno modo* quan-

1—Cf. Cajet. *Comt.* in h. l.

tum ad id in quo creatura intellectualis nata est ei assimilari, nempe secundum dona gratiæ et gloriæ; quæ si debito ordine appetantur, nullum peccatum est. *Alio modo* quantum ad hoc in quo creatura non est nata Deo assimilari, sicut si quis appeteret creare cœlum et terram, aut nulli subesse simpliciter, aut finem ultimum consequi *virtute suæ naturæ*.—Porro ex his tribus postremi generis nec primum, quod constat esse Dei proprium, nec secundum, quod implicat non esse creaturæ, appetere Angelus potuit: appetiit *tertium*.—Id autem intelligitur quatenus *a)* vel sistere voluerit in propria et privata beatitudine vi naturæ habenda ideoque voluntatem averterit a fine supernaturali, *b)* vel hunc finem supernaturalem virtualiter tantum appetierit eo sensu quod non recusasset si per se potuisset illum consequi.

Prob. concl. 1° ex verbis *S. Gregorii* (Mor. l. XXXIV, c. 17), ubi ait "Angelos perdidisse participatam celsitudinem, quia privatam desideraverunt". Adde *S. Augustinum* (12 de Civ. Dei, c. 1), *S. Bernardum* (Serm. 17 in Cant.) et *S. Anselmum* (de Casu diaboli, c. 3 et 4).

Prob. 2° *ratione*.—Superbia in Angelis primo esse debuit de excellentia propria, per respectum ad ultimum finem inordinate appetitum; siquidem finis prior est mediis et Angelus naturaliter appetit media in fine. Atqui Angelorum finis non potuit inordinate appeti nisi eo modo quem posuimus. Ergo. Revera neque ex ignorantia vincibili neque ex errore, quæ in Angelis ante lapsum esse non poterant, sed solummodo ex inconsideratione privativa, scil. eorum quæ considerari debent, primum Angelorum peccatum oriri potuit [1]. Porro ex una parte, in illo primo instanti quo constituebat sibi finem ultimum, tenebatur Angelus considerare finem supernaturalem eique subordinare naturalem beatitudinem; ex alia vero, non potuisset sine errore appetere formaliter bonum supernaturale ex natura sola habendum. Igitur utraque conclusionis pars pro demonstrata relinquitur.

Ex hoc 1° intelligitur quare *unio hypostatica* non fuerit objectum primæ culpæ Luciferi: illa enim unio non erat neque naturalis neque supernaturalis Angelorum finis, circa quem isti primo peccaverunt.—2° Nec culpa eadem diabolica

1—Cf. Gonet, *op. cit.*, Disp. XIII, a. 4.

collocari potest in appetitu *supremi principatus* quo creaturæ universæ reguntur; talis quippe appetitio pertinet ad ambitionem, ambitio vero sequitur superbiam cujus filia est.

Patet responsio ad omnia objecta.

ARTICULUS IV.

Utrum aliqui dæmones sint naturaliter mali.

Ansam huic quæstioni dedisse videtur *error Manichæorum*, ponentium substantias illas intellectuales, quas dæmones vocare consuevimus, esse naturaliter malas. Præiverat *Porphyrius*—celebris Neoplatonismi patronus (sæc. III)—dubitanter enarrans (in Ep. ad Anebontem) opinionem quæ tenet "dari quoddam spirituum genus naturaliter fallax."

Quæritur itaque an dæmones sint natura mali seu proni ad malum, vel libera sua voluntate tales facti sint.

Conclusio.—DÆMONES NON NATURA SED VOLUNTATE MALI EFFECTI SUNT; prouti definivit Conc. Lat. IV (cap. 1 *Firmiter* de Sum. Trin.).

Prob. 1° *ex Scriptura.*—(Gen. I, 31) dicitur; "*Vidit Deus cuncta quæ fecerat et erant valde bona*".—Insuper quod alicui naturaliter convenit inest ei semper. Sed dæmon aliquando fuit bonus, secundum illud (Ezech. XXVIII, 13): "*Plenus sapientia in deliciis paradisi fuisti*". Ergo.

2° *Dionysius* (de Div. Nom. c. IV) veritatem hanc disertissime tradit: "Neque, inquit, dæmones sunt naturaliter mali".

3° En *ratio.*—Id cujus natura ordinatur in bonum communiter sumptum non potest naturaliter tendere in aliquod malum. Atqui hujusmodi sunt dæmones. Ergo nullo modo possunt habere inclinationem naturalem ad quodcumque malum. Declaratur *Major :* quidquid est et naturam aliquam habet naturaliter tendit in aliquod bonum, siquidem principium bonum ex quo res existunt nonnisi bonum proportionatum intendere potest. Jam vero particulari quidem bono

contingit aliquod malum adjungi, sicut igni consumere lignum; sed bono universali nullum malum potest esse adjunctum. Ergo id cujus natura ordinatur in aliquod bonum particulare potest naturaliter tendere in aliquod malum *per accidens*, minime vero id cujus natura inclinatur in bonum universale. *Minor* constat ex eo quod dæmones sunt substantiæ intellectuales: quælibet autem natura intellectualis ordinem dicit in bonum universale quod potest apprehendere et quod est voluntatis objectum. Claret igitur assumpta conclusio.

Solv. obj.—OBJ. 1 petitur ex verbis Porphyrii supra memoratis quæque citat Augustinus (10 de Civ. Dei. c. 11).

RESP. hæc verba citari ab Augustino non ut probentur, sed ut reprehendantur.—Ideo autem Porphyrius opinari potuit dæmones esse naturâ fallaces, quia sentiebat eos esse animalia habentia naturam sensitivam. Sensitiva namque natura ordinatur in aliquod bonum particulare cui potest esse conjunctum malum contra rationem; unde secundum hoc potest naturaliter, licet per accidens, inclinari ad malum.

OBJ. 2.—Sicut Angeli sunt creati a Deo, ita et homines. Atqui exstant homines naturaliter mali. Ergo.

RESP. *D. M*:...et hæc similitudo respicit originem, *C*; respicit naturam, *N*.—*D.m*: propter consuetudinem, *C*; naturali inclinatione, *S.d*: ex parte naturæ sensitivæ, *C*; ex parte naturæ intellectualis, *N*.—*Neg. conseq.*

Malitia aliquorum hominum potest dici *naturalis* vel propter consuetudinem quæ est altera natura, vel propter naturalem inclinationem ad aliquam passionem ex parte non intellectualis sed sensitivæ naturæ, sicut quidam dicuntur naturaliter iracundi vel concupiscentes: dæmones vero pure intellectuales sunt.

OBJ. 3.—Aliqua animalia naturalem habent malitiam, v. g. vulpes naturaliter subdola est. Atqui non minus a Deo procedunt quam dæmones. Ergo.

RESP. *D. M*:... et hæc malitia malum est istis animalibus, *N*; malum est aliis, *C*.—*D.m*: diversam tamen sortiuntur naturam, *C*; eamdem consequuntur, *N*.—*Neg. conseq.*

Animalia bruta, secundum naturam sensitivam quâ constant, naturaliter inclinantur ad quædam particularia bona quibus conjuncta sunt mala, sicut vulpes ad quærendum vic-

tum sagacitate quadam cui adjungitur dolositas; unde esse dolosum non est malum vulpi, cum sit ei naturale, sed aliis tantum. Verum dæmones nec sunt naturæ sensitivæ nec corporibus naturaliter sibi unitis sociantur.

ARTICULUS V.

Utrum diabolus fuerit malus in primo instanti suæ creationis per culpam propriæ voluntatis.

Agendum nunc succedit de *tempore* quo Angelus lapsus est in peccatum. Duo autem in dubium veniunt, scilicet num in primo creationis instanti peccatum illud contigerit, e contra num potius post aliquam moram.

Prima quæstio agitari potest tum quoad *factum* tum quoad intimam *rei indolem*. — *Nonnulli* enim dixerunt dæmones statim in primo creationis suæ instanti malos fuisse, non sane per naturam (quod supra rejecimus), sed per culpam propriæ voluntatis; *alii* posuerunt Angelos in illo momento potuisse quidem peccare, tamen non peccasse. Utrique autem in falsum impingunt.

Conclusio.—ANGELI IN PRIMO CREATIONIS SUÆ INSTANTI NEQUE PECCARUNT NEQUE ETIAM PECCARE POTUERUNT.

1ª *Pars* tam certa est apud Scholasticos ut Auctor referat contrariam opinionem fuisse reprobatam ab omnibus Magistris Parisiensibus.

Prob. 1° *ex Scriptura*, in qua habetur Angelos malos fuisse aliquando bonos (Cf. supra, Q. VI, a. 3); 2° ex eo quod probabilius est Angelos fuisse creatos in gratia (Ibid.)

2ª *Pars* dirimit aliud quæstionis caput, nempe an saltem *possibile* fuerit Angelos in sua creatione peccare.

Quidam arbitrati sunt ideo hoc esse negandum, quia impossibile eis videbatur in eodem instanti coexistere terminum creationis et terminum operationis peccati, scil. esse Angeli et malitiam ejus.—Sed hæc ratio non est sufficiens. Nam in mutationibus instantaneis ut sunt creatio et motus

liberi arbitrii, nihil prohibet simul et in eodem instanti temporis, licet non naturæ, reperiri terminos duarum mutationum.

Aliter ergo *ratiocinandum est.* — Operatio quæ incipit cum esse rei et est cæterarum principium, uti prima volitio Angelorum, provenit ab Auctore naturæ eique attribuitur; sic enim motus cordis in animali, aut moveri sursum in igne ab ipso generante sunt. Atqui Auctor naturæ angelicæ est Deus. Ergo primus actus voluntatis in Angelis, licet processerit a voluntate eliciente, fuit tamen a Deo specialiter movente. Atqui Deus non potest esse causa peccati. Ergo impossibile fuit diabolum esse malum in primo instanti suæ creationis. *Major* fundatur in illo S. Thomæ principio, quod primum in unaquaque re rationem naturæ habet: unde et prima rei operatio debet aliqualiter esse naturalis ita ut, si pertineat ad creaturam liberam, determinata sit saltem quoad specificationem. Declaratur autem *exemplo* tibiæ, quæ si nascatur curva et statim claudicare incipiat, claudicatio reducitur in debilitatem principii generantis.

Conf. arg.—Primum judicium practicum in Angelo fuit, non a voluntate, quippe quæ radicaliter supponitur in pura potentia, sed a Deo ipso specialiter applicante intellectum ad suum actum; unde non potuit esse defectivum. Atqui nullus datur defectus in voluntate nisi ipse intellectus aliqualiter deficiat. Ergo nec prima Angelorum volitio defectiva seu peccaminosa fuit.

Solv. obj.—OBJ. 1.—(Joan. VIII, 44) de diabolo dicitur: *Ille homicida erat ab initio.* Ergo.

RESP. *Dist. antec:*...ab initio peccati, *C;* ab initio ex quo creatus est, *S.d:* si sumatur initium lato sensu, *C;* si sumatur stricto sensu pro primo instanti, *N.—Neg. conseq.*

OBJ. 2.—Peccatum opponitur merito, sub eodem genere a[illegible]s liberi. Atqui in primo instanti suæ creationis Angelus me[illegible]ri potuit. Ergo et etiam peccare.

[illegible]ESP. *D. M:*...et hæc oppositio importat diversam habitudin[illegible] peccati et meriti ad Deum, *C;* non importat talem diversitatem, *N.—D. m:*... ad quod meritum sufficit libertas contradictionis et quoad exercitium, *C;* requiritur libertas contrarietatis et quoad specificationem, *N.—Neg. conseq.*

Quidquid est in merito est a Deo, non autem quidquid est in peccato. Hinc in primo creationis instanti Angelus mereri potuit, quamvis suus actus, utpote a Deo procedens, liber non esset *libertate contrarietatis* seu quoad *specificativam* boni malique rationem, sed solum *libertate contradictionis* et quoad *exercitium*, quatenus poterat eligere hoc aut illud bonum vel agere aut non agere.

OBJ. 3.—In Angelis præmium statim sequitur ad primæ operationis meritum. Atqui non omnes Angeli consecuti sunt præmium beatitudinis. Ergo non omnes in primo instanti bene operati sunt.

RESP. *D. M:*...nisi impedimentum subito per peccatum surgat, *C;* quin tale impedimentum exsurgere possit, *N.*—*C.m.*—*Neg. conseq.*

Deus non discrevit inter Angelos ante quorumdam aversionem ab Ipso et aliorum conversionem in Ipsum, sed omnes cum gratia creati in primo instanti meruerunt. Quidam vero, libertate contrarietatis utentes et præcedens meritum peccato mortificantes, statim *impedimentum* suæ beatitudini præstiterunt; unde præmio illo quod meruerant exheredati sunt.

ARTICULUS VI.

Utrum aliqua mora fuerit inter creationem et lapsum Angeli.

Quæ modo in præcedenti articulo disputavimus facilem viam aperiunt solutioni præsentis dubii; unde nec plura præfari opus est.

Conclusio.—PROBABILIUS EST DIABOLUM PECCASSE STATIM POST PRIMUM INSTANS SUÆ CREATIONIS.

Id 1° consonum videtur verbis (Joan. VIII, 44), ubi de diabolo dicitur: "*In veritate non stetit;*" quæ *Augustinus* exponens ait (11 de Civ. Dei, c. 15): "Oportet ut hoc sic accipiamus quod in veritate fuerit, sed non permanserit." Permansisset autem saltem aliquantisper, si non statim post primum instans peccasset.

2º Probabilius, imo certum nunc habetur Angelum fuisse creatum in gratia et, ex quo creatus est, prorupisse in actum liberi arbitrii seu jam tunc meruisse. Atqui, ut novimus, Angeli per unum actum meritorium ad beatitudinem perveniunt. Ergo cum diabolus beatitudinem non acceperit, concludere fas est ipsum, statim post primum instans, impedimentum peccando præstitisse.—Quare *tribus momentis* completa est via malorum Angelorum, nempe uno quo meruerunt, secundo quo meritum peccato corruperunt, tertio quo damnationis pœnæ subjecti sunt.

Solv. obj. — Obj. 1. — Dicitur de diabolo (Ezech. XXVIII, 14): *Ambulasti perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te.* Atqui ambulatio requirit aliquam moram. Ergo.

Resp. *D. M:...* et vox *ambulasti* sumitur proprie *N;* metaphorice, *C.—C.d.m:* ambulatio proprie sumpta secundum motum corporalem, *C;* ambulatio metaphorice accepta pro aliquo motu spirituali, *N.—Neg. conseq.*

Obj. 2.—Origenes dicit (Hom. 1 in Ezech): "Serpens antiquus non statim supra pectus et ventrem suum ambulavit". Ergo.

Resp. *Dist. antec:...*non statim, i. e. non in primo instanti peccavit, *C;* non statim, i. e. post aliquam moram, *N.—Neg. Conseq.*

Obj. 3.—Posse peccare commune est homini et Angelo. Atqui fuit aliqua mora inter formationem hominis et ejus peccatum. Ergo.

Resp. *D. M:...*commune est univoca ratione, *N;* ratione analogica, *C.—C.m.—Neg. conseq.*

Hoc discriminis inter libertatem hominis et libertatem Angeli intercedit quod illa flexibilis est de bono in malum et versa vice tum *ante* tum *post* primam electionem, ista autem bene ante electionem, minime vero post ipsam malum amplecti potest. Ratio est, quia Angelus, cum sit perfectior, paucioribus actibus quam homo finem suum assequitur. Hinc nisi statim post primum instans, in quo naturalem motum habuit ad bonum, impedimentum beatitudini præstitisset, mox fuisset in bono firmatus. Sed via hominis, remissior et imperfectior, moram postulat.

Obj. 4.—Aliud instans fuit in quo diabolus peccavit et aliud in quo creatus fuit. Atqui inter quælibet duo instantia cadit tempus medium. Ergo.

Resp. *C. M.—D.m:* Inter instantia temporis continui, *C;* inter instantia temporis discreti quod accipitur pro successione operationum spiritualium, *N.—Neg. conseq.*

ARTICULUS VII.

Utrum Angelus supremus inter peccantes fuerit supremus inter omnes.

Disserendum superest de *subjecto* culpæ angelicæ necnon de rebellium spirituum numero.

Unum fuisse inter illos principem, qui *Diabolus, Satanas* aut *Lucifer* vulgo nominatur, communis persuasio est tum in Scripturis tum in veterum traditione fundata.—Quæritur itaque utrum ille dæmonum antistes fuerit supremus simpliciter inter Angelos. *Non pauci* affirmant; *alii* vero negant, præsertim ex antiquis Patribus. *Augustinus* (l. II de Gen. ad litt. c. 18) dubitat.

Conclusio. — Probabilius est principem dæmonum fuisse simpliciter supremum inter omnes Angelos.

In peccato duo considerare est, *pronitatem* ad peccandum et peccandi *motivum*.—Si primum tantum spectandum foret, videretur peccatum referendum esse non tam ad superiores quam ad inferiores Angelos, ob majorem istorum defectibilitatem. Et hæc forte ratio fuit cur *Damascenus* (l. II de Orth. Fid. c. 4) dixerit: "Major eorum qui peccaverunt fuit terrestri ordini prælatus." Quæ opinio conformis est positioni *Platonicorum* juxta quos omnes dii, scil. substantiæ intellectuales superiores, boni essent, dæmonum autem seu spirituum administrandis corporibus inferioribus præpositorum quidam boni, quidam mali.

At vero in Angelis, quorum peccatum non ex pronitate, sed ex solo libero arbitrio processit, maxime spectandum est *peccandi motivum.*

His ergo præfixis, conclusio *prob.*—1° *Ex Scriptura.* (Job, XL, 10) Lucifer sub typo Behemoth appellatur *Principium viarum Dei;* quæ verba *Gregorius* (XXXII Moral. c. 18) sic interpretatur: "Principium viarum Dei Behemoth dicitur; quia nimirum cum cuncta creans ageret, hunc primum condidit, quem reliquis Angelis eminentiorem fecit."

2° Rem confirmat idem *Gregorius* (Hom. 34 in Evang.) dicens: "Primus Angelus qui peccavit, dum cunctis agminibus Angelorum prælatus eorum claritatem transcenderet, ex eorum comparatione clarior fuit." Non alia mens est *Tertulliani, Hieronymi,* atque *S. Bernardi* qui (in 1 Serm. de Adv.) de superbia ait: "Non modo Angelum, sed Angelorum principem in diabolum commutavit."

Revera 3°, cum Angeli superbia peccaverint, in illo arbitrandum est primas peccati faces arsisse cui majus fuit superbiendi motivum. Atqui procul dubio hujusmodi erat excellentior Angelus. Ergo probabilius ipse veluti princeps, una cum aliis diversorum ordinum a primo ad ultimum, corruisse credendus est.

Solv. obj.—Obj. 1.—Lucifer in Scriptura Cherubinus dicitur (Ezech. XXVIII, 14): *Tu Cherub extentus et protegens; posui te in monte sancto Dei.* Atqui ordo Cherubim inferior est ordine Seraphim. Ergo.

Resp. *D. M:*...dicitur Cherubinus, quasi ex ordine Cherubim, *N;* ob amissam Seraphici amoris flammam atque denominatione quadam extrinseca, *C.—C.m.—Neg. conseq.*

Lucifer in Scriptura appellatur Cherubinus, quia *Cherubim* denominatur a scientia, quæ potest esse cum peccato mortali; *Seraphim* vero ab ardore charitatis, quæ cum peccato mortali est incompossibilis: unde eam diabolus totaliter amisit.

Obj. 2.—Inconveniens est intentionem divinam circa beatitudinem frustrari, præsertim in nobilissima creatura. Atqui ex facta hypothesi id contingeret. Ergo.

Resp. *C. M.—N.m.—Neg. conseq.*

Expl. negatio *minoris.*—Et sane 1° divina intentio nequaquam frustratur nec in his qui peccant nec in his qui salvantur. Utrorumque enim sortem venturam Deus præcognoscit; et utrinque habet gloriam, dum hos ex sua bonitate salvat, illos autem libere a fine excidentes ex sua justitia castigat.—

Neque 2º hæc justitiæ dispositio inconveniens est in quacumque creatura sublimi; sic enim natura intellectualis instituta est a Deo ut in ejus arbitrio positum sit agere propter finem vel a fine deflectere.

OBJ. 3.—Quanto aliquid magis inclinatur in finem, tanto minus potest ab illo deficere. Atqui superiores Angeli magis inclinantur in Deum quam inferiores. Ergo.

RESP. *D. M* :...considerata sola pronitate ad peccandum, *C*; inspecto etiam peccandi motivo quod est excellentia propria, *N*.—*D. m* :...et hæc inclinatio necessitatem eis inducit, *N*; talis est quam possint non sequi, *C*.—*Neg. conseq.*

ARTICULUS VIII.

Utrum peccatum primi Angeli fuerit aliis causa peccandi.

Quæstio non est de causa *cogente* et *directa* actus peccaminosi, sed de causa *indirecta* et *inducente* ex parte objecti seu per modum cujusdam exhortationis ad peccandum.

Doctorum sententia *certa* esse videtur quod Lucifer non solum dignitate naturæ, sed etiam perversitatis influxu inter alios Angelos malos præstiterit.

Conclusio.—PECCATUM PRIMI ANGELI FUIT ALIIS CAUSA PECCANDI.

1º Huic asserto favent sat multa *Scripturarum* testimonia. Apocal. enim (XII, 4) legitur: *Et cauda ejus* (draconis) *trahebat tertiam partem stellarum cœli*; quæ SS. Patres de Lucifero cæterisque Angelis e cœlo cadentibus interpretantur. Unde *Cyril. Hieros.* (Catech. 2); " Iste, inquit, traxit ad ruinam multos." Et *Nazianzenus* (Carm. 6):

" Haud solus cecidit Lucifer, verum agmine septus
" Ingenti, sceleris cui dux fuit atque magister."

Verba (Is. XIV, 20.): *Tu terram tuam disperdidisti, tu populum tuum occidisti* diabolo applicat *Hieronymus*: " Lucifer, inquit, quos sibi Deus in correptionem dederat penitus perdidit."

2° Hoc habet ordo divinæ justitiæ ut cujus suggestioni aliquis consentit in culpa, ejus potestati subdatur in pœna, juxta illud (2 Petri, II, 19) : *A quo quis superatus est, hujus et servus est.* Atqui omnes mali Angeli subduntur Lucifero in pœna, prouti clare innuitur (Matth. XXV, 41) : *Ite, maledicti, in ignem æternum qui paratus est Diabolo et Angelis ejus.* Ergo eidem adhæsere in culpa.

3° Qui malitiæ principatum tenet, pronum est ut alios quasi antesignanus vel exemplo vel suggestione in malum pertrahat. Atqui, ut creditur, diabolus, cæteris in essentia excellentior, factus est in malitia major, propterea quod intensiori motu suæ virtutis in peccatum ruit. Ergo. (Ex resp. ad 3)

Solv. obj.—Obj. 1.—Causa prior est causato. Atqui omnes Angeli simul peccaverunt. Ergo.

Resp. *D. M :...* prioritate naturæ, *C* ; etiam prioritate temporis universaliter, *N.*—*C.d.m :* simul ordine temporis, *C* ; ordine naturæ, *N.*—*Neg. conseq.*

Angelus non indiget ad eligendum vel exhortandum vel etiam consentiendum temporis mora sicut homo in quo deliberatio prævia requiritur ad electionem et consensum, locutio autem vocalis ad exhortationem. Hinc eo momento quo primus Angelus affectionem suam intelligibili locutione expressit, possibile aliis fuit factæ sibi suggestioni consentire aut resistere. Quare ordo pugnæ cœlestium spirituum, nempe victoriæ bonorum, lapsûs autem malorum, non fuit *ordo temporis* sed *naturæ* tantum, qualis absolute exigitur inter causam et effectum.

Obj. 2. — Superbia excellentiam quærit. Atqui magis excellentiæ repugnat subjici inferiori quam superiori. Ergo dæmones non peccaverunt per hoc quod secuti sint supremum Angelorum potius quam Deum.

Resp. *C. M.*—*D.m :...* cæteris paribus, *C* ; dato quod subjectio ad inferiorem medium videatur consequendi novam excellentiam, *N.*—*Neg. conseq.*

1° Superbus, cæteris paribus, mavult subesse superiori quam inferiori. Sed si sub inferiori aliquam excellentiam consequatur quam consequi sub superiori non posset, libentius eligit inferiori subesse quam superiori. Itaque non fuit contra superbiam dæmonum quod Luciferum principem habere voluerint, quo præeunte naturali sua virtute ultimam

beatitudinem consequerentur. Eo vel magis 2° quia etiam tunc, naturæ gradu et hierarchico ordine, supremo Angelo subjecti erant.

ARTICULUS IX.

Utrum tot peccaverunt quot permanserunt.

Postremum theologo inquirendum objicitur, an plures vel pauciores Angeli in bono steterint; et quanquam hac de re omnimoda certitudo ægre constitui possit, fundatissima tamen Angelici Doctoris sententia veluti probabilior plerisque probabitur.

Conclusio.—PLURES ANGELI PERMANSERUNT QUAM PECCAVERUNT.

Prob. 1° ex illo (4 Reg. VI, 16): *Plures nobiscum sunt quam cum illis*; quod exponitur de bonis Angelis qui sunt nobiscum in auxilium et de malis qui nobis adversantur.—Præterea *draco*, de quo in Apocal. (XII, 4), secum ibi traxisse refertur *tertiam partem* stellarum.

2° *Ratio* idipsum suadet.—*a)* Nam peccatum est contra naturalem inclinationem. Atqui quod hujusmodi est in paucioribus accidit, cum naturæ conveniat proprium effectum vel semper vel ut in pluribus consequi. Ergo multo plures Angeli Deo fruuntur quam divinæ justitiæ rogo subjaceant.—*b)* Fatemur equidem inter homines plures esse malos quam bonos secundum illud (Eccle. I, 15): *Stultorum infinitus est numerus;* hoc vero contingit, eo quod bona sensibilia pluribus nota atque proximiora vehementius movent appetitum humanum quam bonum rationis. Atqui in Angelis non est nisi natura intellectualis. Igitur nihil vetuit quominus hæc natura, saltem ut in pluribus, suum finem assequeretur.

Qui dicunt diabolum majorem fuisse de inferiori ordine Angelorum terrestribus præposito opinari coguntur non de quolibet ordine, sed de infimo tantum Angelos cecidisse.—Quum vero probabilius Lucifer (ut antea diximus art. 7) supremus fuerit supremi ordinis, probabile etiam est quod

de quolibet ordine aliqui ceciderint: in hoc enim magis comprobatur libertas arbitrii quæ secundum quemlibet creaturæ gradum in malum flecti potest; eaque de causa *in quemlibet ordinem*, quasi ad supplendam ruinam angelicam, homines assumuntur.

Tandem in Scriptura *nomina quorumdam ordinum*, ut Seraphim et Thronorum, dæmonibus non tribuuntur, quia significant ardorem charitatis et inhabitationem Dei quæ cum peccato mortali esse non possunt. Nomina autem alia, nimirum Cherubim, Potestatum et Principatuum usu sacro obtinuerunt, utpote desumpta a scientia et potentia quæ bonis malisque possunt esse communia.

QUÆSTIO OCTAVA

DE PŒNA DÆMONUM

Quia pœna sequitur culpam, absoluta quæstione de primo Angelorum peccato, jure meritoque præsens tractatio instituitur.—At enim pœna considerari potest vel *intrinsece* vel *extrinsece* ; intrinsece sumpta, afficit vel intellectum vel voluntatem sub duplici ratione obstinationis in malo et intimi doloris. Quare successive disputandum erit de obtenebratione mentis dæmonum (art. 1), de obstinatione eorum voluntatis (art. 2) nec non de eorum dolore (art. 3), tandem de loco pœnali in quo detrusi sunt (art. 4).

ARTICULUS I.

Utrum intellectus dæmonis sit obtenebratus per privationem cognitionis omnis veritatis.

1° Certum est Angelos rebelles cuncta dona sanctificantia, quibus ornati erant, perdidisse et ex amicis Dei inimicos factos esse, juxta illud Psalmistæ ad Deum (Ps. V, 7) : *Odisti omnes qui operantur iniquitatem.* Idcirco etiam omne jus ad beatitudinem seu beatificam Dei visionem amiserunt cœloque depulsi sunt, testante Scriptura (Apoc. XII, 7–8) : *Michaël et Angeli ejus præliabantur cum dracone, et draco pugnabat et Angeli ejus ; et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo.*

2° Igitur semota beatorum cognitione quæ habetur *per gloriam*, duplex adhuc accipi potest notitia veritatis, una *per naturam*, alia *per gratiam ;* quæ quidem altera vel est *speculativa* tantum, sicut cum alicui aliqua secreta divino-

rum revelantur, vel est *affectiva*, producens amorem Dei proprieque pertinens ad donum prudentiæ.

Hisce prænotatis, ad rem veniamus.

Conclusio.—DÆMONUM NATURALIS COGNITIO NEC EST ABLATA NEC DIMINUTA ; SUPERNATURALIS VERO ET SPECULATIVA, NON QUIDEM TOTALITER ABLATA, SED DIMINUTA EST ; TANDEM AFFECTIVA OMNIMO EVANUIT.

1ª *Pars prob.*—1º *Ex S. Dionysio* (de Div. Nom. c. 4), ubi ait : " Data sunt dæmonibus aliqua dona quæ nequaquam mutata esse dicimus, sed sunt integra et splendidissima."—2º *Ratione.* Cognitio naturalis consequitur in Angelis ipsam naturam cui, cum sit intellectualis tantum ideoque immunis a gravamine corporis, necessario debetur illa perfectio. Atqui naturæ intellectuali et simplici nihil subtrahi potest. Ergo dæmonibus deneganda non est cognitio naturalis.

2ª *Pars* apparet ex illo (Jac. II, 19) : *Dæmones credunt et contremiscunt.* Etenim, præter ea quæ ante peccatum ex Dei ore fide didicerunt, nonnulla divina manifestari eis putantur vel per Angelos vel per aliquos divinæ virtutis effectus, quos experientia propria percipiunt : quippe id exigit Providentiæ ratio.—Tamen plura sunt a sanctis Angelis in Verbo Dei cognita quæ dæmonibus impervia manent.—Utrumque affirmat *S. Augustinus* (9 de Civ. Dei, c. 21); quo loco postquam dixisset dæmones aliquo modo cognovisse Christum, ita prosequitur : " Clarum est quod in eis et tanta scientia erat, et charitas non erat... tantum vero eis innotuit quantum (Christus) voluit ; tantum autem voluit quantum oportuit. Sed innotuit non sicut Angelis sanctis qui ejus secundum id quod Dei Verbum est participata æternitate perfruuntur, sed sicut eis terrendis innotescendum fuit. "

3ª *Pars* liquet.—Nam cognitio affectiva Dei divinæque veritatis pertinet ad *donum sapientiæ* [1], ideoque ex charitate tanquam ex causa proxima procedit. Atqui charitate dæmones peccando totaliter privati sunt. Ergo.

Solv. obj. (contra 1^{am} partem concl.).—OBJ. 1.—Dæmones, si quid cognoscerent, maxime seipsos contemplarentur. Atqui cognitio substantiæ separatæ non convenit eorum miseriæ, eo quod inducit magnam beatitudinem. Ergo.

1—Cf. II-II^{æ}, Q. XLV, a. 2.

Resp. *C. M.—N.m.* et *Dist. probationem :* inducit aliquam perfectionem, *C ;* perfectionem ultimam, *N.—Neg. conseq.*

Concedendum est dæmones cognoscere seipsos. Cum autem vera beatitudo consistat in conjunctione cum principio superiori, licet ex hoc quod homo cognoscat substantias separatas aliquid felicitatis ei obveniat, minime tamen in hoc constituenda est felicitas Angeli, imo nec proprie ipsius hominis : perfecta siquidem beatitudo maxime ex Dei cognitione pendet.

Obj. 2.—Qui non potest cognoscere objectum manifestissimum, qualis est Deus, nec alia attingere potest. Atqui dæmones, corde immundi, non possunt cognoscere Deum. Ergo.

Resp. *D. M :...* objectum manifestissimum tum in se tum quoad nos, *C ;* manifestissimum in se, non quoad nos, *N.—D.m :...*non possunt cognoscere Deum secundum suam substantiam, *C ;* secundum quod relucet in creaturis, *N.—Neg. conseq.*

1° Illud quod est manifestum in natura potest esse *nobis* occultum in quantum superet proportionem intellectus nostri. Hujusmodi est Deus, cujus substantia penitus excedit vires cujuscumque intellectus creati etiam angelici.—Quocirca 2° nec ipse Angelus potest per seipsum intimam perspicere Dei naturam.—Attamen 3° propter perfectionem sui intellectus habere de Deo valet naturali virtute altiorem cognitionem quam homo, et hæc cognitio remanet in dæmonibus, quorum natura non est peccato labefactata.—4° Haud sequitur per hanc cognitionem eos esse beatos saltem *secundum quid :* beatitudo enim imperfecta et naturalis consistere quidem potest cum negatione, non vero cum *privatione* beatitudinis supernaturalis ad quam prior illa ordinatur.

Obj. 3.—Eadem ratio est privandi dæmones Christi cognitione atque cognitione omnis veritatis. Atqui dæmones constat fuisse privatos cognitione Christi ; nam omnes Angeli illam ab initio habuerunt, dæmones vero *si cognovissent, nequaquam Dominum gloriæ crucifixissent* (1 Cor. II, 8). Ergo.

Resp. *D. M :...* omnis veritatis supernaturalis, *Transeat ;* naturalis, *N.—D.m :...* quatenus cognitionem acceptam amiserint, *N ;* quatenus non tantam sunt consecuti quantam boni Angeli, *C.—Neg. conseq.*

Distinctio duplex duplicem explanationem deposcit.—

1º Eadem non est, respectu dæmonum, ratio cognitionis Christi et cognitionis veritatis naturalis, cum illa sit supra naturam, hæc vero Angelorum esse necessario sequatur.—2º Ab initio Christi mysterium omnes quidem Angeli aliquo modo cognoverunt, non tamen perfecte neque æqualiter; hæc autem cognitio maxime aucta est visione Verbi, quam dæmones nunquam habuerunt. Hinc de istis statuendum videtur[1] quod Christum cognoverint in quantum erat *Messias* promissus in Lege, non vero in quantum erat verus *Dei Filius* nisi dubitative et per conjecturas; quæ tamen incerta et conjecturalis cognitio in eis obscurabatur ex invidia et cupiditate propriæ gloriæ. Si enim perfecte et per certitudinem Christi divinitatem atque salutiferam ejus virtutem cognovissent, nunquam eum crucifigi curassent.

ARTICULUS II.

Utrum voluntas dæmonum sit obstinata in malo.

Determinato dæmonum statu quoad intellectum, consideranda venit eorum conditio quoad *voluntatem*. Voluntatis autem pœna esse potest vel quod a culpa resipiscere nequeat propter obstinationem vel quod doloris stimulum persentiat.

Quæstio circa obstinationem dæmonum in malo gemina est: de *facto* et de *causa*.

a) Origenes posuit omnem creaturæ voluntatem, excepta Christi anima, posse libere flecti et in bonum et in malum; ideo Angelos bonos et sanctorum animas post certas annorum revolutiones peccatum et damnationem incursuros, dæmones e contra et homines damnatos ad pœnitentiam et felicitatem redituros et iterum hos casuros et illos resurrecturos.—*b)* Plures theologi, ut *Scotus*, *Suarez*, *Molina*, etc., admissa secundum fidem perpetua obstinatione dæmonum, eam explicant per solam causam *extrinsecam*, scil. per subtractionem

1—Cf. S. Thom. *Comment.* in 1 Cor. II, 8.

divinæ gratiæ, non vero per causam *intrinsecam* quæ est inflexibilitas liberi arbitrii.

Conclusio.—TENENDUM EST DÆMONES ESSE IN MALO PENITUS OBSTINATOS, TUM PROPTER SUBTRACTIONEM GRATIÆ TUM PROPTER NATURALEM CONDITIONEM SUI LIBERI ARBITRII.

1ª *Pars factum* respicit, atque *de fide* esse videtur.

Etenim 1º positio Origenis tollit a sanctis Angelis et hominibus veritatem beatitudinis, de cujus ratione est stabilitas sempiterna. Cum ergo pro falsa certe habenda sit in quantum spectat beatos, ex opposito sequitur eam falsam esse etiam prouti ad damnatos attinet.—2º Hæc opinio aperte repugnat auctoritati *Sacræ Scripturæ*, in qua tum culpa tum inferni pœna dicitur perpetua. (Ps. LXXIII, 23): *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper;* quod de dæmonibus exponitur. (Ps. VI, 6): *In inferno autem quis confitebitur tibi?* (Matth. XXV, 41): *Ite, maledicti, in ignem æternum qui paratus est diabolo et Angelis ejus.*

2ª *Pars prob.*—*a)* Omnes quidem theologi concedunt causam *extrinsecam* obstinationis dæmonum reponendam esse in subtractione divinæ gratiæ. Status enim ultimi termini, qui est damnatio, evidenter postulat ut creatura, in illo constituta, careat auxilio dirigente aut pertinente ad oppositum terminum; præterquam quod delicti gravitas justum quoque efficit ut gratiæ beneficium tollatur.—Verum *b)* dubitatio est de causa *intrinseca*, an sit et qualis sit.

Plerique post *D. Thomam* merito hanc causam admittunt eamque esse docent *inflexibilitatem liberi arbitrii* Angelorum, quatenus isti immobiliter fini adhærent ad quem semel ex certo judicio et perfecta deliberatione sese converterint.—Et sane vis appetitiva in omnibus proportionatur apprehensivæ, ut mobile motori suo; v. g. appetitus sensitivus est boni particularis, voluntas vero boni universalis, sicut sensus apprehendit singularia, intellectus autem universalia. Atqui hominis apprehensio immobilis quidem est circa prima principia, mobilis vero circa alia quæ discurrendo cognoscit; Angelus autem immobiliter apprehendit (Supra, Q. III, a. 4) tum naturalia tum supernaturalia, tum speculativa tum practica [1]. Ergo humana voluntas, libero utens arbitrio,

1.—Cf. Cajet. *Comt.* in h. l.

flexibilis est ad opposita et ante electionem et post; voluntas vero Angeli flecti in oppositum potest ante electionem, non autem semel ac libere et ex plena deliberatione finem suum elegerit.

Consequitur: 1° Angelos malos indeclinabiliter adhærere *perverso fini*, id est suæ excellentiæ et beatitudini perverse volitæ;—2° idcirco non posse ullum opus morale *undequaque bonum* facere, sed quæ ab ipsis bona procedunt aliquâ malâ circumstantiâ vitiari, v. g. dum veritatem dicunt ut decipiant (ex resp. ad 5);—3° hæc ipsis imputari ad culpam propter libertatem voluntatis *in causa*;—4° tandem manere in illis libertatem arbitrii non contrarietatis, sed *contradictionis.*

Solv. obj.—Obj. 1.—Libertas arbitrii ad naturam intellectualis substantiæ pertinet. Atqui hæc libertas per se et prius ordinatur ad bonum quam ad malum. Ergo voluntas dæmonis non est ita obstinata in malo quin possit redire ad bonum.

Resp. *D. M:...* diversimode secundum diversas substantias, *C;* uniformiter, *N.—D.m:* radicaliter, *C;* quin ordo ille per electionem definitivam solvi possit, *N.—Neg. conseq.*

Obj. 2.—Major est misericordia Dei infinita quam dæmonis malitia quæ finita est. Atqui a malitia culpæ Dei misericordia retrahit. Ergo.

Resp. *C. M.—D.m:...*retrahit pœnitentes, *C;...*etiam eos qui, immobiliter in malo defixi, pœnitentiæ capaces non sunt, *N.—Neg. conseq.*

Obj. 3.—Obstinatio dæmonum, si quæ foret, maxime esset intelligenda de primo peccato ab eis commisso. Atqui illud peccatum, scil. superbia, deficiente motivo, in eis non manet. Ergo.

Resp. *C. M.—D.m:...*non manet quantum ad affectum indebitæ excellentiæ, *N;* quantum ad judicium mere speculativum quo, ob neglectam debitam considerationem, non reputarunt adeptionem talis excellentiæ esse impossibilem, *C.—Neg. conseq.*

Sicut si quis credat se posse facere homicidium quod patrare cupiat, et postea adimatur ei potestas, nihilominus voluntas homicidii in eo manere potest ut velit fecisse vel

velit facere si posset; ita adhuc manet in diabolo peccatum quo primo peccavit, nempe superbia, quantum ad *affectum*, licet non quantum ad hoc quod credat se posse optatum excellentiæ finem obtinere.

ARTICULUS III.

Utrum dolor sit in dæmonibus.

Dolor duplicis generis est : *sensitivus* et *spiritualis*. Priorem quidem in dæmonibus esse non posse nemo est qui non videat ; tota dubitatio, si qua sit, de altero versatur.

Conclusio.—DOLOR, IN QUANTUM EST SPIRITUALIS, PONI DEBET IN DÆMONIBUS.

Prob. 1° arg. *a fortiori.*—Peccatum dæmonis gravius est quam peccatum hominis. Atqui homo dolore afficitur in pœnam delectationis peccati, secundum illud (Apoc. XVIII, 7) : *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* Ergo multo magis diabolus, qui maxime seipsum extulit, doloris stimulo affligitur.

2° *Ex rei natura.*—Dolor enim, secundum quod spiritualis, nihil est aliud quam renisus quidam voluntatis ad id quod est vel non est, dum hoc percipitur ut disconveniens vel malum sibi conjunctum. Atqui dæmones multa cupiunt esse quæ non sunt et non esse quæ sunt : siquidem v. g. volunt esse beati, præcellere aliis, adorari ab omnibus, omnes homines damnari, etc ; volunt non puniri igne, non expelli a corporibus, non mitti in infernum, etc. Ergo.

Solv. obj.—OBJ. 1.—Dolor et gaudium non possunt simul esse in eodem. Atqui in dæmonibus est gaudium de potestate quam in peccatores exercent. Ergo.

RESP. *D. M* :...de eodem, *C*; de diversis, *N*.—*D.m* :...et hoc gaudium æquat dolorem, *N* ; ab eo incomparabiliter superatur, *C*.—*Neg. conseq.*

1° Gaudium et dolor *de eodem* sunt opposita, non autem de *diversis*. Unde nihil prohibet aliquem simul tristari de

uno et gaudere de alio, maxime secundum quod dolor et gaudium important simplices voluntatis actus; nam non solum in diversis, sed etiam in una eademque re potest esse aliquid quod volumus et aliquid quod nolumus.—At vero 2° gaudium dæmonum, immenso, quem sentiunt, dolori comparatum, minimum quidpiam est in eo demersum, non secus ac gutta pluviæ in oceano.

Obj. 2.—Dolor de præsenti est causa timoris de futuro. Atqui in dæmonibus non est timor, secundum illud (Job, XLI, 24): *Factus est ut nullum timeret.* Ergo.

Resp. *C. M.—D.m*:.... non est timor mali, *N*; non est timor Dei cohibens a peccato, *C.—Neg. conseq.*

Obj. 3.—Dolere de malo est bonum. Atqui dæmones non possunt bonum facere. Ergo.

Resp. *D. M*:...de malo culpæ, *C*; de malo pœnæ vel de malo culpæ propter pœnam, *S.d*: est bonum naturale, *C*; est bonum morale, *N.—C.d.m*: non possunt actum objective bonum ponere, *N*; ex fine moraliter bono, *C.—Neg. conseq.*

ARTICULUS IV.

Utrum aer iste sit locus pœnalis dæmonum.

1° Dei sapientia taliter providit ut cuique rei locus assignaretur secundum propriam ejus conditionem. Quamobrem factum est ut dæmones, statim post commissam culpam, de cœlo ejicerentur, quia regio illa bonis ac beatis spiritibus erat destinata. Quinam vero pœnalis locus damnatos a Deo spiritus exceperit, in dubium nunc vocatur.—Quæstio esse potest tum de *loco* ipso, tum de *pœna* quæ ibi sustineatur. Unde, ad complendam hujus articuli doctrinam, quædam juvabit de igne et supplicio inferni subjicere.

2° *Nonnulli* dixerunt (inter quos Irenæus et Epiphanius) ad diem usque judicii differri pœnam sensibilem dæmonum. *Alii* minoris notæ idem de animabus tenuerunt, addentes et ipsam sanctorum beatitudinem similiter protelari.—*a)* Hæc opinio, in quantum respicit beatos et præscitas animas, fidei

adversatur: repugnat enim Apostolo dicenti (2 Cor. V, 1): *Si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, domum habemus in cœlo*; necnon Synodo Florentinæ definienti animas decedentium in lethali culpa sine dilatione in infernum detrudi. *b)* Prouti vero ad dæmones attinet, præfata sententia non quidem hæretica, sed *falsa* dicenda est: par enim judicium quodammodo ferri debet de animabus malis et de malis angelis, sicuti eadem sors sanctorum animas et Angelos bonos feliciter afficit.

Quibus præmissis, jam ad veritatem intentam et explorandam in hoc articulo gradum faciamus.

Conclusio 1ª.—DUPLEX LOCUS PŒNALIS CONVENIT DÆMONIBUS, INFERNUS SIMPLICITER AC ÆTERNALITER, ET AER CALIGINOSUS USQUE AD DIEM JUDICII.—Hæc propositio tam certa videtur ut prima pars *de fide*, altera vero *proxima fidei* tuto dici possit.

Prob. 1º *ex Scripturis.*—Quoad *infernum*, S. Petrus hæc habet (2 Pet. II, 4): *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Judas consonat (Jud. 6): *Angelos vero qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit.*—Quoad *aerem*, audiatur D. Pauli testimonium (Eph. II, 2), ubi Satanam vocat *principem potestatis aeris hujus*, necnon (Ibid, VI, 12), ubi monet *quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem; sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in excelsis*, i. e. contra malignos spiritus per aera cursitantes.

Prob. 2º *ex Patribus.*—Æternas dæmonum pœnas in *inferno* luendas sic docet *Ambrosius* (l. 2 de Fide, c. 4): "Tu te a diabolo creatum, Manichæe, arbitraris: ad illius ergo festina sedem ubi ignis et sulphur, ubi non restinguitur ejus incendium nec unquam pœna moritur".—Ex altera parte non minus liquida est mens Augustini dicentis (III super Gen. c. 10): "*Aer* caliginosus est quasi carcer dæmonibus usque ad tempus judicii".

Prob. 3º *ratione.*—Divinæ Providentiæ ordo id importat ut inferiorum bona per superiora procurentur. Atqui hæc lex non poterat perfecte adimpleri nisi Angeli mali aere circa

terras coercerentur. Ergo locus ille juste ac utiliter iis assignatus est. *Minor* ostenditur. Etenim bonum hominis procuratur dupliciter, directe et indirecte: *directe* quidem, prout aliquis inducitur ad bonum et retrahitur a malo; *indirecte* autem, dum exercetur impugnatione contraria. Atqui decuit ut prima procuratio per bonos Angelos fieret; secunda vero per malos, ne totaliter post peccatum ab utilitate naturalis ordinis exciderent. Ergo dæmonibus duplex locus pœnalis debetur: unus ratione suæ culpæ, et hic est *infernus;* alius ratione exercitationis humanæ, et est caliginosus *aer*.—Procuratio autem humanæ salutis *usque ad judicii diem* protenditur. Unde non dispari temporis spatio durare censetur, una cum ministerio Angelorum, dæmonum exercitatio istorumque inhabitatio per aera et circa terras.

Existimant auctores a) omnes Angelos apostatas, simul atque peccaverunt, in imum infernum dejectos fuisse; *b)* postea vero Deum concessisse ut quidam ex illis ad tentandos homines in aere veluti in temporario quodam carcere morarentur; *c)* plurimos tamen in profundis tartaris detrusos manere qui forte nunquam exierint nec exituri sint, sicut permulti beatorum spirituum jugiter Deo adsistunt.

Conclusio 2ª.—Ignis gehennæ a quo patitur diabolus materialis est, atque vehementer dæmones torquet per modum alligationis.

1ª *Pars* [1], tametsi nullo Ecclesiæ decreto unquam promulgata sit, *communiter* conceditur.—Nam 1º dæmones puniuntur ab illo igne in quem projicientur corpora damnatorum post resurrectionem, juxta illud (Matth. XXV, 41): *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum qui paratus est diabolo et Angelis ejus.* Atqui ignem illum corporeum esse pro certo agnoscitur. Ergo.—2º S. Scriptura frequenter nomine ignis supplicium inferni designat (Judith XVI, Job XX, Is. XXXIII, Matth. V, VII, XIII, XV); neque ulla ratio cogit ad hæc loca metaphorice intelligenda.—3º Traditio Patrum et Doctorum, paucis tantum exceptis, nostræ sententiæ favet; et hi quidem pauci, si quando contradicere videantur, vel inquirendo, non determinando, loquuntur; vel discrimen quod-

1—Cf. *Suppl.* S. th. Q. LXX, a. 3; Q. XCVII, a. 5-6.

dam accidentale inter ignem illum divinitus motum et ignem nostrum assignare intendunt [1].

2ª *Pars* importat ignem, ut instrumentum divinæ justitiæ, cruciare dæmones, eos alligando atque prohibendo ne operentur sive interne sive externe secundum quod volunt et ubi volunt, proinde ne adeant locum desideratum. Ita Thomistarum schola cum aliis multis.

Prob. 1º *ex Scripturis.*—Legitur (Apoc. XX, 2-3): *Et apprehendit (*Angelus*) draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et satanas; et ligavit eum per annos mille; et misit eum in abyssum.* Similia sunt loca superius citata (Ep. 2 Petri et Ep. Judæ); ex quibus apparet supplicium dæmonum sub detentionis specie exhiberi.

2º *Ex Patribus.*—*S. Greg.* (l. 4. Dialog. c. 29): "Cum veritas, inquit, peccatorem divitem damnatum igne perhibeat, quisnam sapiens reproborum animas *teneri* ignibus neget?" Et *S. August.* (21 de Civ. Dei, c. 10): "Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi, si spiritus hominum, etiam ipsi profecto incorporei, et nunc potuerunt includi corporalibus membris et tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? *Adhærebunt* ergo, si eis nulla sunt corpora, spiritus dæmonum, imo spiritus dæmones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi."

3º *Ratione;* quandoquidem pœna illa cum possibilis tum conveniens dæmonibus dicenda est. *a) Possibilis est:* nam quemadmodum elementum sensibile in Sacramentis animam attingit producendo instrumentaliter gratiam, ita non repugnat ignem per modum instrumenti detinere pœnaliter dæmones [2]. *b) Conveniens* est: quia, ex una parte, superbissimos illos spiritus rei corporeæ vilissimæ subjicit eorumque potentias activitatis plenas detinet; ex altera autem, nullum instrumentum aptius esse potest quam ignis physicus ad significandum simul et efficiendum moralem doloris ignem.

Probabilius videtur, licet nonnulli contrarium sentiant, 1º ignem inferni ligare dæmones producendo in eis *qualitatem intrinsecam* quæ sola impedire potest operationem immanen-

1—Billuart, *de Angelis*, Diss. VI, a. 3.
2—Cf. *Suppl.* Q. LXX, a. cit.

tem, eamque qualitatem immediate subjectari in potentia eorum operativa ; 2° præter hoc supplicii genus per modum alligationis, dæmones nihil aliud acerbius pati ab igne [1].

Ultimo *notandum est* dæmonum pœnam nequaquam minui, eo quod infernum ad tempus relinquant atque in aeris caligine versentur : probe enim sciunt igneum carcerem sibi deberi, eaque de causa quodammodo secum vehunt ignem gehennæ quocumque progrediantur.—Si autem quandoque *rogaverunt Dominum ut non mitteret eos in abyssum* (Luc. VIII, 31), rogatio illa intelligenda est de summo eorum desiderio habitandi locum in quo hominibus nocumentum grave inferre possent, non vero quasi extra infernum minus patiantur.

1—Cf. Gonet, *De Angelis*, Disp. XIV, a. 2.

DISPUTATIO QUARTA

DE EXTERNA ET SOCIALI ACTIONE ANGELORUM

(I, Q. CVI–CXIV)

Hactenus Angelos in se et seorsim, tanquam potissimam mundi partem, consideravimus. Verum quia mundus, a Deo conditus atque gubernatus, taliter consistit ut singulæ ejus partes mutuæ habitudinis nexu colligentur, hinc de Angelis investigandum superest quomodo se habeant 1° ad invicem, 2° ad corpora, 3° ad homines.

Quod ad primum pertinet, duo doctrinæ capita proponemus: *unum* quidem de illuminatione et locutione Angelorum, *aliud* vero de ordinatione eorum ad invicem, tam bonorum quam malorum.

Nemo nos reprehendat quod, vestigia S. Thomæ prementes, longius quam soleant plerique moderni in tractatu *de Angelis* immoremur; magnam enim inde tum speculativam tum practicam utilitatem uberrimosque fructus derivari posse persuasissimum habemus.

QUÆSTIO PRIMA

DE ILLUMINATIONE ET LOCUTIONE ANGELORUM

ARTICULUS I.

An et quomodo Angelus illuminet Angelum.

(I. q. CVI)

Tria sub hoc articulo inquirenda sunt: 1° an de facto unus Angelus, scil. superior, illuminet inferiorem; 2° qua ratione hæc illuminatio contingere queat; 3° de quibus habeatur.

Nomine illuminationis hic intelligitur *manifestatio veritatis ignotæ, ordinem habens ad Deum.*

Conclusio 1ª. — UNUS ANGELUS ILLUMINAT ALIUM, SCILICET INFERIOREM.—Ita *communiter* theologi cum D. Thoma contra Durandum.

Prob. 1° *ex Scriptura*, quæ (Ps. XXIII) introducit quosdam Angelos interrogantes: *Quis est iste Rex gloriæ?* et alios respondentes: *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.*—(Ps. LXXV, 4) ait Propheta: *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis;* quod *Nazianz.* (Orat. 40) interpretatur de supremis Angelis divinas illustrationes immediate a Deo recipientibus et postea illas in inferiores effundentibus.

Prob. 2° *ex Patribus*, quorum doctrinæ jam præluserat *Dionysius* (Cœl. Hier. C. 7): "Hoc, inquit, theologi plane monstrant, inferiores cœlestium substantiarum ordines a supremis mentibus doceri deificas scientias". Idem sentiunt *Athanasius, Damascenus, Bernardus*, etc.

Suadetur 3° *ratione;* siquidem (ut pluries pronunciatum est) hic est ordo a Deo statutus ut inferiora per superiora regantur atque perficiantur, v. g. in Ecclesia superiores dicuntur illuminare inferiores juxta illud Apost. (Eph. III, 8): *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc illuminare omnes*, etc. Ergo et in mundo angelico idipsum admittendum est.

Ex dictis *colligitur* inferiorem Angelum a superiori, nunquam vero superiorem ab inferiori illuminari.

Conclusio 2ª.— ILLUMINATIO ANGELICA CONTINGIT PER MODUM CUJUSDAM ARTIFICIOSI MAGISTERII, CONFORTANTIS INTELLECTUM ANGELI INFERIORIS ET EJUS CAPTUI VERITATEM ACCOMODANTIS.—Licet alii alias explicationes proposuerint [1], hæc quam amplectimur Angelico Doctori et naturæ rei consona apprime videtur [2].

Prob.—Ad illuminationem, præter simplicem præsentationem objecti, duo concurrunt, nempe confortatio potentiæ intellectivæ et accommodatio doctrinæ captui intelligentis. Atqui Angelus, alium edocens, utrumque præstat: *a)* primo namque *fortificat virtutem* intellectivam Angeli inferioris

1—Cf. Gonet. *op. cit.*, Disp. XV, a. 2.
2—Cf. Cajet. *Comt.* in h. l.: *de Veritate*, Q. IX, a. 1.

Quemadmodum enim corpus minus calidum crescit in calore ex præsentia magis calidi, ita per hoc quod magister novam doctrinam discipulo proponit secundum ordinem principii ad conclusiones seu secundum medium demonstrativum, ex mente magistri transit in discipulum lumen quoddam quo ejus intellectus confortatur ad cognoscenda alia prius sibi ignota. Idem analogice dicendum est de Angelo docente. *b)* Præterea Angelus superior alium illuminat etiam *ex parte conceptus* seu similitudinis rei intellectæ. Quum enim ipse veritatis notitiam accipiat per altiorem conceptionem, ad quam capiendam intellectus Angeli inferioris non esset sufficiens, quod universaliter concipit dividit atque distinguit secundum conceptus magis dearticulatos ; qua objectiva conditione posita, Angelus inferior per species sibi divinitus impressas in actum cognoscendi procedit.

Conclusio 3ª.—ANGELUS SUPERIOR ILLUMINAT INFERIOREM DE REBUS TUM NATURÆ, TUM GRATIÆ ET GLORIÆ. (Q. CVI, a. 1 ad 2 et a. 4).

1º Huc spectat verbum *Dionysii* dicentis (Cœl. Hier. c. 15), unamquamque cœlestem essentiam inferiori communicare intelligentiam sibi a superiori datam.

2º *Probatur* sequenti medio.—Bonum est sui diffusivum ; unde quo aliqua agentia creata magis participant de divina bonitate, eo magis perfectiones suas in alios, quantum possibile est, transfundere nituntur. Atqui sancti Angeli tanto plura cognoscunt ex divino lumine quanto superiores naturâ existunt. Ergo concludendum est eos quidquid a Deo percipiunt subjectis sibi spiritibus impertiri.

Id *in specie a)* asseritur *de rebus naturæ* quæ pendent a causis pure contingentibus vel quæ ex aliquo speciali Dei beneficio fiunt vel quæ administrantur a superioribus Angelis. *b)* Quoad ea *quæ sunt gratiæ*, usque ad diem judicii semper nova aliqua supremis Angelis divinitus revelantur, præsertim quæ respiciunt salutem electorum ; de quibus expedit inferiores illuminari. Tandem *c)* omnes Angeli tam superiores quam inferiores immediate vident Dei essentiam, et quantum ad hoc unus non docet alium. Verum *rationes divinorum operum*, in Deo relucentes, non omnes neque æqualiter ab omnibus videntur ; unde superior de his potest per revelationes extra Verbum illuminare inferiorem.

Postremo *notetur* veritatis cognitionem inferioribus communicatam non ita excellenter ab iis recipi sicuti est in superioribus. Quocirca in istis remanet dignitas altioris ordinis et scientiæ perfectioris.

ARTICULUS II.

An et quomodo unus Angelus alteri loquatur.

(I. Q. CVII)

Quæstionem de illuminatione Angelorum excipit altera de *locutione*, quæ, dum communior est, minorem perfectionem importat quam illuminatio atque ex ista facilior intellectu redditur.

Angelos inter se pro lubitu loqui inconcussa omnium sententia est; verum controversia non levis existit circa explicandum locutionis modum. *a) Alii*, ut *Scotus* et *Suarez*, dicunt locutionem illam fieri per aliquid physice impressum menti audientis; *b) nonnulli* recurrunt ad quædam signa vel spiritualia vel sensibilia; *c) plerique* sentiunt cum *D. Thoma* in hoc positam esse locutionem angelicam quod ordinetur conceptus loquentis ad eum cui loquitur.

Conclusio 1ª.—ANGELI INTER SE CERTISSIME LOQUUNTUR.

Prob 1º *ex Scriptura.*—(Is. VI, 3): *Et clamabant* (Seraphim) *alter ad alterum, et dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus*, etc. (1 Cor. XIII, 1): *Si linguis hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans*, etc.

2º *Ratio* est, quia Angeli perfectam societatem seu rempublicam efformant, intellectualiter gubernatam; sine locutione autem neque societas neque gubernatio subsistere potest.

Conclusio 2ª.—ANGELUS ANGELO LOQUITUR ORDINANDO SEU DIRIGENDO AD IPSUM SUOS CONCEPTUS.

Prob. 1º *directe.*—Loqui alteri nihil aliud est quam ei manifestare mentis conceptum. Atqui Angelus ordinando ad

alterum suos conceptus eos manifestat. Ergo. *Major* est per se nota; *minor prob. a)* Quemadmodum habitualem mentis notitiam potest voluntas deducere ad actualem quæ vocatur *interius verbum*, ita quoque potest actualem conceptum referre ad alterum cui manifestetur. Atqui semel ac ab Angelo fiat hæc relatio vel ordinatio, jam conceptus ille ponitur intra sphæram cognoscibilitatis alterius Angeli. Ergo. Insuper, *b)* ideo ad manifestandos suos conceptus homo indiget locutione vocali quia non solum secreto et arbitrio suæ voluntatis eos potest interius occultare, verum etiam quia obstaculo corporis, cui mens tam intime fœderata est, quodammodo clauduntur; unde necesse est aliquod signum sensibile adhiberi. Jamvero obstaculum illud corporeum in Angelis non reperitur. Itaque in eis sat est ut habeatur locutio mere intelligibilis qua voluntas pandere intendit mentis conceptus, quæque per directionem vel ordinationem illam secretorum cordis ad alterum hunc naturali quadam virtute seu proportione ad attendendum excitat [1] simulque ad cognoscendum movet.

Prob. 2º *ex falsitate aliarum sententiarum* [2].—*a)* Imprimis dici nequit quidquam a loquente *physice produci in mente* audientis. Id enim esset vel actus vel species: actus vero, cum sit vitalis, debet esse ab intrinseco; species autem, præter plura alia inconvenientia, contineretur intra objectum cognoscibile a quocumque Angelo (Cf. I, Q. LVII, a. 4, obj. 2), ideoque non servaretur locutionis secretum. *b)* Nec pariter Angelorum locutio explicari potest per *signa* sive *spiritualia* sive *sensibilia*; spiritualia enim aliud non essent quam actus vel species, sensibilia vero creaturis omnino spiritualibus minime conveniunt. Ergo.

Sequuntur quædam *corollaria*.

1º Cum Angelus inferior possit dirigere suum conceptum ad superiorem cui innotescat, certo ei competit facultas loquendi, quamvis non illuminandi.—Unde perspicias discrimen inter *illuminationem* et *locutionem*; hæc enim dicit solam manifestationem conceptûs latentis, illa superaddit intellectûs confortationem. Prior semper est de vero,

1—Cf. Cajet. *Comt.* in h. l.
2—Vid. Gonet. *op. cit.* a. 3.

posterior autem potest esse de falso, v. g. quando dæmones mentiuntur.

2º Omnes Angeli *Deo* loqui possunt, non quidem ut aliquid ei manifestent, sed potius orando, vel consultando, vel laudando atque admirando.

3º Angelorum locutio nullo distantiæ spatio impeditur, utpote quæ reponitur in intellectuali operatione penitus abstracta a loco et tempore.

4º Locutionem Angeli ad Angelum non omnes cognoscunt, sed solummodo ille vel illi ad quos voluntarie dirigitur.

5º Dæmones possunt quidem loqui; non tamen illuminare, quod est veritatem *in ordine ad Deum* manifestare.

QUÆSTIO SECUNDA

DE ORDINATIONE ANGELORUM BONORUM ET MALORUM

Quia hierarchica Angelorum dispositio fundatur in diversitate donorum, virium et facultatum naturalium quibus præditi sunt, peracta quæstione de vi illuminativa superioribus tantum concessa, logice proceditur ad alteram quæstionem *de ordinatione*.

Sex diversos articulos instituemus. Ordinatio enim vel bonos (art. 1-5) vel malos Angelos respicit (art. 6).—Si bonos, vel absolute (art. 1-4) vel relative (art. 5).—Absolute quidem considerata, Angelorum ordinatio vel secundum esse (art. 1-3), vel secundum durationem accipitur (art. 4). Iterum secundum esse investigari potest vel in genere quoad hierarchias (art. 1) necnon ordines (art. 2) vel in specie quoad singulorum ordinum denominationes (art. 3).

ARTICULUS I.

Utrum omnes Angeli sint unius hierarchiæ.

Hierarchia definitur, nominaliter quidem sacer principatus, realiter vero *collectio personarum aliquo modo sacrarum ordinata sub principe.*

Quum igitur unus sit Deus princeps non solum omnium Angelorum sed etiam hominum et totius creaturæ, ideo re inspecta *ex parte principis, una est hierarchia* veluti ecclesia quædam latissima, complectens simul omnes Angelos omnemque rationalem creaturam quæ sacrorum particeps esse possit. Id docuerat *S. Augustinus* (12 de Civ. Dei, c. 1), scribens "duas esse civitates, hoc est societates, unam in Angelis bonis et hominibus, alteram in malis."

Verum quæstio potissime nunc agitur de hierarchia considerata *ex parte ipsius multitudinis* sub principe ordinatæ.


Conclusio.—ANGELI NEQUE CUM HOMINIBUS NEQUE INTER SE SUNT UNIUS HIERARCHIÆ, SED TRES CŒLESTES HIERARCHIAS EFFORMANT: qua in re theologi præeuntem *Dionysium* (Cœl. Hier. c. 6) *communiter* sequuntur.


Et sane 1° hierarchia, quam prænotavimus esse multitudinem ordinatam sub principe, dicitur una secundum quod multitudo uno et eodem modo potest gubernationem principis recipere; quæ vero non possunt secundum eumdem modum gubernari a principe ad diversos principatus seu hierarchias pertinent, sicut sub uno rege sunt diversæ civitates, diversis legibus et ministris subjectæ. Atqui non eodem modo homines et Angeli recipiunt illuminationes quibus a Deo reguntur: illi enim eas percipiunt sub sensibilium similitudinibus, isti vero in intelligibili puritate. Ergo imprimis oportet distingui *humanam hierarchiam ab angelica.*

2° Insuper *Angeli* inter se *tres componunt hierarchias.*—Ratio enim hierarchias distinguendi peti debet ex diverso modo recipiendi divinam gubernationem, quæ et ipsa naturæ cognitionis seu illuminationis proportionatur. Atqui triplex est modus seu gradus cognitionis in Angelis, prouti rationes rerum, de quibus illuminantur, tripliciter apparent. *a)* Quidam enim eas immediate contemplantur, secundum quod procedunt a primo principio universali quod est Deus, et hi pertinent ad *primam* hierarchiam quæ immediatius Deum attingit et "quasi in vestibulis Dei collocatur" ut ait Dionysius (Cœl. Hier. c. 7). *c)* Alii easdem rationes cognoscunt secundum quod pendent ab universalibus causis creatis quæ jam aliquo modo multiplicantur, et hi constituunt *secundam* hierarchiam. *c)* Alii tandem habent cognitionem proportionatam causis propriis et particularibus, et isti efformant *tertiam* hierarchiam.—Res *exemplo* illustretur: sic in monarchia ministri regi assidentes ab ipso immediate accipiunt dispositionem regni; senatores et provinciarum gubernatores a legibus et statutis generalibus; ballivi in civitatibus a locorum statutis et consuetudinibus.

Per modum *corollarii* addatur eos errare qui ponunt in Divinis Personis hierarchiam quam vocant super-cœlestem. Ibi enim est ordo naturæ, non autem hierarchiæ, ad quam




4.5
5.0
2.8
2.5
3.2
3.6
2.2
4.0
2.0
1.8


1.1
1.0

pertinet ut quidam illuminent et perficiant alios sibi inferiores.

Solv. obj.—Obj. 1.—Angeli debent esse optime dispositi. Atqui optima multorum dispositio est secundum unum principatum. Ergo.

Resp. *C. M.—D.m:* Optima dispositio requirit unitatem ex parte principis, *C;* ex parte multitudinis ordinatæ sub principe, *N.—Neg. conseq.*

Obj. 2.—Juxta Dionysium (Cœl. Hier, c. 3) hierarchia est “ ordo, scientia et actio.” Atqui omnes Angeli conveniunt in uno ordine ad Deum, quem uno modo, scil. per essentiam, vident, et a quo in suis actionibus regulantur. Ergo.

Resp. *D. M:*...est ordo in cognitione ipsius Dei, *N;* in cognitione rationum rerum creatarum, *C.—C.m.—Neg. conseq.*

Obj. 3.—Sacer principatus invenitur in hominibus æque ac in Angelis. Atqui omnes homines sunt unius hierarchiæ. Ergo.

Resp. *D. M:*...similiter, *N;* diversimode, *C.—D.m:* quia sunt unius speciei ideoque habent eumdem intelligendi modum, *C;* secus, *N.—Neg. conseq.*

ARTICULUS II.

Utrum in una hierarchia sint plures ordines.

Auctor, sub hoc titulo, tria sibi adstruenda proponit, scil. *pluralitatem, rationem proximam* atque proprium angelicorum ordinum *numerum.—De fide* quidem est in Angelis dari inferiorum et superiorum ordinem secundum varios dignitatis gradus; cætera vero non eadem certitudine constant.—*Certum* tamen videtur, juxta communem Patrum traditionem, non minus quam *novem* inveniri *ordines* vel choros Angelorum.

Conclusio.—Talis admittenda est, secundum varia officia et actus, ordinum diversitas ut tres in qualibet hierarchia ponantur.

1° *Plures esse angelicos ordines* docet *Scriptura*. Nam (Eph. I, 21) legitur Deum constituisse Christum "*supra omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem.*"—Revera, una hierarchia est unus principatus, id est una multitudo uno modo ordinata sub principis gubernatione. Jam vero non esset multitudo ordinata, sed potius confusa, si in ea diversi ordines non continerentur. Ergo ipsa hierarchiæ ratio diversitatem ordinum requirit.

2° Hæc diversitas, licet *remote* a variis naturæ et gratiæ dotibus pendeat, *proxime* accipienda est *secundum diversa officia et actus*. Quemadmodum enim in una civitate diversi numerantur ordines secundum diversos actus, v. g. ordo judicantium, ordo pugnantium, ordo laborantium in agris, ita in societate supernarum mentium.

3° Dicimus *tres esse in unaquaque hierarchia ordines vel choros;* nempe, ut posuit *Dionysius*, Seraphim, Cherubim et Thronos in prima: Dominationes, Virtutes et Potestates in secunda; Principatus, Archangelos et Angelos in tertia.—Cujus *ratio* est tum *a)* quia omnis multitudo perfecta reducitur ad ternarium, scil. ad principium, medium et finem; tum *b)* quia in civitatibus humanis experimur triplicem hominum ordinem inveniri secundum officiorum distinctionem: quidam enim sunt supremi, ut optimates; quidam autem medii, ut honorabiles viri; quidam vero infimi ut plebeius populus. Eamdem divisionem servari congruebat in cœlestibus hierarchiis.

ARTICULUS III.

Utrum nomina et gradus ordinum convenienter assignentur.

Aliud est *nominum* angelicorum rationem tradere, aliud diversorum *graduum* convenientiam inquirere atque manifestare: utrumque præstabimus.

Conclusio.—TUM NOMINA TUM GRADUS ORDINUM ANGELORUM USU ECCLESIASTICO CONVENIENTER ASSIGNARI SOLENT.

Prob. 1ª *pars, quoad nomina.*

1° *Ipsa Scriptura* choros cœlestes propriis nominibus appellat. Nam (Is. VI, 2) dicitur : " *Seraphim* stabant super illud. " (Ezech. X, 3) : " *Cherubim* stabant a dextris domus." (Colos. I, 16) : " Sive *Throni*, sive *Dominationes*, sive *Principatus*, sive *Potestates*, omnia per ipsum et in ipso creata sunt. " *Virtutes* addit S. Paulus (Eph. I, 21). Memorantur Archangeli (1 Thess. IV, 15) : " In jussu et in voce *Archangeli*, " et frequens occurrit mentio de *Angelis*.

2° Propria rerum nomina proprietates earum designant, non quæ participentur imperfecte neque per excessum habeantur, sed quæ coæquentur singulis juxta naturam uniuscujusque ; sicut si quis vult proprie nominare hominem, eum dicit substantiam rationalem, non autem intellectualem, quod proprium Angeli est, neque sensibilem, quod proprium est bruti.—Hoc ducti criterio, *S. Dionysius* et *S. Gregorius*, respiciens ille ad spirituales Angelorum perfectiones, iste vero ad exteriora eorum ministeria, singulos ordines optime denominarunt.

Etenim *Angeli*, qui nuntii dicuntur, significant infimum ordinem, tum quia nomen generis solet speciei minus perfectæ accommodari, tum quia immediate nobis plura communia annuntiant.—*Archangeli* dicuntur quasi principes Angeli, sive quod (juxta Dionysium) medii inter Principatus et Angelos utriusque extremi naturam participant, sive quod principantes Angelis (secundum Gregorium) majora referunt, uti constat de Archangelo Gabriele.—*Principatus* ita vocantur, quasi primi sint in executione eorum quæ a superioribus imperantur ; unde Archangelis et Angelis præsunt in iis quæ ad salutem omnium hominum tam privatorum quam principum pertinent : imo gubernationi gentium et regnorum præsidere creduntur.

Potestatis nomen ordinationem quamdam designat, ex quo intelligitur *Potestates* ordinare quæ a subditis sint agenda ; verum (ut volunt Gregorius et Bernardus) pro munere habent potestates adversas seu malos spiritus arcere vel repellere.—Nomen *Virtutum* significare videtur quemdam excessum fortitudinis quo sine timore divina aggrediuntur ; unde Gregorius eis tribuit potestatem miraculorum.—*Dominationum* proprium est quædam libertas et gubernandi facultas, participata a Deo, ad præcipiendum inferioribus de iis quæ sunt agenda.

Succedunt *Throni* quorum nomen assumitur per convenientiam ad materiales sedes ; sicuti enim sedes super terram elevantur et sedentem suscipiunt atque deferunt, ita Angeli illius ordinis ad Deum immediatius accedunt, eum suscipiunt atque quodammodo ad inferiores ferunt.—Nomen *Cherubim* addit plenitudinem quamdam scientiæ tum de Deo tum de creaturis in alios effundendæ.—Demum, nomen *Seraphim* imponitur a charitatis excessu seu ardore, ita ut, ad instar ignis cujus est sursum moveri, vehementer calefacere atque clarescere, Seraphici spiritus in Deum continuo moveantur, amore fervidi fervorem aliorum excitent atque inextinguibilis lucis claritate mentes inferiores perfecte illuminent.

Prob. 2a pars. quoad gradus.

Gradus angelicorum ordinum assignant tum Gregorius tum Dionysius, levi tamen cum differentia quantum ad *Virtutes* et *Principatus*. Nam *Dionysius* collocat Virtutes sub Dominationibus et supra Potestates, Principatus autem sub Potestatibus et supra Archangelos ; *Gregorius* autem inverso ordine eos disponit.—Utrique videntur fulcimentum suæ positionis habere ex auctoritate Apostoli (Eph. I, 20) et (Coloss. I, 16.)

En ratio assignationis *Dionysii*, cujus auctoritas hac in re plurimi æstimanda est. 1° Prima hierarchia (ut dictum est art. 1 hujus quæst.) inspicit res in ipso Deo idque secundum rationem finis ; secunda eas inspicit in causis universalibus pro generali agendorum dispositione ; tertia vero secundum determinationem ad speciales effectus quæ est executio operis. Atqui tres sunt ordines quorum nomina imponuntur per respectum ad Deum, scil. *Seraphim*, *Cherubim* et *Throni ;* tres etiam sunt quorum voces designant communem quamdam gubernationem sive dispositionem, nempe *Dominationes*, *Virtutes* et *Potestates ;* tres tandem existunt quibus convenit operis executio, scil. *Principatus*, *Archangeli* et *Angeli*. Ergo congrua est hierarchiarum distributio, facta a Dionysio.

2° Qualiter in unaquaque earum ordines disponendi sint, sequenti processu liquido ostenditur.—Sane *a)* respectu finis tria distingui possunt : sc. ipsa finis consideratio, perfecta finis cognitio atque intentio in fine defixa. Et quia Deus est finis creaturarum sicut dux est finis exercitus, consequitur sub tali considerationis modo quosdam haberi in tanta digni-

tate constitutos ut familiariter accedere possint ad Deum, quosdam etiam ut secreta ejus cognoscant, alios tandem ut semper ei conjungantur. Atqui hæc tria, secundum hanc gradationem, conveniunt *Thronis*, *Cherubim* et *Seraphim* : Thronis quidem quorum est Deum familiariter in seipsis recipere intuendo res in ipso, quod est proprium totius primæ hierarchiæ ; Cherubim quorum eminet divinorum secretorum scientia ; Seraphim vero propter excellentiam divini amoris.—*b)* Præterea, ad gubernationis rationem tria pertinent, quorum primum est agendorum distinctio seu præscriptio, secundum ut præbeatur implendi facultas, tertium ut ordinetur qualiter ea quæ præcepta sunt executioni mandentur : idcirco ponuntur in secunda hierarchia *Dominationes*, *Virtutes* et *Potestates*.—*c)* Executio autem angelici ministerii in hoc consistit quod divina annuntientur : in quo opere quidam sunt quasi incipientes actionem ducentesque alios, alii simpliciter exequentes, et medii quippiam de utroque officio tenentes ; hinc ordines tertiæ hierarchiæ apte recensentur *Principatus*, *Archangeli* et *Angeli*.

3° Quam pulchra et concinna hæc sit ordinum assignatio ex eo amplius dignoscitur quod semper summum inferioris ordinis affinitatem habet cum ultimo superioris, sicut infima animalia parum distant a plantis. Primus autem ordo est Divinarum Personarum, qui terminatur ad Spiritum Sanctum ut Amorem ; cum quo affinitatem habet supremus ordo primæ hierarchiæ ab amoris incendio denominatus. Infimus ordo primæ hierarchiæ est Thronorum qui ex sua proprietate Dominationibus affinior est. Ordo Potestatum vicinior est Principatibus qui sunt primi in executione divinorum ministeriorum.

Solv. obj. (contra 2^{am} partem concl.).—Intellectûs scientia nobilior est quam voluntatis amor. Atqui ordo Cherubim desumitur a scientia intellectus, ordo autem Seraphim ab amore voluntatis. Ergo Cherubim aliis seu Seraphim præponendi sunt.

RESP. *D. M* :...simpliciter, *C* ; secundum quid, *N*.—*C.m.*—*Neg. conseq.*

Difficultas hæc petitur ex quæstione agitata in scholis, quænam scilicet dignior sit potentia, intellectus an voluntas. 1° Cum D. Thoma (I, Q. LXXXII, a. 3) communior opinio

tenet intellectum, *simpliciter* loquendo, nobiliorem esse voluntate, tum quia ejus objectum simplicius et abstractius est ideoque magis elongatum a potentialitate, tum quia intellectio simpliciter præcedit et movet objective volitionem.—Tamen 2° voluntas intellectui præfertur *secundum quid*, nempe non absolute sed quoad *talem* materiam, maxime quoad Deum in hac vita cognitum. Nam cognitio fit secundum quod cognita sunt in cognoscente, amor autem inclinat ad ipsam rem amatam. Verum superiora nobiliori modo sunt in seipsis quam in inferioribus, dum inferiora in contrarium se habent. Idcirco inferiorum cognitio dilectioni præstat, superiorum autem et præcipue Dei dilectio *in via* præeminet cognitioni. Dixi in via; quia *in patria* mens beata immediate Deum attingit, secundum quod in se est.—3° Igitur, cum nomina ordinum angelicorum eis imposita sint pro conditione naturæ et gratiæ, antecedenter ad gloriam, consequens est ut Seraphim principem gradum obtineant [1].

ARTICULUS IV.

Utrum ordines remanebunt post diem judicii.

Hactenus egimus de ordinibus Angelorum secundum esse: nunc breviter de eorum duratione post diem judicii seu in patria.

Duo in illis ordinibus possunt considerari, scil. *distinctio graduum* et *executio officiorum*: de quibus jam sequentia concludenda sunt.

Conclusio 1ª.—ANGELICI ORDINES REMANEBUNT QUOAD GRADUUM DISTINCTIONEM SEU SIMPLICITER.—Dico *simpliciter*, cum distinctio hæc sit formale constitutivum cœlestium ordinum.

Innuitur 1° præfata veritas in *S. Scriptura*. Nam (Judic. V, 20), ubi Debora et Barac triumphum celebrant populi

1—Cf. Cajetani *Comt.* in I, Q. LXXXII, a. 3.

Israel, legitur: *De cœlo dimicatum est contra eos: stellæ, manentes in ordine et cursu suo, adversus Sisara pugnaverunt.* Quæ verba non perperam exponuntur de Angelis pro Deo dimicantibus et ordine permanentibus.—2° Sic *prob.* Distinctio graduum in Angelis petitur a differentia gratiæ et naturæ. Atqui utraque ratio diversificans perpetuo manebit: siquidem ex una parte naturarum diversitates ab Angelis auferri non possunt nisi ipsis corruptis; gloria autem ex altera semper erit meritis præcedentibus proportionata. Ergo.

Conclusio 2ª.—ORDINES QUOAD OFFICIORUM EXECUTIONEM PARTIM REMANEBUNT, PARTIM VERO CESSABUNT.

Angelorum officia considerari possunt vel in ordine ad *inferiores Angelos* vel in ordine ad *homines*, et præsens conclusio sub utroque respectu procedit.

Revera, *quoad* 1ᵘᵐ, licet post judicium inferiores Angeli non sint suscepturi a superioribus novas illuminationes seu revelationes, semper tamen ab eis dependebunt quantum ad cognitionum quarumdam conservationem. Quemadmodum enim nemo potest scientifice cognoscere aliquam conclusionem nisi propria demonstrationis media mente retinuerit, ita inferiores Angeli, a superioribus edocti de ratione supereminenti divinorum operum, non possunt hanc cognitionem conservare nisi superius illud lumen continuo fulgeat. (I, Q. CVIII, a. 7, resp. ad 2)

Quoad aliud vero seu quoad actionem Angelorum in homines, cessabit quidem executio officiorum secundum quod hæc officia ordinantur ad operandum humanam salutem; et id significant verba Apostoli (1 Cor. XV, 24): *Quum tradiderit* (Christus) *regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum et potestatem et virtutem.*—Aliqualiter tamen manebit. Sicuti enim alia sunt officia militarium ordinum in pugna et in triumpho dum jam duces militibus congaudent eosque sua gloria quasi perfundunt, ita etiam, comparata felicitate, gloriosus quidam influxus ab Angelis in homines exercebitur.

ARTICULUS V.

Utrum homines assumantur ad ordines Angelorum.

Jam a primo hujusce quæstionis articulo constitit angelicas hierarchias ab humana distingui. Dubium hinc movetur, utrum vel quomodo hæc distinctio perseveratura sit in cœlis. —Homines assumi ad ordines Angelorum *tripliciter* intelligi potest, quatenus scilicet vel naturæ gradum, vel gloriæ angelicæ fastigium attingant, vel saltem quatenus unam cum eis societatem efforment.—Tota doctrina tribus expedietur conclusionibus.

Conclusio 1ª.—QUANTUM AD GRADUM NATURÆ, HOMINES NULLATENUS POSSUNT ASSUMI AD ORDINES ANGELORUM.

Ratio in promptu est: siquidem naturæ sunt immutabiles, unde semper manebit naturarum diversitas.

Id *quidam* præ oculis habentes posuerunt homines nullo modo transferri posse ad æqualitatem Angelorum: quod falsum esse proxime patebit.

Conclusio 2ª.—HOMINES GRATIÆ DONO MERERI POSSUNT TANTAM GLORIAM UT ANGELIS SECUNDUM SINGULOS EORUM GRADUS ÆQUENTUR.

Prob. 1º *ex Scripturæ testimoniis.*—De sanctis enim dicitur (Matth. XXII, 30): *Erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* (Luc. XX, 36): *Æquales enim Angelis sunt.*

2º *Ratio* idipsum confirmat.—Quod est ex parte naturæ se habet ut materiale in ratione ordinis ad quem homines justi, qua tales, pertinent; præcipuum autem et formale elementum se tenet ex parte gratiæ. Atqui quantitas gratiæ, consequenter et gloriæ, dependet non ex commensuratione naturæ, sed ex liberalitate Dei cujus actioni voluntas nostra libere cooperatur. Ergo nil prohibet assumi quosdam homines ad dignitatem Angelorum.

Hoc sane 3º clare suadetur ex doctrina Sanctorum, juxta quos justi homines prædestinati sunt ad reparandas collapsas sedes malorum Angelorum. Id quippe fieri non posset nisi justi illi ad hanc gloriæ celsitudinem devenirent, quam lapsi Angeli perseverando obtinuissent.

Attamen 4° credendum non est omnes homines sic assumi ad eosdem felicitatis gradus quibus Angeli potiuntur: verum quidam sunt supra ipsos, uti Beata Virgo quam Ecclesia quotidie proclamat reginam Angelorum; alii eis æquantur sicuti Apostoli pluresque in sanctitate magis provecti; alii tandem inferius manent, ut rationabiliter sunt omnes pueri statim post Baptisma evolantes cæterique multi. (Ita Cajetanus)

Conclusio 3ª.—OMNES PRÆDESTINATI SIMUL CUM ANGELIS UNAM BEATORUM SOCIETATEM INTEGRABUNT.—Militat hæc propositio contra eos qui vellent minus perfectos in cœlis proprium efformaturos ordinem veluti condivisum toti societati Angelorum.

Prob. 1° auctoritate *S. Augustini* (12 de Civ. Dei, c. 1): " Non erunt duæ societates hominum et Angelorum sed una; quia omnium beatitudo est adhærere uni Deo. "

2° Postrema hæc verba jam nobis subministrant propositæ veritatis *rationem*. Quum enim omnes beati, ejusdem Dei immediata visione fruendo, eamdem felicitatem quoad essentiam sint consecuturi, quid negabimus ex Angelis et hominibus futurum tunc esse unum integrum corpus totius Ecclesiæ triumphantis? Profecto æqua sors socios et consortes et cohæredes facit.

Solv. obj. (contra 2am concl.). — OBJ. 1. — Hierarchia humana continetur sub infima hierarchiarum cœlestium, sicut infima hæc sub media et media sub prima. Atqui Angeli infimæ hierarchiæ nunquam transferentur in mediam aut in primam. Ergo.

RESP. *D. M*:...quoad gradus naturæ, *C*;...gratiæ et gloriæ, *N.—C.m.—Neg. Conseq.*

Gratia Angelis datur secundum proportionem naturalium, non autem hominibus (Disp. III, Q. VI, a. 6). Ideo sicut inferiores Angeli non possunt transferri ad naturalem gradum superiorum, ita nec ad gratuitum seu supernaturalem; homines vero possunt ad gratuitum conscendere, licet non ad naturalem.

OBJ. 2.—Ordinibus Angelorum aliqua officia competunt, nempe homines custodire, miracula patrare, etc. Atqui hæc non videntur animabus sanctorum convenire. Ergo.

RESP. *C. M.* — *D.m* :...secundum legem communem, *C*; neque ex speciali dispensatione, *N.*—*Neg. conseq.*

Angeli secundum naturæ ordinem medii sunt inter nos et Deum; unde, per eos, juxta communem legem, administrantur non solum humana sed etiam omnia corporalia. Homines autem sancti, etiam post hanc vitam, nostram naturam retinent; unde *jure communi* eis non competit regere humana nec "rebus vivorum interesse", ut ait Augustinus.—Attamen ex quadam *speciali dispensatione* sanctis conceditur tam vivis quam mortuis hujusmodi officia exercere, vel miracula faciendo, vel dæmones arcendo, etc; quod quidem confirmat pia fidelium consuetudo eos deprecandi veluti protectores populi christiani.

OBJ. 3.—Sicut boni Angeli inducunt ad bonum, ita dæmones inducunt ad malum. Atqui falsum est animas hominum transferri in dæmones: id enim reprobat Chrysostomus (sup. Matth. hom. 29). Ergo.

RESP. *Transeat M.*—*D.m* :... in naturam dæmonum, *C*; in eorum pœnam subeundam, *N.*—*Neg. conseq.*

ARTICULUS VI.

Utrum dæmones sint sibi invicem necnon bonis Angelis subordinati.

(I, Q. CIX)

De bonorum spirituum ordinatione satis diximus: aliquid nunc de malis sive in se sive per respectum ad bonos considerandis subjicere præstabit.—Tria in quæstionem vocabimus: 1° an sit in dæmonibus hierarchica ordinatio; 2° an prælatio; 3° an subjectio sub bonos spiritus.

Conclusio 1ª.—VIGET INTER DÆMONES ORDINATIO HIERARCHICA IN IPSA DISTINCTIONE NATURÆ ANGELICÆ FUNDATA.

Præmittimus primo ordinem angelicum spectari posse et secundum gradum *naturæ* et secundum gradum *gratiæ*. Gratia autem duplicem statum habet, *imperfectum* scilicet

qui est status merendi, *perfectum* vero qui pertinet ad gloriam.—Profecto dæmones nec sunt nec unquam fuerunt in ordinibus angelicis quatenus isti resultant ex perfectione gloriæ ; ab ordinatione autem accepta secundum gradum gratiæ imperfectæ peccando ceciderunt.

Prob. concl. 1° *ex Scriptura.*—Apostolus, hortans fratres ad sumendam Dei armaturam, ait (Eph. VI, 12) : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum.* Ex quo manifestum est dæmonibus tribui quædam nomina angelicorum ordinum, quamvis alia, peccato repugnantia, sicuti *Seraphim* et *Throni*, de eis prædicari non soleant.—*Prob.* 2° *ratione.* Dæmones, ut communiter creditur, de singulis ordinibus Angelorum ceciderunt. Atqui peccando non amiserunt naturalia principia, ex quibus notum est primum enasci ordinum distinctionem. Ergo.

Conclusio 2ª.—INTER DÆMONES QUIDAM ALIIS PRÆSUNT.

1° Præsto est *Scripturæ* suffragium, (Luc. XI, 18) : *Si Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus?* Et (Marc. III, 22) : *In principe dæmoniorum ejicit dæmonia.*—Hinc Glossa, commentans verba Apostoli (I Cor. XV), ait : " Quamdiu durat mundus, Angeli Angelis, homines hominibus et dæmones dæmonibus præsunt."

2° *Ratio* idem demonstrat tum ex naturali dispositione dæmonum tum ex divinæ Sapientiæ consilio.—*a)* Cum actio naturam rei sequatur, quorumcumque naturæ sunt ordinatæ, oportet et actiones mutuo ordine se invicem respicere. Atqui ostensum est (concl. præced.) alios esse inter dæmones qui naturali dispositione sub aliis constituuntur. Ergo et eorum actiones superiorum actionibus subditæ sunt : quod rationem prælationis efficit.—*b)* Convenit etiam illud societatis genus divinæ Sapientiæ quæ nihil in universo inordinatum relinquit, sed *attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter* (Sap. VIII, 1).

Notari tamen velim hanc concordiam dæmonum, quâ quidam aliis obediunt, non ex amicitia procedere sed ex communi nequitia qua, naturam nostram odio habentes, eam collatis viribus insectantur atque Dei justitiæ repugnant.

Conclusio 3ª.—BONI ANGELI MALIS DOMINANTUR.

1° Suadet hoc imprimis *sensus Ecclesiæ,* quæ in oratione post

missam a Leon XIII præscripta advocat Principem militiæ cœlestis, B. Michaelem Archangelum, ut Satanam aliosque spiritus malignos divina virtute in infernum detrudat.—Item *Augustinus* jam pridem docuerat (III de Trin. c. 4): "Spiritus vitæ desertor atque peccator regitur per spiritum vitæ rationalem, pium et justum." Pariter *Gregorius* (Hom. 34): "Potestates, inquit, sunt Angeli quorum ditioni virtutes adversæ subjectæ sunt."

Et vero 2° cum prælationis ordo soleat a Deo creaturis communicari secundum quod magis Ipsi appropinquant, illæ creaturæ influxum super alias exercere censentur quæ sunt perfectiores Deoque similiores. Atqui maxima omnium perfectio summaque nobilitas est frui Deo; qua quidem potiuntur sancti Angeli, mali autem privantur. Ergo boni Angeli malis dominantur.

Hinc, quia divina justitia aliquando exigit a dæmonibus quædam fieri sive ad punitionem malorum sive ad exercitationem bonorum, multa eis a bonis spiritibus de divinis mysteriis revelantur.—Iidem etiam beati spiritus a multis malis faciendis dæmones cohibent, quamvis, disponente sic Deo, nonnulla alia non impediant.

QUÆSTIO TERTIA

De actione Angelorum in corpora

Quomodo Angeli se habeant ad invicem, hucusque perspeximus: considerandum nunc est qualiter *in creaturam corporalem* agant ita ut, sic determinatis extremis, facilius cognosci possit media actio, nempe in homines.

Duo sub hoc capite in controversiam veniunt, 1um an Angeli regant corpora (art. 1), 2um qua ratione. Regere autem corpora potest intelligi vel de *naturali* motu materiæ tum ad formam (art. 2) tum ad locum (art. 3), vel de motu *supernaturali*, scil. miraculoso (art. 4). Itaque quatuor articuli sequentur.

ARTICULUS I.

Utrum creatura corporalis administretur per Angelos.

Tria in titulo advertas.—1° Sermo est tum de cœlestibus tum de inferioribus terræ *corporibus*.—2° Per *Angelos* intelliguntur boni et mali spiritus, quamvis malorum naturalis potestas in multis a Dei justitia refrænetur.—3° Agitur de influxu *generaliter sumpto* quem Angeli in corpora exercent.

Non solum *Materialistæ* atque *Rationalistæ*, verum *non pauci* etiam *catholici*, scientiis physicis dediti, doctrinam illam de actione Angelorum in corpora inconsulto animo irrident.—Quid autem de ea post S. Doctorem sentiendum nobis videatur aperire non dubitabimus.

Conclusio.—RATIONABILE EST DICERE OMNIA CORPORALIA ALIQUALITER REGI PER ANGELOS.—Quamvis hæc assertio sit *mere theologica* neque ab Ecclesia sancita unquam fuerit, tamen tam solidis rationibus fulcitur ut vix negari possit.

Favet 1° ipsa *Sacra Scriptura.*—Siquidem (Job, IX, 13) dicitur: *Deus...sub quo curvantur qui portant orbem ;* quæ sane apto significatu intelliguntur de Angelis. Et (Eccl. I, 6): *In circuitu pergit spiritus;* de quorum verborum sensu interrogatus S. Thomas respondit (Opusc. XI, a. 6) posse ita exponi: " Spiritus angelicus movet cœlum secundum circuitum."

2° *Traditionis* eximii testes subeunt et imprimis *Augustinus* (III de Trin. c. 4): " Omnia, inquit, corpora reguntur per spiritum vitæ rationalem." Item *Gregorius* (4 Dial. c. 5): " In hoc mundo visibili nihil nisi per creaturam invisibilem disponi potest." Consonat *Damascenus* (II Orth. Fid. c. 4): " Diabolus erat ex iis angelicis virtutibus quæ præerant terrestri ordini." Addere possemus philosophorum testimonia, puta *Platonis* atque *Aristotelis*, nec non antiquarum gentium fidem de quibusdam supernis intelligentiis orbes cœlestes moventibus[1].

3° *Ratio* validum argumentum præbet.—Etenim in rebus tam humanis quam naturalibus hoc communiter invenitur quod potestas particularis ab universali potestate gubernatur et regitur ; v. g. potestas ballivi a potestate regis. Unde, ut dictum est, inter ipsos Angelos illi aliis præsunt quorum scientia universalior est. Atqui virtus cujuslibet corporis est magis particularis quam virtus spiritualis substantiæ; forma enim corporalis, individuata per materiam, determinata est ad *hic* et *nunc ;* non vero formæ immateriales atque intelligibiles, quales sunt Angeli. Ergo etc.

4° Ad uberiorem quæstionis explicationem plura *adnotare* juverit.—Et primum *a)* tenemus Angelos immediate movere corpora *cœlestia.* Cum enim materia *de se* sit iners, id est indifferens ad motum et quietem, oportet omnem motum reduci ad primum motorem qui est Deus. Atqui, quamquam Deus posset per seipsum omnes motus materiæ imprimere, multo tamen convenientius divinæ majestati videtur ut causas secundas immateriales in corporibus movendis adhibeat. Ergo motus corporum cœlestium ad Deum reducitur mediantibus

1—Cf. Monsabré, Conf. 15e : *Le monde invisible ;* ubi egregius ille orator ac theologus doctrinæ D. Thomæ hac in re apertissime adhæret et patrocinatur.

Angelis.—*b)* Quoad corpora vero *inferiora*, doctores non consentiunt. *Plato* quidem posuit Angelos esse distributos secundum numerum specierum sensibilium ad explenda naturalia opera, dum tamen *Aristoteles* eorum immediatum influxum ad sola agentia universalia, seu corpora cœlestia, coarctavit. *Avicenna*, mediam viam secutus, uni tantum spirituali intelligentiæ concessit immediatam præsidentiam supra sphæram horum sensibilium. Quidam ex Patribus, ut *Augustinus* et *Origenes*, rati esse videntur cum Platonicis diversis speciebus corporeis diversas spirituales substantias esse præpositas ; quod tamen intelligendum est, non ad perficienda opera mere naturalia, sed magis opera miraculosa vel ordinata ad superiorem finem. Mens itaque *D. Thomæ* hæc est [1] (ex resp. ad 2 et 3), *naturales* corporum inferiorum motus mediate tantum ab Angelis procedere quatenus isti immediate movent agentia universalia ; tamen aliquos Angelos esse deputatos immediatæ præsidentiæ corporum terrestrium non tam secundum numerum specierum quam secundum numerum modorum quibus res corporeæ, sub divinæ Providentiæ lege, fini *supernaturali* deserviunt.

Juxta *S. Gregorii* sententiam de dispositione ordinum angelicorum, Angeli illi quorum est præesse creaturis mere corporeis ad ordinem *Virtutum* pertinere dicendi sunt.

Solv. obj.—Obj. 1.—Quæ habent determinatum modum operandi non indigent ab aliquo gubernari. Atqui corporalia, ex naturis sibi divinitus datis, habent determinatas actiones. Ergo non indigent gubernatione Angelorum. (Similiter ratiocinantur quicumque attractionis universalis legem nobis objiciunt.)

Resp. *D. M* :... quoad directionem motus, *Transeat* ; quoad motus executionem, *N*.—*Transeat m*.—*Neg. conseq.*

1° Non diffitemur rebus corporalibus certas quasdam et determinatas actiones competere ; sed has actiones non *exercent* nisi secundum quod moventur, quia proprium corporis est non agere nisi per motum. Unde necesse est creaturæ corporalis operationem reduci ad spiritualem motorem qui remote Deus est, proximius vero substantia

1—Cf. *Opusc. X* ejusdem Angelici Doctoris ; necnon Cajet. *Comt.* in h. art.

angelica.—2⁰ Ex hoc legitime infertur legem illam, ad quam appellant, *attractionis universalis* præbere quidem *regulam* motuum sideralium, minime vero istorum motuum *executionem*, quæ propter materiæ inertiam altius repetenda est [1]. —3⁰ Insuper, quum Deus ab initio certo potuisset alium rerum ordinem constituere, palam fit præsentem universi ordinationem non a solis naturis pendere, sed etiam a *libera* ordinantis voluntate et dispositione : quare et ex hac parte locus datur cooperationi Angelorum.

Obj. 2.—Inferiora in entibus gubernantur per superiora. Atqui in corporibus quædam sunt inferiora, quædam superiora. Ergo inferiora saltem corpora Angelis non subjacent.

Resp. *D. M* :...per superiora vel immediata vel mediata, *C* ; immediata tantum, *S. d* : secundum aliquem ordinem et respectum, *C* ; omni ex parte, *N*.—*C.d.m* : ita ut quædam actiones in inferioribus, v. g. miracula, superent naturalem virtutem cœlestium corporum, *C* ; secus, *N*.—*Neg. conseq.*

ARTICULUS II.

Utrum materia corporalis obediat Angelis ad nutum.

Tituli sensus est, an Angeli tantam vim in materiam exerere possint ut *per se immediate* producere valeant transmutationes formales tum accidentales tum substantiales.

Platonici posuerunt formas quæ sunt in materia causari ex immaterialibus formis, quia existimabant illas esse totidem participationes formarum per se subsistentium. Nec multum dissentiit *Avicenna*, docens omnes formas materiales procedere a conceptione intelligentiæ, ita ut agentia corporalia non essent nisi disponentia ad formas.—Ex hoc autem videntur fuisse decepti quod formam consideraverint veluti quidquam per se factum, ut sic ab aliquo formali principio produceretur.

Conclusio.—Angeli non possunt per se immediate excitare in materia mutationes formales.

1 Cf. Monsabré, *loc. cit.*

Prob. 1° ex verbis *Augustini* (III de Trinit. c. 8) : " Non est putandum istis transgressoribus Angelis ad nutum servire hanc visibilium rerum materiam, sed soli Deo. "

2° *Ratione.*—In rebus materialibus proprie id fit quod est compositum subsistens, non vero forma quæ non dicitur ens quasi ipsa sit, sed sicut quo aliquid est. Atqui, cum agens agat sibi simile, factum facienti assimilatur. Ergo compositum non potest produci nisi vel naturaliter a simili composito, vel a primo agente in cujus virtute totum compositum et quantum ad materiam et quantum ad formam excellentius præexistat. Hoc autem est proprium Dei; siquidem solus Deus essentiam habet infinitam, finitæ vero sunt atque determinatæ secundum genus et speciem omnium Angelorum essentiæ. Ergo omnis informatio materiæ vel est a Deo immediate, vel ab aliquo agente corporali, non autem immediate ab Angelo.—Dico *immediate* : nam *mediate*, adhibito scil. motu locali quo naturales virtutes in effectus proprios applicentur, plura Angeli efficere possunt, etiam supra agens corporale ; v. g. non valent directe convertere lignum in cinerem, bene tamen possunt admovendo ignem occulta et celerrima actione.

Solv. obj.—OBJ. 1—Major est virtus Angeli quam animæ. Atqui conceptioni animæ obedit corpus quantum ad alterationes calefactionis, infrigidationis, imo et ægritudinis. Ergo. (Ita Avicenna)

RESP. *D. M* :...et specifice eadem, *N; specifice* diversa, *C.*—*D.m :* quæ alterationes sequuntur ab anima, mediante motu locali, *C ;* sine isto motu, *N.*—*Neg. conseq.*

1° Anima nostra, contra ac Angelus, *unitur corpori ut forma*, unde nil mirum si ex conceptione ejus aliqua alteratio vel formalis transmutatio procedat. Eo vel magis 2° quia quæcumque alteratio in nobis sic contingit *supponit motum localem*, in quantum vel ratio imperat motum membris vel ex ferventi imaginatione consequitur passio ; per hanc enim variatur affectio cordis et motus sanguinis, quo vel retracto ad cor vel in membra diffuso efficitur alteratio quæ etiam potest esse infirmitatis causa [1].—Angelus autem non sic se habet ad corpora naturalia.

1—Cf. *de Pot.*, Q. VI, a. 3. ad 7.

Obj. 2.—Quidquid potest virtus inferior, potest et superior. Atqui corpus sua virtute potest transmutare materiam ad aliquam formam. Ergo multo magis Angelus.

Resp. *D. M* :...potest et superior excellentiori modo, *C;* eodem modo, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

Id quod potest virtus inferior potest et superior non eodem sed *excellentiori* modo ; sicut intellectus cognoscit sensibilia perfectius quam sensus. Ita Angelus excellentiori ratione transmutat materiam quam agentia corporalia, movendo scil. ista agentia ad effectus proprios tanquam causa superior.

Obj. 3.—Corpora se habent ad Angelos moventes sicut instrumenta. Atqui quod potius est in effectu repetendum est ex causa principali. Ergo forma substantialis, utpote principalior in effectibus corporalibus, est ex virtute Angelorum.

Resp. *D. M* :...quoad formam rei factæ, *N;* quoad modum faciendi, *C.—C.m.—Neg. conseq.*

Corpora dici possunt instrumenta respectu Angelorum a quibus moventur, non quoad *formam* ipsam effectus, quippe quæ virtutem corporalis agentis non excedit, sed quoad *faciendi modum* ex quo novitas effectus consurgit. Hinc, sicuti coquus non potest transmutare materiam ad nutum, licet arte sua per ignem operetur aliquem decoctionis modum quem ignis per se non faceret ; ita nec Angelus valet ad nutum materiam in formam reducere, quamvis artificio motus localis insolita quædam producat.

ARTICULUS III.

Utrum corpora obediant Angelis ad motum localem.

Quod supra, solvendarum objectionum gratia, veluti concessum assumpsimus, nunc loco suo demonstrandum occurrit, nempe Angelos posse immediate *movere localiter corpora.* —Operis pretium erit hanc veritatem in manifesto ponere, cum ex ea tot tantaque pendeant circa ministeria bonorum Angelorum dæmonumque occultas et nefarias molitiones.

Conclusio.—CORPORA OBEDIUNT ANGELIS AD MOTUM LOCALEM.

1° *Scriptura* implicite id approbat, ubicumque inducit bonos Angelos physice hominibus auxiliantes ; v. g. (Act. XII) exhibetur cœlestis Petri liberator de somno eum excitans solutisque vinculis, per apertas januas, in libertatem educens.

2° *Augustinus* (III de Trin. c. 8 et 9) dicit " Angelos adhibere semina corporalia ad aliquos effectus producendos." Hoc autem perficere non possunt nisi movendo localiter.

3° *Ratio* sic procedit. Juxta ordinem a Deo statutum quemque mundi adspectus præclare ostendit, natura inferior in suî supremo attingitur a natura superiori : quod jam Dionysius (7 de Div. Nom. lect. 1) observaverat, dicens : " Divina sapientia conjungit fines primorum principiis secundorum." Atqui inter omnes motus naturæ corporeæ, quæ spirituali subest, superior eminet motus localis. Ergo corpora nata sunt moveri immediate ab Angelis secundum locum. *Prob. min.* ex eo quod motus localis est prior, universalior ac perfectior cæteris motibus materialibus [1] : *a) prior* est, inquam, quia tempore aut natura præcedit alios motus, nempe alterationem et generationem ; *b) universalior* est, quia alii motus esse non possunt sine eo, ipse autem bene consistit sine illis ; *c) perfectior* est : nam, formaliter et qua talis, non variat rem secundum aliquid intrinsecum, sed solum secundum aliquid extrinsecum, scil. secundum locum, unde pertinet ad rem jam perfectam. Ergo etc.

Conf. arg : nam anima nostra, corporis regimini præposita, illud movet primo et principaliter motu locali.

Quantam vero molem cujusve ponderis Angelus movere valeat, non potest a nobis determinari [2].

Solv. obj.—OBJ. 1. —Motus localis corporum sequitur eorum formas. Atqui Angeli non causant formas corporum. Ergo nec motum etc.

RESP. *D. M* :...tanquam causam internam et proximam, *C* ; quin detur causa externa ac superior localium motuum, *N.*—*Transeat min.*—*Neg. conseq.*

Corporum formæ sunt causæ *proximæ* et *internæ* aliquo-

1—Cf. C. G., l. III. c. 82.
2—Cf. S. Thom. *Opusc. X*, a. 17 ; *Opusc. XI*, a. 5.

rum motuum localium, præter quas admittendæ sunt causæ *externæ* atque *superiores* quibus corpora subsunt; v. g. fluxus et refluxus maris non consequitur formam substantialem aquæ, sed virtutem lunæ. Multo magis igitur aliqui motus locales consequi possunt spiritualem Angelorum virtutem.

Obj. 2.—Motus localis est primus motuum. Atqui Angeli non possunt causare alios motus formali immutatione materiæ. Ergo neque localem etc.

Resp. *C. M.—D.m :*...immediate, *C ;* nec mediante ipso motu locali, *N.—Neg. conseq.*

Obj. 3.—Membra corporalia localiter moventur ab anima in quantum ab ea vivificantur. Atqui corpora naturalia non vivificantur ab Angelis. Ergo.

Resp. *D. M :*...quia virtus animæ contrahitur ad corpus formaliter sibi unitum, *C;* quasi major virtus nequeat secus localiter movere corpora, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

Quo universalior et efficacior est virtus, eo ad plura et minus conjuncta sese extendit. Idcirco virtus animæ, utpote contracta atque limitata, non potest nisi mediante corpore quod per eam vivificatur cætera movere. Sed virtus Angeli non est alligata alicui corpori; unde nihil obstat quominus corpora sibi non unita eminentiori influxu localiter moveat.

ARTICULUS IV.

Utrum Angeli possint facere miracula.

Quanta sit Angelorum potestas ac dominatio in naturam corpoream, ex dictis plane deducitur. Unum tamen declarandum superest, an hæc potestas sese protendat usque ad patranda miracula.—Aliud est quidem *miraculum proprie dictum*, aliud autem *opus quodcumque mirabile :* quæ distinctio sequentibus lucem affundet.

Conclusio.—Angeli non possunt facere miracula, quamvis mira quædam operari valeant.

Prob. 1ª *pars.*—1º *Ex Scriptura,* (Ps. CXXXV, 4) : *Qui*

facit mirabilia magna solus, quæ de Deo aperte enunciantur. —2° *Ex definitione propria miraculi.* Miraculum esse dicitur, *quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ.* Atqui hoc non potest facere nisi Deus. Ergo. *Major* patet. Nam in miraculo necesse est imprimis aliquid fieri præter ordinem consuetum naturæ. Natura autem vel particularis vel universalis est: quod si aliquid fiat præter solum ordinem naturæ particularis, miraculum non est; secus enim projiciens sursum lapidem miraculum faceret. *Minor* innotescit ex eo quod quidquid Angelus vel etiam quævis alia creatura propria virtute efficiat, id omne continetur intra ordinem naturæ creatæ. Hunc ergo ordinem solus Deus, naturæ conditor, jure suo transcendit et prætergredi potest.

Prob. 2ª *pars* (ex resp. ad 2).—Mirabile dicitur quod fit præter ordinem creaturæ nobis notæ per vim creatam nobis ignotam. Atqui manifestum est Angelos, quorum virtus invisibilis est quique corporalibus rebus dominantur, posse hujusmodi opera facere. Ergo.

Solv. obj.—OBJ. 1 ex Greg. (Hom. 34 in Evang.): " Virtutes, inquit, vocantur illi spiritus per quos signa et miracula frequentius fiunt. " Ergo.

RESP. *D. sens. antec* :...per quos miracula fiunt ministerialiter, *C*; principaliter, *N*.—*Neg. conseq.*

Angeli aliqui miracula facere dicuntur, vel quia desiderantibus ipsis Deus miraculum patrat vel quia in miraculis quæ fiunt aliquod ministerium exhibent; sic enim poterunt colligere pulveres in communi corporum resurrectione.

OBJ. 2 ex August. (l. 83 Qq. q. 79): " Omnia quæ visibiliter fiunt etiam per inferiores potestates aeris hujus non absurde fieri posse creduntur. " Jam vero effectus causæ naturalis, si extra hujus causæ ordinem fiat, miraculosus est. Ergo.

RESP. *D. sens. M* :...directe et immediate, *N*; mediate, seu adhibitis seminibus corporalibus per motum localem, *C*.—*D.m* :...si fiat extra ordinem causæ naturalis et modo qui superet omnem vim creatam, *C*; si fiat modo proportionato virtuti superiori creatæ, *S.d* : est miraculosus quoad nos, seu mirabilis, *C*; in se et simpliciter, *N*.—*Neg. conseq.*

QUÆSTIO QUARTA

DE ACTIONE ANGELORUM IN HOMINES

Potestas quæ Angelis in homines exserenda competit considerari potest aut *in se*, aut quoad *exercitium*; hoc autem exercitium vel in *bonum* nostrum a bonis spiritibus vel in *malum* a malis dirigitur. Unde tria doctrinæ capita pertractanda sunt.—In *primo* agetur de angelica potestate secundum se sumpta, cujus natura ab objecto pensanda est.

Porro objectum illud vel est intellectiva vel sensitiva pars hominis.—*Pars* quidem *intellectiva* considerari debet tum quoad intellectum qui naturaliter præcedit voluntatem (art. 1), tum quoad voluntatem sive appetitum rationalem (art. 2).—*Pars* vero *sensitiva* investigabitur quoad utrumque genus sensuum, scil. quoad interiores (art. 3) atque exteriores (art. 4). En habes articulorum nexum.

Quæstio hæc de potestate seu actione Angelorum in humanas facultates magni facienda est : per eam enim veluti per clavem quamdam tuto resolvi possunt multa ac intricata moralis simul atque socialis vitæ problemata.

ARTICULUS I.

Utrum Angelus possit illuminare hominem.

Sub uno tituli quæsito Auctor duo demonstrare intendit, scil. quod *de facto* Angeli hominum mentes illustrant, dein *quo modo* illuminationes illæ contingunt.

Conclusio 1ª.—ANGELI HOMINES ILLUMINANT.

1º Nihil in *Scriptura* explicite traditum hac de re invenitur; tamen pro *implicitis* testimoniis habenda sunt quæcumque Sacrarum Litterarum loca Angelos exhibeant in custodiam nostram et curam omnigenam divinitus missos.

Hinc 2º *Catech. Conc. Trid.* (P. IV, orat. dom. procem.) docet: " Cœlestis Parens in hoc itinere quo ad cœlestem patriam contendimus singulis nobis præposuit Angelos, quorum ope ac diligentia tecti furtim paratos ab hostibus laqueos vitaremus. " Disertissima sunt *Dionysii* verba (4 Cœl. Hier.): " Revelationes divinorum perveniunt ad homines mediantibus Angelis."

3º Consonat vox *rationis*.—Etenim *a)* divinæ Providentiæ ordo requirit ut actionibus superiorum inferiora subdantur. Atqui homo, cujus intellectus imperfectione laborat, positus est infra Angelum. Ergo.—Præteræa *b)* quemadmodum Angeli illuminatione indigent, ita et homines. Atqui inferiores Angelos illuminari a superioribus supra demonstratum est. Dicamus igitur et ipsos homines adjuvari ab Angelis quoad cognitionem tum naturalium tum supernaturalium veritatum.—*c)* Illuminatio hæc manifestissima est in visionibus Prophetarum et sanctorum quibus, ut Scriptura, traditio et historia referunt, Deus tam multa per ministerium Angelorum revelavit.

Conclusio 2ª.—MODUS UTRIUSQUE ILLUMINATIONIS, SCIL. ANGELICÆ ET HUMANÆ, QUODAMMODO SIMILIS EST ET QUODAMMODO DIVERSUS.

Sane memorandum est illuminationem, quæ est manifestatio divinæ veritatis, secundum duo attendi, videlicet ex parte *luminis intelligibilis* quod augeatur et ex parte *specierum* quæ intellectui inferiori accommodata ratione proponantur.

Jamvero, inspecta re *ex parte specierum*, illuminatio inter Angelos eo modo fit quem supra ostendimus, i. e. manifestatione veritatis sub pura luce intelligibili quâ doctrina in plures conceptiones divisa intellectui inferiori accommodatur. Atqui intellectus humanus non potest ipsam intelligibilem veritatem nudam capessere, sed eam haurire debet per conversionem ad phantasmata. Ergo necesse est ut Angeli hominibus veritatem proponant sub similitudinibus sensibilium, juxta illud *Dionysii* (Cœl. Hier. c. 1): " Impossibile est aliter nobis lucere divinum radium nisi varietate sacrorum velaminum circumvelatum. "—Ubi *notabimus*[1] *a)* neque

1—Cf. *de Malo*, Q. XVI, a. 12.

bonos neque malos Angelos posse *directa* et *intrinseca* operatione species in ipsum intellectum influere: hoc enim proprium est solius primæ causæ quæ, sicuti potentiam intellectivam creavit, ita potest ad vitalem actum intime eam disponere. *b)* At vero, tum *boni* tum *mali* Angeli vel exterius signa quædam adhibent quibus excitatur humanus intellectus, vel ordinare et accommodare student species imaginarias operi intellectualis apprehensionis. *c)* Boni quidem bonum hominis intendunt, mali vero eum modo in errorem modo in peccatum pertrahere conantur.

Si vero res spectetur *ex parte luminis* intelligibilis, intellectus humanus, tanquam inferior, fortificatur per actionem intellectus angelici, eo modo quo Angelus alium Angelum augmento luminis confortat.—Cum autem iste influxus, se tenens ex parte principiorum, ordinetur ad hoc ut intellectus perfectius judicet, *soli boni* spiritus, non mali, humanas mentes hac ratione illuminant.

Solv. obj.—Obj. 1 (quoad cognitiones supernaturales).—Homo illuminatur per fidem. Atqui fides immediate est a Deo: *Dei enim donum est* (Eph. II, 8). Ergo.

Resp. *C. M.—D.m:*...quantum ad habitum, *C;* quantum ad credibilia credenti proponenda, *N.—Neg. conseq.*

Ad fidem duo concurrunt, quorum *unum* est *habitus* intellectivus quo mens disponitur ad obediendum voluntati tendenti in divinam et supernaturalem veritatem. Intellectus enim assentit veritati fidei, non quasi convictus ratione, sed quasi imperatus a voluntate. Et sub hoc respectu fides, sicuti gratia, est a solo Deo.—*Secundo* ad fidem requiritur *objectiva credibilium propositio*; et hoc quidem, communi lege, immediate fit per hominem secundum quod *fides est ex auditu* (Rom. X, 17), sed principaliter et mediate per Angelos a quibus divina in nos descendunt.—Notandum est autem homines illuminari ab Angelis non solum de credendis, sed etiam de agendis.

Obj. 2 (quoad cognitiones naturales).—Homo naturaliter cognoscit per rationem ex creaturis. Atqui tum ratio tum creatura immediate est a Deo. Ergo.

Resp. *C. M.—D.m:*...ita tamen ut ratio in suo opere adjuvari possit ab Angelis tum quoad species ex creaturis

acceptas tum quoad lumen intellectivum, *C*; secus, *N*.—*Neg. conseq.*

Obj. 3.—Quicumque illuminatur cognoscit suam illuminationem. Atqui homines non percipiunt se ab Angelis illuminari. Ergo.

Resp. *D. M* :...ex parte rei intellectæ, *C*; ex parte principii intellectivi, *N*.—*C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

Operatio intellectualis et illuminatio dupliciter considerari possunt: 1º *ex parte rei intellectæ*, et sic quicumque intelligit vel illuminatur cognoscit se intelligere vel illuminari, quia perspicit rem sibi esse manifestam; 2º *ex parte principii*, et sic non quicumque intelligit aliquam veritatem cognoscit quid sit intellectus, a quo intellectualis operatio procedit. Et similiter non quicumque illuminatur ab Angelo cognoscit se ab eo illuminari.—Ex hoc *deducitur* plurium veritatum cognitionem, ad quam mens nostra facili conatu pertingit et de qua promptius adhuc gloriatur, non tam a viribus proprii ingenii quam a beneficio secretæ cujusdam et supernæ, scil. angelicæ, irradiationis esse repetendam.

ARTICULUS II.

Utrum Angeli possint immutare voluntatem hominis.

Quæstio hæc, sicuti præcedens, tum circa bonos tum circa malos Angelos versatur arctoque nectitur vinculo cum doctrina de custodia Angelorum atque de impugnatione dæmonum.

Quia autem voluntas duplici modo moveri potest, nempe *ab intrinseco* seu ex parte potentiæ atque *ab extrinseco* seu ex parte objecti, quumque motus ab extrinseco dupliciter et ipse contingat, Auctoris mens in tribus distinctis conclusionibus aperietur.

Conclusio 1ª.—Nulla creatura, sed solus Deus potest immutare voluntatem ab intrinseco.

1º *Sacræ Litteræ* id aperte docent exhibendo humana corda totaliter Deo subjecta, v. g. (Prov. XXI, 1): *Cor regis in*

manu Domini; quocumque voluerit vertet illud; quasi solus Dominus pro sua omnipotentia opus tam intimum efficere valeat.—2° *Prob.* sic [1]. Hæc est differentia inter operationem absolute sumptam et operationem *per modum inclinationis,* quod illa esse potest a principio extrinseco, hæc autem procedit a forma intrinseca vel ab auctore illius formæ; v. g. grave cujus est ascendere et descendere primum habet, utpote oppositum naturali suæ inclinationi, ex principio extraneo, aliud autem ex forma gravitatis et datore formæ. Atqui motus voluntatis non est aliud quam inclinatio in rem volitam: ergo ille solus hanc inclinationem immutare potest qui volendi vim creaturæ contulit. Hic autem est Deus. Ergo.

Conclusio 2ª.—ANGELUS MOVERE POTEST VOLUNTATEM AB EXTRINSECO, NON QUIDEM EFFICACI INFLUXU—QUOD PROPRIUM DEI EST—SED SUASIONE.

Prob. 1ª *pars.*—Objective loquendo, nihil potest efficaciter movere voluntatem nisi bonum universale, ut tale apprehensum: siquidem omnia bona particularia sunt imperfecta et sub aliquo respectu mala. Atqui solus Deus universalem bonitatem continet, quam nemo præter ipsum intellectibus creatis manifestare potest, juxta illud: *Ego ostendam tibi omne bonum* (Exod. XXXIII, 19). Ergo neque ut objectum, neque ut ostendens objectum Angelus efficaciter voluntatem movet.

2ª *pars* liquet.—Angelus enim, per hoc ipsum quod bona creata in Deum ordinata vel etiam solam boni apparentis speciem hominibus ostendit, eorum voluntatem allicere potest: quod est suadere.

Conclusio 3ª.—ANGELI ETIAM POSSUNT MEDIANTIBUS PASSIONIBUS VOLUNTATEM MOVERE, NON TAMEN NECESSITARE.

Prob. 1ª *pars.*—Angeli possunt concitare passiones appetitus sensitivi. Atqui passionum commotio haud modicum exercet influxum in electiones voluntatis. Ergo. *Maj.* manifestatur. Etenim, *a)* quia cor agnoscendum est ut organum appetitus sensitivi [2], motus istius appetitus seu passiones

1—Cf. I, Q. CVI, a. 2 et Cajet. *Comt.* in eumdem artic.
2—Cf. Vallet, *La tête et le cœur,* II P. ch. 2, a. 2.

bonæ et malæ accipiendæ sunt secundum determinatum motum cordis; quod quidem cum etiam principium sit circulationis sanguinis [1] ex quo passiones vim suam derivant, patet diversos motus appetitus sensitivi, v. g. iræ vel concupiscentiæ, correspondere motibus sanguinis a corde propulsati. Atqui constat Angelos posse localiter movere corpora, ideoque in specie sanguineos spiritus. Ergo passiones actioni angelicæ subduntur. Eo vel magis *b)* quia imaginationem tam arcte connexam cum motibus sensitivis excitare etiam valent (ut mox videbimus). *Min.* facile evincitur [2]; nam homo, passione affectus, non solum promptius excitatur ad apprehendendum quidquid passionis objecto affine sit, sed etiam sponte inclinatur ad judicandum sibi bonum et conveniens proindeque appetibile quod secus extra passionem existens judicaret: quo præstituto judicio, voluntatis electio sequitur.

Prob. 2ª *pars.*—Donec homo, sub passionis impetu constitutus, rationis usum retinet, practicum ejus judicium de bono faciendo vel vitando malo liberum manet, quatenus mens ad alias cogitationes divertere potest. Atqui voluntatis tanta est libertas quanta sit ultimi judicii practici rationis de aliquo appetibili vel agibili. Ergo Angeli nequeunt voluntatem nostram necessitare [3].

Solv. obj.—Obj. 1 ex Gloss. ord. (in Hebr. I, 7) quæ dicit de Angelis et Dei ministris: " Ignis sunt, dum spiritu fervent et vitia nostra urunt ". Ergo.

Resp. *Dist. antec*:...urunt vitia per modum fervidæ suasionis, *C*; intrinseca voluntatis immutatione, *N*.—*Neg. conseq.*

Obj. 2 ex Beda (in Matth. XV, 18) et ex Damasc. (II Orth. Fid. c. 4). Prior enim vocat diabolum *incensorem*, posterior vero *immissorem* malarum cogitationum. Ergo.

Resp. *Dist. antec*:...quatenus dæmon interius causet cogitationes illas, *N*; quatenus suadendo vel passiones movendo incitat ad cogitandum aut ad appetendum cogitata idque fit intra hominem, *C*.—*Neg. conseq.*

1—*Op. cit.*, I P. ch. 2.
2—Cf. I-IIæ, Q. LXXX, a. 2.
3—Cf. I-IIæ, Q. LXXVII, a. 7.

OBJ. 3.—Sicut se habet phantasia ad intellectum, ita appetitus sensitivus ad voluntatem. Atqui Angelus illuminat intellectum hominis mediantibus phantasmatibus. Ergo mediantibus passionibus immutat voluntatem.

RESP. *D. M :...* generica similitudine, *C;* eadem connexionis lege, *N.—C. m.—Neg. conseq.*

Intellectus humanus secundum præsentem statum non potest intelligere nisi convertendo se ad phantasmata ; sed voluntas humana potest aliquid velle ex judicio rationis quin passionem appetitus sensitivi sequatur. Deest igitur paritas.

ARTICULUS III.

Utrum Angelus possit immutare imaginationem hominis.

Post exploratum Angelorum influxum in potentias rationales, quærendum est de *sensitivis*, an et ipsæ iisdem spiritibus sint subjectæ.—Potentiæ sensitivæ duplicis generis sunt, *cognoscitivæ* scil. et *appetitivæ :* de istis quidem satis diximus in conclusione tertia præcedentis articuli; quare nunc de aliis agemus.

Sensus *interni*, de quibus primum disputabitur, quatuor a philosophis recenseri solent [1]: nempe *sensus communis* cujus officium est recipere et discernere formas seu impressiones quinque sensuum externorum, phantasia vel *imaginatio* ordinata ad retentionem illarum formarum, vis *æstimativa* (in homine cogitativa) ad quam pertinet apprehendere quasdam intentiones seu intimas proprietates sensibilium ut nocivum et utile, tandem vis *memorativa* (in homine reminiscentia) qua intentiones illæ servantur.

Auctor determinandam suscipit actionem Angeli sive boni sive mali, *explicite* quidem quam in imaginationem, *implicite* vero quam in æstimativam ac memorativam phantasiæ intime conjunctam exercet.—Hic autem nihil de sensu communi, qui sequitur sensus exteriores.

1—Cf. I, Q. LXXVII, a. 4.

Conclusio.—ANGELUS TAM BONUS QUAM MALUS VIRTUTE NATURÆ SUÆ POTEST MOVERE IMAGINATIONEM HOMINIS.—Dicitur *virtute naturæ suæ;* nam dubium non est quin de facto dæmones sæpe prohibeantur ne imaginationes nostras perturbent.

Prob. 1° *ex Scriptura.*—Ea quæ in somnis apparent imaginaria visione cernuntur. Atqui Angeli plura revelant in somnis, ut patet tum de *prophetis* V. T. juxta illud Dionysii (4 Cœl. Hier.): "Divinas visiones gloriosi patres nostri adepti sunt per medias cœlestes virtutes"; tum de *S. Joseph* cui Angelus in somno apparuit primo ad annuntiandum Incarnationis mysterium, deinde ad præcipiendum fugam in Ægyptum (Matth. I, 20; II, 13). Ergo Angelus movere potest imaginationem.

Eo sensu 2° intelligenda sunt verba *Augustini* (12 super Gen. ad litt. c. 12): "Commixtione alterius spiritus fieri potest ut ea quæ ipse scit per hujusmodi imagines, ei cui miscetur, ostendat, sive intelligenti, sive ut ab alio intellecta pandantur." Commixtio enim illa non est per essentiam, sed per effectum quem Angelus imaginationem movens in ea parit.

Prob. 3° *ratione.*—Cum natura corporalis Angelo obediat ad motum localem, ea quæ ex tali motu causari possunt virtuti naturali Angelorum subjacent. Atqui hujusmodi sunt apparitiones imaginariæ. Philosophi enim docent imaginationis organum, sicuti aliarum interiorum virium sensitivarum, situm esse in determinata parte cerebri [1]; sensibilium vero impressiones prius per sensus externos acceptas, postea in sensu communi collectas atque demum imaginationi semel objectas, finaliter retineri secundum quemdam habitualem statum in propriis cerebri elementis, unde, excitante motu locali, rursus ad informandum actu phantasiam facile deduci possunt [2]. Ergo.—Et sane vis movens latentes illas species de habitu ad actum triplex esse potest: *naturalis, humana* atque *angelica.* *a)* Naturalis quidem habetur, ut vapor ascendens ad cerebrum, commotio sanguinis nec non (ut

1—Cf. Lorenzelli, *Phil. theoret. institutiones*, Vol. II, *Psychol. sensit.* lect. 3.

2—Cf. Bossuet, *De la connaissance de Dieu et de soi-même*, ch. 3, a. 10; Méric, *Le Merveilleux et la science*, l. II, ch. 2.

aiunt) influxus nervosus ; quæ profecto agunt tum in somno tum in vigilia, ut patet de somniantibus atque de vigilantibus vehementer actis, puta phreneticis. *b)* Altera causa est hominis voluntas cui sensitivæ vires obediunt ita ut quisque imaginari possit quod prius senserat. *c)* Tandem tertia causa dicenda est Angelus sive bonus sive malus cujus virtute, per localem motum cerebralis materiæ in qua sensibiles impressiones conservantur, phantasia (idem dic de æstimativa et momorativa) in actum ducitur.—Id ab Angelis perfici potest, aliquando quidem cum alienatione a sensibus, ligato per somnum sensu communi a quo sensus externi physiologice pendent, quandoque vero absque tali alienatione.

Patet ergo ex dictis tantam esse Angelorum vim ut possint *aliquid novum* imaginationi offerre secundum diversas compositiones motuum et specierum veluti seminum in organo sensibili latentium quorum ipsi virtutem cognoscunt; imo posse dæmones, phantasmata perturbando, totaliter intelligibilem cognitionem hominis impedire, sicut accidit in arreptitiis : quod tamen non semper facere permittuntur [1].

Solv. obj.—Obj. 1.—Juxta Aristotelem (l. 2 de Anima) phantasia movetur a sensu jam in actu. Atqui in exposita doctrina hoc esse non posset. Ergo.

Resp. *D. M :...* quoad principium suorum actuum, *C;* quoad continuationem, *N.—C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

Principium phantasiæ est a sensu secundum actum, id est *remote* a sensibus externis et *proxime* a sensu communi ; non enim possumus imaginari quæ nullo modo sentimus vel secundum totum vel secundum partem, v. g. cæcus natus nequit imaginari colorem.—Semel ac vero jam phantasia actuata fuerit, motus phantastici consurgere possunt ex impressionibus interius conservatis, quæ si in novam componantur formam, habebitur fictum objectum, v. g. mons aureus ex speciebus montis et auri conflatus.

Obj. 2.—Formæ imaginariæ nobiliores sunt formis quæ existunt in materia. Atqui Angelus non potest has formas in materia imprimere. Ergo a fortiori etc.

1. *De Malo*, Q. XVI, a. 11 ad 9 et 10.

RESP. *C. M.—D.m* :...directe et per se, *C*; indirecte, applicando activa passivis per motum localem, *N.—Neg. conseq.*

Secundum analogiam cum mutatione formarum materialium, Angelus potest imaginationem transmutare, non quidem *directe* seu imprimendo aliquam formam imaginariam nullo modo per sensum prius acceptam, sed *indirecte* seu mediante, ut diximus, motu locali.

OBJ. 3.—Visio imaginaria secumfert deceptionem hominis adhærentis similitudinibus rerum quasi rebus ipsis. Atqui Angelus bonus nequit nos decipere. Ergo.

RESP. *D. M* :...posito quod intellectus simul illuminetur, *N*; absque tali illuminatione, *S.d* : et hæc deceptio est ex causa visionis, *N*; ex defectu intellectus humani, *C.—C.m.—Neg. conseq.*

1° Angelus, causans aliquam imaginariam visionem, non raro simul intellectum illuminat de similitudinum significatu; et tunc nulla deceptio est.—Quandoque 2° operâ Angeli similitudines apparent absque simultanea mentis illuminatione; nec tamen tunc deceptio est ab Angelo, sed, permittente Deo, ex defectu humani intellectus, quemadmodum in parabolis a Christo propositis frequenter contigit. —Tamen 3° de *dæmonibus* dicendum quod eo fine agunt in phantasiam nostram ut nos decipiant.

ARTICULUS IV.

Utrum Angelus possit immutare sensum humanum.

Reliquum est ut investigetur actio Angelorum in sensus *exteriores*; qui si possint ab Angelis immutari, idem procul dubio de sensu communi dicendum erit, cum hic ab illis quoad actum pendeat.

Conclusio.—ANGELUS TAM MALUS QUAM BONUS, SUA NATURALI VIRTUTE, IMMUTARE POTEST SENSUS EXTERNOS OBJECTIVE ET SUBJECTIVE.

Hæc veritas 1° suadetur saltem in genere ex *facto* Angelorum qui, quum venissent ad subvertendam Sodomam atque

domum Lot in qua erant ab infesto populo obsessam conspicerent, *eos qui foris erant percusserunt cæcitate a minimo usque ad maximum, ita ut ostium invenire non possent* (Gen. XIX, 11).—Aliquid simile legitur (4 Regum VI, 18-19) de Syris qui, dum minarentur Elisæo, rogante Propheta atque agentibus profecto Angelis, cæcitate a Deo percussi sunt : unde Elisæus eos in Samariam inscios duxit.

2° Sensus immutatur dupliciter : *uno modo* ab exteriori seu ex parte objecti sensibilis ; *alio modo* ab interiori seu subjective, in quantum dispositio potentiæ sensitivæ intime afficitur, v. g. lingua infirmi, quia plena est cholerico humore, omnia ut amara sentit. Atqui utroque modo potest Angelus, virtute sua naturali, immutare sensus externos. *Objective* quidem ; nil enim impedit quominus vi propria sensui objiciat sensibile aliquod vel a natura formatum vel a se de novo dispositum, puta cum corpus assumit. *Subjective* etiam ; nam potest interius commovere sanguinem et humores ex quibus conservatio, conditio et aptitudo sensuum maxime dependent. Ergo.

Solv. obj.—Obj. 1.—Operatio sensitiva est vitalis. Atqui operatio vitæ nequit esse a principio extrinseco. Ergo.

Resp. *C. M.—D. m* :... i. e. elici debet a principio interiori, *C*; quin hoc interius principium multiplicem influxum exterioris agentis subire possit, *N.—Neg. conseq.*

Obj. 2.—Virtus sensitiva nobilior est quam nutritiva. Atqui Angelus, ut videtur, non potest mutare virtutem nutritivam, sicut nec alias formas naturales. Ergo a fortiori etc.

Resp. *C. M.—D. m* :...immediata transmutatione formali, *C*; mediate, commovendo humores et sanguinem quibus indigent omnia organa vitæ, *N.—Neg. conseq.*

Per commotionem interiorem sanguinis et humorum potest Angelus aliquid operari ad immutandum actum virtutis nutritivæ pariterque virtutis appetitivæ et sensitivæ, seu in genere cujuscumque potentiæ corporali organo utentis.

Obj. 3.—Sensus naturaliter movetur a sensibili. Atqui Angelus non potest immutare naturæ ordinem. Ergo.

Resp. *C. M.—D. m* :...ordinem naturæ universalis, *C*; naturæ particularis cui ipse non est subjectus, *N.—Neg. conseq.*

QUÆSTIO QUINTA

DE MISSIONE ET CUSTODIA ANGELORUM

Postquam constiterit potestatem Angelis inesse respectu hominum, disquirendum nobis est de modo quo *exerceatur* illa potestas, et primo ab Angelis bonis.

Porro boni spiritus nullum officium apud homines implendum assumunt nisi a Deo mittantur. Unde præsens quæstio imprimis versabitur circa *missionem* Angelorum (art. 1), deinde autem circa *custodiam* hominibus impertitam.—Jam vero hæc custodia considerari potest tum *absolute* tum *relative:* absoluta consideratio respicit vel esse custodiæ (art. 2), vel custodientes tum quoad numerum (art. 3) tum quoad ordinem (art. 4), vel custoditos (art. 5), vel tempus custodiæ a quo (art. 6) et per quod durat (art. 7), vel tandem effectum (art. 8). Subit postremo loco (art. 9) de Angelis custodibus relativa quædam animadversio.

ARTICULUS I.

Utrum Angeli in ministerium mittantur.

(I, Q. CXII)

Missiones Angelorum duplicis generis sunt: aliæ *ordinariæ*, sitæ in custodia omnium hominum de qua mox loquemur; aliæ *extraordinariæ* quarum finis est aliquid nuntiare, præstare vel exequi majoris momenti, aut etiam Dei personam apud homines repræsentare.

Propositum articuli huc tendit ut demonstretur *communiter* quidem plures Angelos in ministerium mitti, *speciatim* vero nonnullis competere extraordinarias missiones aut apparitiones.

Conclusio.—ALIQUI ANGELI MITTUNTUR A DEO IN MINISTERIUM. — Hoc *de fide* est, prouti Sacræ Litteræ sæpius testantur.

Nam 1° legitur (Exod. XXIII, 20) verbum Dei ad Moysem et populum : *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, et custodiat in via et introducat in locum quem paravi.* Pariter (Matth. XIII, 41), quo loco describuntur quæ in consummatione sæculi evenient, dicitur : *Mittet Filius hominis Angelos suos* etc.—Accedunt pleraque *facta biblica*, v. g. Raphaelis ad Tobiam missi ut eum sanaret et Saram, filiam Raguelis, a dæmonio liberaret, aut Gabrielis ad B. V. Mariam deputati ut de Verbi Incarnatione nuntium faceret.

Prob. 2° concl. per partes ; et imprimis 1ª *pars, ex ipsa ratione missionis.*

Ad missionem duo pertinent [1], nempe quod ille qui mittitur ab aliquo procedat et quod incipiat esse ubi prius non erat vel, ubi prius erat, novum essendi modum induat ; sic Filius mitti dicitur ut a Patre procedens per originem et incipiens esse novo modo, i. e. per naturam assumptam, ubi prius solâ Deitatis presentiâ erat. Atqui utrumque angelicis spiritibus convenit. Ergo. *Expl. min. a)* Angelos primo a Deo procedere Deique voluntati et imperio subjacere, res est notissima. *b)* Insuper jam ex anteactis demonstrationibus constitit creaturam corpoream, tum inferiorem tum humanam, per Angelos administrari. Porro virtus Angeli, cum sit particulare agens, nequit simul attingere totum universum, nec ubique esse ; unde si quid ab ipso efficiendum sit circa creaturam aliquam materialem, necesse est ut huic creaturæ, contactu suæ virtutis, de novo applicetur, et ita Angelus incipit esse ubi non erat.

2ª *Pars* sibi vult missionem Angelorum se habere *per modum ministerii.*

Actio enim quam Angelus missus exercet in rerum gubernatione a Deo procedit sicut a prima causa principaliter agente et ultimo reducitur in finem debitum ab ipso Deo primario intentum ; ex quo consequitur Angelum esse instrumentum quoddam intelligens, divino servitio mancipa-

1—Cf. I, Q. XLIII, a. 1.

tum. Atqui minister nihil aliud est quam instrumentum intellectu præditum. Ergo.

Notanda quædam occurrunt.—1° *Probabilior* nobis videtur theologorum opinio qui cum Dionysio et Gregorio tuentur Angelos superiores nunquam ad exterius ministerium mitti, neque communi lege, neque etiam speciali dispensatione, ut vellent Scotus, Durandus aliique. Siquidem postulat divinæ Providentiæ œconomia ut inferiora per superiora *ordinatim* administrentur, nullaque ratio adduci potest cur ab hoc ordine angelica ministeria recedant. Cum vero Michael vocari soleat Angelorum princeps, quem tamen exterius mitti fide accepimus, sensus est eum dominari infimis ordinibus Archangelorum atque Angelorum, non vero omnibus simpliciter Angelis; nisi dicamus duos esse Michaeles, unum supremum inter Seraphinos et rebellium spirituum victorem, alterum Archangelum [1].—2° Attendi debet distinctio Angelorum in *assistentes* et *ministrantes*, quatenus, tametsi omnes fruantur beatifica visione, sola tamen prima hierarchia, intima Dei secreta percipiens, ei adsistere censetur.—3° Illi Angeli intelliguntur mitti ad externum opus quorum nomina quamdam executionis speciem important: quod quidem manifeste convenit quinque ultimis ordinibus, non vero *Dominationibus;* unde isti *ministrantes* sunt, sed mediate tantum seu disponendo atque imperando ea quæ per alios fieri debeant.

Solv. obj.—Obj. 1.—Omnis missio est ad aliquem determinatum locum. Atqui actio intellectualis, utpote abstrahens ab hic et nunc, non determinat aliquem locum. Ergo Angeli, cum intellectualiter agant, nequeunt mitti ad aliquid peragendum.

Resp. *C. M.—D.m :* Actio intellectualis participative, scil. quæ talis dicitur quia ab intellectu regulatur et imperatur... *N ;* actio intellectualis essentialiter, *S.d :* speculativa, *C ;* practica, *N.—Neg. conseq.*

Obj. 2.—Cœlum empyreum, in quo Angeli locantur, pertinet ad eorum dignitatem. Atqui nihil angelicæ dignitati subtrahi putandum est. Ergo nunquam regionem illam deserunt.

1—Gonet, Tract. VII *de Angelis*, Disp. XVI, a. 2.

RESP. *D. M* :...congruentiâ quâdam et secundum occupandi jus, *C* ; quasi actualis præsentia quidpiam dignitatis eis conferat, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

Quemadmodum dignitati regis nihil subtrahitur, si quando de regali solio in provincias egrediatur, ita sane de Angelis sentiendum est qui actu, non jure, cœlestem sedem interdum relinquunt ad implendum aliquod ministerium.

OBJ. 3.—Exterior occupatio impedit sapientiæ contemplationem. Atqui Angelorum beatitudo, absque ulla interruptionis mora, in Dei contemplatione consistit. Ergo.

RESP. *D. M* :...absolute, *N* ; in nobis, *C.—C.m.—Neg. conseq.*

In nobis exterior occupatio puritatem contemplationis impedit, quia operi insistimus secundum sensitivas vires quarum motus cum intenduntur, retardantur actiones intellectivæ virtutis. Sed Angelus per solam intellectualem operationem externas suas actiones regulat. Idcirco ministerium cui incumbit nequaquam officit contemplationi : duarum quippe actionum quarum prima regula est et ratio alterius, una, nedum impediat, magis aliam juvat. Unde *Gregorius* (2 Mor. c. 2) dicit : "Angeli non sic foris exeunt ut internæ contemplationis gaudiis priventur."

OBJ. 4.—Ministrare est inferioris. Atqui Angeli naturaliter nobis præstant. Ergo.

RESP. *D. M* :...est inferioris respectu ejus cui principaliter præstatur ministerium, *C* ; respectu ejus cui ministerium secundario tantum exhibetur in alterius gloriam, *N.—D.m* : ...simpliciter, *C*; secundum quod per gratiam Deo conjungimur et ita conferimus ad manifestandas Dei perfectiones, *N.—Neg. conseq.*

Utraque distinctio breviter tangatur. 1° Angeli in suis actionibus externis *principaliter* Deo ministrant, nobis autem *secundario* et in Dei bonum.—2° Licet, *simpliciter* loquendo, angelica dignitas humanam præcellat, tamen sub ea ratione qua homo Deo adhæret divinique nominis cultum et gloriam fovet, quilibet justus superior est omni creatura, secundum illud Apostoli (Phil. II. 3) : *Superiores sibi invicem arbitrantes.* Nil obstat igitur quominus Angeli, salva præstantia suæ naturæ, nobis opitulentur.

ARTICULUS II.

Utrum homines custodiantur ab Angelis.

1° *Communior* angelicæ missionis effectus est ut homines tuto a periculis custodiantur atque in bonum jugi promoveantur auxilio. Dum enim quidam Angeli, intimius Deo sociati, toti sunt in canendis supremi Regis laudibus, alii ad nos divinitus missi nobis deserviunt, ita ut quos cœlestis patriæ concives aliquando fore speramus, eos jam terrestris vitæ consortes feliciter sortiamur.

2° Fatendum est nonnullos cum *Kant* doctrinam de Angelis custodibus in dubium vertere; quin imo plerique ex *Materialistarum* turba, pessima hac ætate nostra, inter mythos et fabulas reponere non hæsitant quæcumque de illis beneficis spiritibus catholici profiteantur.

3° Duo sub hoc articulo ex Thomæ magisterio colligere poterimus, primum quod *sint* Angeli custodes, deinde *quæ* et *quanta* auxiliorum genera hominibus suppeditent.

Conclusio.—HOMINES AB ANGELIS CUSTODIUNTUR, PRO MULTIPLICI NECESSITATUM SUARUM EXIGENTIA.

Doctrina hæc, generatim sumpta, tam clare ex revelationis fontibus eruitur ut, quamvis desit explicita Ecclesiæ definitio, tamen communi sensu *de fide* habeatur.

Prob. 1° *ex Scriptura*, (Ps. XC, 11-12-13): *Angelis suis mandavit de te ut custodiant te in omnibus viis tuis; in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum; super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.* Quibus verbis non solum asseritur veritas custodiæ Angelorum, verum etiam præcipua eorum officia graphice describuntur [1].—Insuper sacræ paginæ tum Veteris tum Novi Testamenti refertæ sunt *exemplis* cœlestis hujus tutelæ. Audiamus *Judith* ex castris hostium reducem atque Deo gratias agentem (XIII, 20): *Vivit Dominus, quoniam custodivit me Angelus ejus, et hinc euntem, et ibi commorantem, et inde huc revertentem, et non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari.*

1—Cf. Bellarm., t. VI, *Expl.* Ps. XC.

2° Accedit *traditio*.—Dicuntur enim Angeli a *Clem. Alex.* (IV Strom.) " ascensui animarum præpositi ; " a *Basilio* vocantur " pædagogi ac puerorum institutores ; " ab *Athanasio* " præceptores hominum ; " ab *Ambrosio* " episcopi et pastores gregum, " quos et *Bernardus* appellat " pedissequos animæ."—Unde *Catech. Trid.* (P. IV, c. 2) : " Est Dei providentia datum hoc negotium Angelis ut custodiant humanum genus, singulisque hominibus præsto sint, ne gravius aliquod detrimentum accipiant. " Ubi custodiæ ratio mox petitur ex cœlesti Parente, cujus bonitas non minori diligentia filiis suis periculosum iter facientibus providet quam parentes humani.

Addere possemus communem *christiani populi sensum*, imo et *Gentilium* quibus persuasio insita erat Genios hominibus ad tutelam esse deputatos [1].

3° *Ratio* ita edisserit.—Lex est divinæ Providentiæ in rebus existens ut mobilia et variabilia per immota et uniformia ducantur ac regulentur. Atqui manifesta vitæ experientia ostendit cognitionem et affectum hominis multipliciter variari et posse a bono deficere. Ergo necesse fuit hominibus Angelos ad custodiam mitti, per quos in bonum promoverentur. *Major* constat ; nam *a)* variabile nequit finem determinatum constanter prosequi nisi ab invariabili motore ducatur. *b)* Inductio idem suadet 1° in ordine *physico*, in quo videmus corpora mobilia firmiori Dei atque Angelorum virtuti subesse ; 2° in ordine *logico*, quandocumque regulamur circa conclusiones, de quibus possumus diversimode opinari, per principia invariabilia. *Minor* sat clara est ; confirmatur vero (ex resp. ad 1) 1° quoad *cognitionem :* homo enim, cui affulget communis quædam legis naturalis notitia, non potest tamen hæc universalia juris principia in singulis operibus applicare quin multipliciter labatur ; unde dicitur (Sap. IX, 14) : *cogitationes mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ.* 2° Quoad *affectum :* liberum enim hominis arbitrium, multiplici passionum impetu jactatum, in malum facile declinat. Ergo necessaria fuit Angelorum custodia.

Quo autem *modo hæc custodia ab eis exerceatur*, evinci sane poterit ex hucusque dictis, maxime vero ex Psalmo XC

1—Cf. Knoll, *Inst. theol. theoret.* Vol. II, Sect. 1, c. 3, a. 5.

supra citato.—1° Hominem *in bono* retinent ac promovent, eum custodiendo *in omnibus viis suis* ; scil. cogitationes bonas suggerunt, pios cordis affectus excitant, occasiones opportunas subministrant, clientum orationes ad Deum deferunt quæ ideo gratiores fiunt, medicinales pœnas tandem infligunt. 2° Nos *a malo* defendunt, primum arcendo impedimenta sive spiritualia sive temporalia ad quæ veluti *ad lapides* pedibus offendere solemus, dein coercendo ipsos dæmones ita ut nec *serpentis astutia* nec *draconis potentia* saluti animarum nocere queat.

Solv. obj.—Obj. 1.—Custodes deputantur aliquibus quia nesciunt vel non possunt custodire seipsos, sicut pueri. Atqui homo per liberum arbitrium legemque naturalem potest et scit custodire seipsum. Ergo.

Resp. *D. M* :...nempe vel propter impossibilitatem vel propter insufficientiam, *C* ; propter impossibilitatem tantum, *N*.—*D.m* : aliqualiter, *C* ; sufficienter, *N*.—*Neg. conseq.*

Obj. 2.—Ubi adest fortior custodia, infirmior superfluit. Atqui homines custodiuntur ab ipso Deo. Ergo.

Resp. *D. M* :...fortior et immediata simul, *C* ; fortior sed mediata, *N*.—*C.d.m* : tanquam ab universali instructore et provisore, *C* ; quin locus sit immediatis aliis custodibus, *N*.—*Neg. conseq.*

Deus, utpote universalis provisor, mentes hominum generali quadam legis notitia instruit atque, infundendo gratiam et virtutes, affectus humanos intimo ductu ad bonum cujusque virtutis inclinat. Verum, ut homo per rationem suam inveniat vias congruas ad perficiendum hoc bonum atque ut insurgentibus passionibus firmiter obsistat, requiritur illuminatio quædam prudentiæ animique robur : quæ Deus mediantibus Angelis præstat.

Obj. 3.—Perditio custoditi redundat in negligentiam custodis. Atqui multi homines peccando quotidie pereunt, quibus Angeli subvenire possent vel visibiliter apparendo, vel miracula faciendo etc. Ergo, ne dicamus custodes Angelos officium negligere, custodia neganda est. (Ita Kant)

Resp. *D. M* :... in negligentiam custodis tantum, *N* ; vel etiam in malitiam ejus qui custoditur, *C*.—*D.m* :... pereunt culpa propria, *C* ; ita ut ordinarie Angeli teneantur præter

legem communem humanos lapsus impedire, *N.*—*Neg. conseq.*

Angelorum custodia liberum naturæ nostræ modum non tollit, sed sequitur. Hinc 1° sicut homines a naturali instinctu boni propter passionem discedunt, ita instigationi bonorum Angelorum *libera cordis malitia* resistunt. 2° Si quando præter legem communem tutelares spiritus visibiliter apparent ut imminentibus periculis efficacius occurrant, id ex *speciali Dei gratia* repetendum est, non secus ac miracula quæ præter naturæ ordinem fiunt.

ARTICULUS III.

Utrum singuli homines a singulis Angelis custodiantur.

Ductus studio contradicendi veritati catholicæ, negavit *Calvinus* suum cuique singularem esse Angelum; theologi e contra hoc *communiter* affirmant.—Cum autem homo considerari possit vel *seorsim* vel ut *pars* alicujus communitatis, utroque sub respectu quæstio enodabitur.

Conclusio 1ª.—SINGULIS HOMINIBUS SINGULI ANGELI AD CUSTODIAM DEPUTANTUR.

1° *S. Scriptura* non obscure id docet.—Christus enim, ut homines a parvulorum seductione deterreret, dixit (Matth. XVIII, 10): *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis; dico enim vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cælis est.* Ex quo concluditur singulis parvulis, scil. vel justis quos mundus pusillos reputat vel recens ad fidem conversis vel infirmis peccatoribus, ut S. Thomas interpretatur [1], singulos custodes Angelos destinari.—*Exempla* hujus peculiaris custodiæ tum in Vet. tum in Nov. Test. frequentia sunt; v. g. cum Petrus e carcere liberatus ad domum rediret ubi fideles erant congregati, nuntiantibus

1— *Comment.* in Matthæum.

ancilla adesse Petrum (Act. XII, 15); fideles vero increduli dicebant: *Angelus ejus est.*

2º Accedit *Patrum traditio.* — *Origenes* (Hom. 20 in Num.) inquit: " Adest unicuique nostrum, etiam minimis, qui sunt in Ecclesia Dei, Angelus bonus ". Et *S. Hieronymus* (Comm. in Matth. l. 3): " Magna est dignitas animarum ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum "[1].

3º Angelorum custodia est quædam executio divinæ Providentiæ circa homines. Atqui Providentia Dei quodammodo se habet ad singulos homines sicuti ad singula genera vel species rerum corruptibilium. Ergo, sicut probabile est diversis principalioribus rerum speciebus diversos Angelos ejusdem ordinis diversisque generibus diversos ordines præfectos esse, multo magis rationabile est ut diversis hominibus diversi Angeli ad custodiam deputentur. *Min. prob:* nam homines in hoc differunt a rebus inferioribus quod incorruptibiles sunt non solum quantum ad communem speciem, sed etiam quantum ad formas proprias singulorum, nempe quoad animas rationales. Atqui Providentia Dei principaliter est circa illa quæ perpetuo manent; eorum vero quæ transeunt curam gerit in quantum ipsa ordinat ad res perpetuas. Ergo non minus Deus providet singulis hominibus quam generibus aut speciebus rerum corruptibilium; immo quanto magis homines illis præstant naturâ et fine[2], tanto majorem curam Dei expostulant.

Conclusio 2ª.—MERITO CREDITUR ECCLESIÆ UNIVERSALI, ECCLESIIS PARTICULARIBUS, SINGULIS REGNIS NECNON PERSONIS PUBLICIS, QUA TALES, SINGULOS ANGELOS ESSE PRÆPOSITOS.

Generalis ratio ducitur ex hoc quod societas religiosa et civilis earumque duces[3], utpote bono communi invigilantes, ad assequendum finem optatum speciali protectione indigent.

In specie vero 1º certum est ex divinis Litteris necnon ex Patribus custodem Angelum fuisse Synagogæ præpositum[4]. Atqui sicut corpus umbram, ita *Ecclesia* Synagogam superat.

1—Cf. Knoll, *op.* et *loc. cit.*
2—Cf. Satolli, *In Sum. theol. prælectiones*, Vol. III, Disp. V, lect. 1.
3—Cf. Gonet, *op.* et *Disp. cit.* a. 3.
4—Cf. Mazzella, *De Deo creante*, Disp. II, art. 9.

Ergo a fortiori etc.—Superat etiam Ecclesia tum universalis tum particularis *regna civilia* quæ tamen 2°, teste Scriptura (Dan. X, 13) cui Patres [1] concinunt, custodia Angeli fruuntur. Ait *Basilius* (con. Ennon. l. 3) de Angelis loquens : " Ex iis alii quidem præfecti sunt gentibus, alii vero cuique fideli adjuncti comites sunt. " Et *Epiph.* (Haer. 51) : " Regna et gentes sub Angelis positæ sunt. "

Solv. obj.—Obj. 1.—Major est virtus Angeli quam hominis. Atqui unus homo sufficit ad custodiam multorum hominum. Ergo.

Resp. *C. M.—D.m* :...in quantum sunt singulares homines, *N* ; in quantum pertinent ad unum collegium vel communitatem, *C.—Neg. conseq.*

Singulari homini qui in periculo versatur, v. g. puero, infirmo vel amenti, proprius custos datur, immo interdum plures ad unius custodiam deputantur, licet toti collegio vel communitati, quia hæc una moraliter est, unus solummodo dux præsideat. Idem dicas de Angelis quorum est non solum commune et exterius bonum gentium promovere, verum etiam singulorum saluti proportionato auxilio cooperari.

Obj. 2.—Inferiora reducuntur in Deum a superioribus per media, ut dicit Dionysius. Atqui ultimus Angelorum unus est medius inter illos et homines. Ergo.

Resp. *C. M. — D.m* :...proximitate naturæ, *C*; utilitate influxus, *N.—Neg. conseq.*

Quemadmodum rex in civilibus secreta quædam immediate pandit et primo consiliario et aliis inferioribus, ita credendum est aliquos superiores Angelos *immediate* homines sibi commissos illuminare, quamvis sub se alios Angelos subjectos habeant. Varietas enim officiorum angelicorum hanc munerum distributionem requirit.

Obj. 3.—Majores Angeli majoribus officiis deputantur. Atqui homines pares sunt ita ut officium majus non sit unum custodire quam alium. Ergo.

Resp. *C. M.—D.m* :...sunt pares natura, *C*; indole, officio et conditione, *N.—Neg. conseq.*

1—Mazzella, *Ibid.*

ARTICULUS IV.

Utrum custodire homines pertineat solum ad infimum Angelorum.

Custodia homini per Angelos adhibita duplex est: *particularis* quæ respicit singulos homines, *universalis* vero quæ spectat ad aliquam multitudinem. Esto igitur sequens discurrendi ratio.

Conclusio 1ª.—PARTICULARIS CUSTODIA PERTINET AD INFIMUM ORDINEM ANGELORUM.

Hoc 1º innuitur (Ps. XC), ubi legitur Deus mandasse *Angelis* ut custodirent hominem. Vox enim *Angeli*, secundum Dionysium, ultimum ordinem designat.—2º Pertinet ad infimum ordinem minima agere vel nuntiare. Atqui in officiis Angelorum id minimum esse videtur, videlicet procurare ea quæ unius hominis salutem respiciunt. Ergo.

Conclusio 2ª.—CUSTODIA UNIVERSALIS MULTIPLICATUR SECUNDUM DIVERSOS ORDINES.

Etenim quanto actio fuerit universalior, tanto superius agens esse debet. Atqui multitudo Angelis subjecta quadruplicis generis est: *mundus, dæmones, boni spiritus* inferiores, *hominum* societas; quæ quidem quatuor entium classes naturæ gradu inter se discrepant.— Quapropter doctores sentiunt *a)* rerum corporalium universitati præesse *Virtutes* maxime operando miracula, *b)* dæmonibus vero *Potestates* dominari, *c) Principatus* ducere spiritus inferiores vel etiam humanæ multitudinis altum regimen tenere. *d)* Præcipue vero *Archangeli* creduntur regnis, principibus, personis publicis atque Ecclesiis præsidium conferre; unde et Michael, quem Archangelum dicimus, unus de Principibus appellatur (Dan. X, 13).—Loquens de custodia *Ecclesiæ* Christi, ait D. Thomas (4 Sent. Dist. XLIII, a. 2, q. 3 ad 2): " Ministerium illud erit principaliter unius Archangeli, scil. Michaelis, qui est princeps Ecclesiæ, sicut fuit Synagogæ; " quod sane colligitur ex variis apparitionibus, maxime ex illa quæ Romæ in Mole Hadriani contigit ubi Bonifacio Papæ visus est Michael, in signum luis cessantis, exertum gladium in vaginam recondere.

Solv. obj. (contra 1[am] concl.).—OBJ. 1.—Juxta Chrysost. (Hom. 60 in Matth.), verba Matth. XVII: *Angeli eorum in cœlis* etc., intelligenda sunt non de quibuscumque Angelis, sed de supereminentibus. Ergo.

RESP. *D. antec*:....de supremis in ordine infimo, *C*; de supremis simpliciter, *N.—Neg. conseq.*

In quolibet ordine sunt primi, medii et infimi. Probabile autem est majores Angelos deputari ad custodiam eorum qui sunt ad majorem gloriæ gradum prædestinati : cujusmodi esse videntur pusilli quos Christus in textu citato contemni prohibet. (Cf. art. 3)

OBJ. 2.—Missio Angelorum ad custodiam hominum ordinatur, juxta verba Ap. (Heb. I, 14): *Omnes sunt...in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis.* Atqui quinque ordines in exterius ministerium mittuntur. Ergo.

RESP. *D. M*:...ad custodiam vel particularem vel universalem, *C*; ad particularem tantum, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

OBJ. 3.—Ad custodiam hominum maxime pertinet arcere dæmones et facere miracula. Id autem proprium est *Potestatum* et *Virtutum*. Ergo.

RESP. *C. M.—D.m*:...per modum excellentis potestatis et in ordine ad finem communem, *C*; nec inferiores Angeli participare possunt hanc potestatem aut ejus præscripta exequi respectu finis singularis, *N.—Neg. conseq.*

ARTICULUS V.

Utrum omnibus hominibus Angeli ad custodiam deputentur.

Refert Origenes (Hom. 6 in Matth.) quosdam suo tempore subtraxisse *infidelibus* custodiam Angelorum; hanc etiam Patres nonnulli restringere videntur ad *solos justos* vel *electos.*—Sed, ut ait Gazzaniga [1], opposita sententia *communis*

1—T. IV, *de Angelis*, Diss. I.

modo est inter theologos, quam S. Thomas aperte propugnat.

Conclusio.—CUILIBET HOMINI, QUAMDIU VIATOR EST, CUSTOS ANGELUS DEPUTATUR, QUIN ULLA EXCEPTIO FIERI DEBEAT.

1ª *Pars prob* :—1º ex verbis *Hieronymi* jam citatis (art. 3) necnon *S. Anselmi* (in Elucidar. l. 2, c. 37) : " Unaquæque anima, dum in corpus mittitur, Angelo committitur. "—2º *Ratione.* Omnis homo, in statu hujus vitæ constitutus, se habet veluti in via qua, saltem ex antecedente Dei voluntate, tendere debet ad patriam. Atqui in tali itinere multa pericula tum ab interiori tum ab exteriori undique imminent, secundum illud (Ps. CXLI, [illegible]) : *In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.* Ergo sicut viatoribus per iter non tutum ambulantibus dantur custodes, ita et cuilibet homini, quamdiu viator est, custos Angelus deputatur.

Dico *quamdiu viator est :* positus enim in viæ termino, jam non habebit Angelum custodem, sed vel in cœlo spiritum conregnantem vel in inferno dæmonem cruciantem.

2ª *Pars,* scil. quod *nulla concedenda sit exceptio,* declaratur.—Et 1º *Christus* quidem, secundum quod homo, immediate regulabatur a Verbo Dei, unde proprie dicta custodia Angelorum minime egebat. Cum autem secundum animam esset comprehensor, Angeli ei assistebant; et quia viator erat ratione passibilis corporis, non debebatur ei Angelus custos tanquam superior, sed magis minister tanquam inferior, juxta illud (Matth. IV, 11): *Accesserunt Angeli et ministrabant ei.*

2º Quid de *primo homine* ? Ille equidem, in statu innocentiæ et originalis justitiæ qua omnes internæ vires optime ordinabantur, nullum interius periculum patiebatur ; periculum tamen ei imminebat ab exteriori propter insidias dæmonum, ut eventus rei probavit : unde et ipse indigebat angelico tutamine.

3º Tandem *præsciti* et *infideles* (idem dic de *Antichristo*), sicuti interiori auxilio naturalis rationis non privantur, ita exteriori præsidio toti naturæ humanæ divinitus concesso, sc. Angelorum custodia, nullatenus destituuntur. Hæc enim tutela est effectus voluntatis Dei antecedentis qua salvare intendit omnes homines ideoque computanda est inter auxilia gratiæ sufficientis, omnibus oblatæ. Hinc *a)* custodes Angeli

clientes suos reprobos ad bonum saltem naturale incitant, unde terrenam possint adipisci mercedem pœnasque inferni minores sustineant. *b)* Eos etiam sæpe impediunt quominus electis noceant. Nam et ipsi dæmones ab hoc pravo opere per bonos spiritus cohibentur; et similiter Antichristi malitia in pluribus continebitur.

ARTICULUS VI.

Utrum Angelus deputetur homini ad custodiam a sua nativitate.

Determinatio temporis quo incipit custodia Angelorum arcta cognatione ad quæstionem præcedentem refertur. Atque, iterum teste Origene (loc. supra cit.), duplex super hoc opinio est: *quidam* enim dixerunt Angelum ad custodiam hominis deputari a tempore baptismi; *alii* vero, a tempore nativitatis. — Istorum doctrina multo probabilior atque *communior* modo admittenda est.

Conclusio.—STATIM A NATIVITATE HOMO CUSTODEM ANGELUM ACCIPIT.

1° Hanc esse *S. Hieronymi* et *S. Anselmi* sententiam, probant utriusque verba jam relata (art. 3 et 5); ille enim dicit " ab ortu nativitatis ", iste vero " dum in corpus mittitur " unamquamque animam tutelari spiritui committi.— Accedit auctoritas *Catech. Trid.* (P. IV) extollentis beneficia " quæ confert in homines Deus, Angelis interpretibus et internuntiis, nec solum certa aliqua et privata de re missis, sed *a primo ortu* nostræ curæ præpositis ".

2° *Rationalis* probatio facili processu expeditur.—Beneficia enim, divinitus homini data in quantum christianus est, utique incipiunt a tempore baptismi, v. g. perceptio Eucharistiæ; ea vero quæ illi a Deo providentur in quantum habet naturam rationalem tunc censenda sunt ei exhiberi quando talem naturam nascendo accipit. Atqui manifestum est Angelorum custodiam pertinere ad beneficia secundi generis: pericula enim inter quæ homo versatur quæque præsidium

illud requirunt jam ab exordio vitæ imminent. Ergo semel ac puer in lucem prodeat, Angelum comitem atque defensorem sibi adsciscit.

Solv. obj.—Obj. 1.—Angeli mittuntur in ministerium *propter eos qui hæreditatem capiunt salutis* (Heb. I, 14). Atqui homines hanc hæreditatem capere incipiunt quando baptizantur. Ergo.

Resp. *D. M* :...principaliter atque efficaciter, *C;* quin hoc ministerium secundario alios respiciat, *N.—D.m :* quoad jus ipsum, *C;* quod prævias dispositiones, *N.—Neg. conseq.*

1° Principaliter Angeli mittuntur in ministerium propter eos solos *qui hæreditatem salutis capiunt*, cum in eis tantum ultimus custodiæ effectus, scil. beatitudo, sequatur. Ad hanc jus confert susceptio baptismi ; sed ipse baptismus non recipitur nisi *prævia aliqua dispositio*, providente Deo per Angelos, viam quodammodo paraverit.—Nec 2° *aliis non prædestinatis* Angelorum cura idcirco subtrahenda est : quamvis enim hanc in eis efficaciam non habeat quod perducantur ad salutem, a pluribus tamen malis physicis et moralibus sive sustinendis sive inferendis certe retrahi possunt.

Obj. 2.—Officium Angelorum custodum ordinatur ad doctrinæ illuminationem. Atqui pueri mox nati non sunt doctrinæ capaces. Ergo.

Resp. *D. M* :... sicut ad ultimum et præcipuum effectum, *C;* exclusive, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

Pueris mox natis quam plura beneficia, præter doctrinæ illuminationem, Angeli præstare possunt : scil. arcere dæmones, nocumenta tam corporalia quam spiritualia prohibere, idque potissimum efficere ut ad baptismum feliciter suscipiendum deveniant.

Obj. 3.—Pueri jam a materno utero, sicuti et post nativitatem, anima rationali gaudent. Atqui non creditur eis in materno utero existentibus custodes deputari Angelos. Ergo nec statim a nativitate.

Resp. *D. M* :...ita ut, quamdiu morentur in utero matris, sint aliquid ejus, *C;* secus, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

Puer, quamdiu manet in materno utero, aliquid est matris, sicut fructus pendens in arbore aliquid arboris est. Unde recte existimatur prolem custodiri ab Angelo matris, quoadusque nascendo proprium vitæ suæ comitem et custodem sortiatur.

ARTICULUS VII.

Utrum Angelus custos quandoque deserat hominem.

Frequens vitæ experientia ostendit quam facile inter homines amicus amicum deserat atque doloribus fractum sorti miserrimæ tradat. Quid ergo de illo cœlesti socio, cujus amicitiæ vincula jam ab incunabilis suaviter nos tenent ? Num et ipse infidelem se prodet ? Absit ; plurima namque signa et argumenta nos de contrario certiores faciunt.

Desertio alia est simpliciter et *totalis*, alia secundum quid et *ex parte :* quæ distinctio ad sequentem conclusionem ducit.

Conclusio.—ANGELUS CUSTOS NUNQUAM TOTALITER HOMINEM DIMITTIT.

Prob.—1° Angeli boni non minus sunt de nostra salute solliciti quam mali de nostra perditione. Atqui dæmones nos semper impugnant, juxta illud (Petr. V, 8) : *Adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret.* Ergo.

2° *Fidelium sensus communis* id suadet, cum in omni statu et cunctis vitæ periculis aut miseriis custodes Angelos invocare soleant. Fiduciæ hujus rationem promit *S. Bernardus* (in Ps. *Qui habitat*) : " Quid, inquit, sub tantis custodibus timeamus ? Nec superari, nec seduci, minus autem seducere possunt.... Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt, quid trepidamus ? "

3° Jam dictum est custodiam Angelorum esse quamdam executionem divinæ Providentiæ circa homines. Porro nulla res unquam totaliter Providentiæ subducitur ; siquidem quidquid est ab ea conservari et in finem duci generalis ordo postulat. *A fortiori* homo, animâ intellectualis atque immortalis, numquam simpliciter a Deo derelinquitur. Hinc Deus ipse, populum suum conquerentem alloquens, ait (Is. XLIX, 14) : *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui ? Etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.* Ergo Angeli, qui sunt ministri divinæ misericordiæ, numquam nos undequaque deserunt.

Secundum quid tamen contingit Deum ab homine discedere, in quantum hunc pati permittit aliquem defectum vel pœnæ vel culpæ; unde Christus pendens in cruce clamasse exhibetur (Ps. XXI, 1): *Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti?* Pariter Angelus interdum hominem ex parte dimittit, prout videlicet non impedit quin alicui tribulationi subdatur aut etiam, ut impleantur divina judicia, in peccatum cadat. Secundum hoc dicitur ex persona Angelorum (Jer. LI, 9): *Curavimus Babylonem et non est sanata; derelinquamus ergo eam.*

Denique lector *advertat* posse Angelum recedere localiter ab homine, quin eum custodire desistat: quando enim in cœlo est, probe noscit quid circa clientem suum agatur neque temporis mora indiget ut motu locali sese transferat, sed continuo adesse potest.

Suarez *probabile* reputat quod idem Angelus, expleto ministerio circa unum hominem, plures alios successive custodiat.

ARTICULUS VIII.

Utrum Angeli doleant de malis eorum quos custodiunt.

Constat ex dictis homines, permittente Deo Angelisque non obstantibus, in mala quædam prolabi; de quibus dubitatur an cœlestes illi tutores doleant: quippe amicorum est amicis et proximis, malorum stimulo afflictatis, condolescere.— Attamen talis est Angelorum indoles ut cuncta amicitiæ officia inviolabili fidelitate ergo nos impleant quin ullo doloris sensu affici possint.

Conclusio. — ANGELI NON DOLENT NEQUE DE PECCATIS NEQUE DE PŒNIS HOMINUM.

Prob. 1° ex *felicitate* Angelorum, quasi *ex causa remota.*—Ubi est tristitia et dolor, perfecta beatitudo esse non potest; unde dicitur (Apocal. XXI, 4): *Mors ultra non erit* (sc. in cœlo), *neque luctus, neque clamor, neque ullus*

dolor. Atqui Angeli sunt perfecte beati. Ergo de nullo dolent.

Prob. 2° ex *conformitate* angelicæ voluntatis ad divinam, tanquam *ex causa propria*.—Tristitia vel dolor non est nisi de iis quæ motui voluntatis contrariantur. Atqui nihil in mundo accidit quod sit contrarium voluntati Angelorum et aliorum beatorum. Ergo. *Prob. min :* nihil fit in mundo nisi Deo ipso per suam justitiam sive efficiente sive permittente. Atqui voluntas Angelorum, utpote ordinata, totaliter dispositioni divinæ justitiæ inhæret. Ergo, simpliciter loquendo, nihil motui angelicæ voluntatis repugnat.—Dico *simpliciter :* voluntarium enim aliud oritur ex absoluta tantum et universali rei consideratione, aliud sequitur considerationem omnium adjunctorum in quibus res hic et nunc existit; prius vocatur *antecedens*, posterius vero *consequens* sive etiam voluntarium simpliciter, v. g. re absolute inspecta nauta non vult projectionem mercium in mare, sed imminente salutis periculo consequenter vult actu efficaci quod secus nollet. Sic igitur peccata et pœnas hominum Angeli, universaliter et absolute loquendo, non volunt; volunt tamen circa hoc ordinem divinæ justitiæ servari, ex cujus lege provenit ut quidam pœnis subdantur et peccare permittantur.

Solv. obj.—Obj. 1.—Dicitur (Is. XXXIII, 7) : *Angeli pacis amare flebant.* Atqui fletus est signum doloris et tristitiæ. Ergo.

Resp. *D. M :*...quæ verba exponenda sunt litteraliter de Angelis, *N ;* mystice, *S.d :* et locutio metaphorica est, *C ;* propria, *N.*—*C.d.m :* fletus proprie sumptus, *C ;* metaphorice acceptus, *N.*—*Neg. conseq.*

Verba Isaiæ intelligi possunt vel litteraliter vel mystice. 1° *Litteralis* sensus est, nuntios regis Ezechiæ, missos ad ineundam pacem cum rege Assyriorum Sennacherib, flevisse propter impietatem Rapsacis qui Deum Judæorum blasphemabat.—Si autem 2° *mystice* accipiantur, exponi poterunt *a) allegorice* de Apostolis et pacis evangelicæ præconibus, deflentibus pro peccatis hominum, vel *b) anagogice* de Angelis bonis : qua in hypothesi, metaphorica erit locutio ad significandum Angelos velle in universali hominum salutem. Sic enim Deo et Angelis humanæ passiones attribuuntur.

Obj. 2.—Tristitia est, juxta Augustinum (14 de Civ. Dei, c. 15), "de his quæ nobis nolentibus accidunt." Atqui perditio hominis custoditi est contra voluntatem Angeli custodis. Ergo.

Resp. *D. M* :...nolentibus simpliciter, *C* ; secundum quid tantum, *N*.—*C.d.m* : contra voluntatem antecedentem et secundum quid, *C* ; consequentem et simpliciter, *N*.—*Neg. conseq.*

Obj. 3.—Sicut tristitia contrariatur gaudio, ita peccatum pœnitentiæ. Atqui Angeli gaudent de peccatore pœnitentiam agente (Luc. XV). Ergo tristantur de justo in peccatum cadente.

Resp. *D. M* :...peccatum absolute sumptum, *C*; peccatum ut permissum ad implendum ordinem divinæ Providentiæ, *N*.—*C.m.*—*Neg. conseq.*

Tam in pœnitentia hominum quam in permisso peccato offertur Angelis una ratio gaudii, scil. impletio ordinis divinæ Sapientiæ.

Obj. 4.—Dixit Origenes (in Num. XVIII) Angelos in judicium trahi "utrum ex ipsorum negligentia an hominum ignavia (peccatores) lapsi sint." Atqui quilibet rationabiliter dolet de malis propter quæ in judicium trahitur. Ergo.

Resp. *D. M* : Angeli in judicium trahuntur quasi rei, *N*; quasi testes ad convincendos homines de eorum ignavia, *C*. —*C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

ARTICULUS IX.

Utrum inter Angelos possit esse pugna seu discordia.

Postremum hoc dubium originem sumpsisse videtur ex verbis Gabrielis ad Danielem (X, 13) : *Princeps regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus.* Quum enim Judæi captivi detinerentur apud Persas, Gabriel et Michael Archangeli, solliciti de restauratione civitatis et templi, illorum reditui obtinendo omnem operam dabant. Ex altera autem parte, princeps regni Persarum quominus liberaretur

populus Israeliticus acriter obstitit ; cujus quidem principis nomine *Hieronymus* intelligit aliquem potentiorem dæmonem a quo Judæi in Persidem ducti perversi fuerant, *Gregorius* autem (17 Moral, c. 8.) multo probabilius atque sensu communiori designari censet Angelum custodem Persarum, cui suasum erat Judæorum præsentiam apud Persas medium optimum esse propagandæ veræ doctrinæ. Gabriel igitur per visionem de illa resistentia Danielem monuit qui pro Judæis orabat.—Inde difficultas.

Conclusio 1ª.—NULLA ESSE POTEST INTER ANGELOS CUSTODES DISCORDIA FORMALIS VOLUNTATUM.

Prob. 1º ex verbis de Deo dictis (Job, XXV, 2) : *Qui facit concordiam in sublimibus ;* sublimes enim potestates maxime sunt Angeli.—2º Ubi est *perfecta caritas*, justa prælatio, justitiæque æquum desiderium, non potest esse pugna. Jamvero totum hoc invenitur in Angelis.—3º *Formalis* discordia ea est quæ viget inter voluntates sibi *fine* contrarias. Atqui omnes Angeli in hoc concordant quod Dei sententia seu Providentia de hominibus et populis adamussim impleatur. Ergo.

Conclusio 2ª. — NON REPUGNAT DARI INTER ANGELOS MATERIALEM QUAMDAM SEU OBJECTIVAM CONTRARIETATEM, SECUNDUM QUAM SIBI INVICEM RESISTERE DICUNTUR.

Prob.—Dei judicia circa diversa regna et diversos homines exercentur per Angelos, secundum quod isti in suis actionibus divinis præscriptis obtemperant. Atqui in diversis regnis vel hominibus quandoque reperiri contingit contraria merita vel demerita ita ut, solo revelante Deo, dijudicari possit quinam ordo præeminentiæ et subjectionis in illis esse debeat. Ergo Angelis opus est Dei sapientiam super his consulere. Unde, in quantum de contrariis meritis vel demeritis divinam voluntatem exquirunt, sibi invicem resistere dicuntur, oppositione, inquam, *non voluntatum*, sed *rerum* repugnantium de quibus divina consilia cognoscere student.

Quæstioni limites imponam referendo verba mellifluì Doctoris, S. *Bernardi*, (Serm. 12 in Ps. XC); ubi brevi sententia constrinxit præcipua hominis officia erga tutelarem Angelum. Expendens enim sacrum oraculum: *Angelis suis Deus mandavit de te* etc, ait: "Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam, *reverentiam* pro præsentia, *devotionem* pro benevolentia, *fiduciam* pro custodia!" Reverentia quidem cavet ne quid minus rectum oculos purissimi illius spiritus offendat; devotio vero importat amorem et gratitudinem erga tam fidelem nostrum benefactorem; demum fiducia nos incitat atque movet ad illum in periculis aut tentationibus pie constanterque invocandum.

QUÆSTIO SEXTA

DE DÆMONUM IMPUGNATIONE

Ad hoc usque progressa est oratio ut, tota fere de Angelis expleta tractatione, nihil jam aliud investigandum maneat nisi operatio nefaria dæmonum. Cum enim peccatum naturam non destruat, confiteri cogimur malos illos spiritus non ea in mundum potestate carere quam competere communiter Angelis superius demonstravimus.

Verum hic distinctione opus est : *a)* potestas enim alia est *physica*, respondens principiis ipsis naturæ, alia *moralis* qua exercitium physicæ potestatis regulatur atque intra certos limites continetur. Porro licet, physice loquendo atque spectato naturarum ordine, mundus materialis sit quodammodo Angelis subjectus, tamen *de facto* nunquam dæmones illum ingrederentur nisi eis permissu quodam janua pateret [1].—*b)* Permissus autem ille duplex est : *Dei* et *hominis*, quatenus vel Deus, ob fines a se intentos, prohibere nolit interventum dæmonum in rebus humanis, vel homo, male utens sua libertate, per *evocationem* sive *explicitam* sive *implicitam* eos in consortium adducat hujus potestatis quam jure in corporales creaturas exercet.—*c)* Profecto catena infernalis inimici nunquam adeo relaxatur ut ipsi liceat *generales* mundi leges perrumpere ; tamen quam multa mala individua, turbando *particularem* ordinem, patrare ille audeat, misera experientia testatur.

In hac lugenda temporum nostrorum calamitate qua crescente hominum malitia succrevit dæmonum dominatio, operæ pretium erit de malis Angelis eorumque influxu fusiorem disputationem instituere. Quare tota doctrina quinque articulis exhibebitur, quorum *unus generalis*, *alii* vero *specialiores*. Primo enim considerabimus impugnationem dæmo-

1 Cf. De Bonniot, *Le miracle et ses contrefaçons*, I P. ch. 5.

niacam in communi (art. 1); deinde quoad præcipuos ejus modos qui tres numerantur, tentatio (art. 2), obsessio (art. 3) atque magica præstigiarum seductio (art. 4-5).

ARTICULUS I.

Utrum homines impugnentur a dæmonibus.

Impugnatio dæmonum dupliciter fieri potest, inquantum vel *morale* vel *physicum* malum inferant. De utroque impugnationis genere disserere propositum est, atque non solum *facti* existentia, sed et maxime *ratio* propria tam gravis veritatis manifestabitur.

Conclusio 1ª.—DE FIDE EST HOMINES A DÆMONIBUS MULTIPLICITER IMPUGNARI.

Prob. 1º ex *Scriptura*, (Eph. VI, 12): *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli: quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Exponens hæc verba (Comm. in Eph.), S. Thomas monet ideo cavendum esse a diaboli insidiis, quia potentissimus est et nequissimus; quod Apostolus apte describit. *a)* Docet enim nobis non solum colluctandum esse contra vitia carnis carnalesque homines, sed etiam contra *Principes* et *Potestates* quibus caro et mundus quasi instrumentaliter obediunt quique, primi duces in fovenda rebellione vel divinæ justitiæ executores, tenebrosum peccati imperium regunt. *b)* Eo vel magis metuendi sunt, quod *spiritualis* eorum nequitia majori perversitate atque astutia insignitur.

2º Inter *Patres* communi ore loquentes seligo *S. Petrum Chrys.* qui de diabolo (Serm. 11) ita effatur: "Ille laqueos tendit, lapsus parat, foveas fodit, aptat ruinas, stimulat corpora, pungit animas, immittit iras, errores serit, discordias parit, pacem turbat."

3º *Catech. Trid.*, expensis ad Eph. verbis quæ modo retulimus, subdit (P. IV, pet. 6, 9): "Ex quo licet intelligere

magnas esse hostium vires, invictum animum, immane in nos et infinitum odium; bellum etiam perpetuum eos gerere nobiscum, ut nulla pax sit cum illis, nullæ induciæ fieri possint".—Hinc *Ecclesia*, tum indefessa doctorum et pastorum prædicatione, tum precibus, Sacramentis, sacramentalibus ritibusque omnibus quotidie studet fideles adversus dæmonum incursus communire.

Conclusio 2ª.—Impugnatio ducens ad malum morale est a dæmone, permittente et ordinante Deo.

1ª *Pars.*—Præsupponimus Deum essentialiter sanctum non posse intendere peccatum, naturæ suæ oppositum, quam necessario vult et amat. Unde causa propria illius impugnationis alia esse non potest præter ipsam dæmonum malitiam: hi enim moventur tum ex *odio Dei* atque *invidia* tum ex *superbia*. Propter odium et invidiam, adnituntur profectum spiritualem hominum impedire; propter superbiam, divinæ potestatis similitudinem usurpant agendo in homines non solum *immediate*, sed et *mediate* per determinatos ministros quorum ope pravas suas voluntates exequuntur.

2ª *Pars.*—Hæc mala *permittit Deus*, quia tam potentamque sapiens est ut ex eis, mirabili consilio et ordinatione, commune bonum eruere valeat. *S. Bonaventura* varios divinæ illius permissionis *fines* una sententia complexus esse videtur, dicens (in 2 Dist. VIII, p. 2, a. 1, q. 1): "Permisit hoc Dominus sive ad gloriæ suæ ostensionem, sive ad peccati punitionem, sive ad peccantis correptionem, sive ad nostram eruditionem.—Concludamus igitur impugnationem ipsam esse a dæmone, ordinem ejus vero a Deo.

Conclusio 3ª.—Impugnatio qua physicum malum infertur proxime quidem dæmonis est, remote tamen Deo tribui potest.

1º Id discriminis inter malum morale et malum physicum intercedit quod illud, utpote contrarium bonitati divinæ, nequit ullo modo esse a Deo volitum, istud vero non quidem per se sed saltem *per accidens*, intuitu majoris boni, sub directam Dei voluntatem cadere potest. Ad hæc mala sive *pœnalia* sive *medicinalia* hominibus infligenda convenienter Deus adhibet, veluti ministros, infernales spiritus qui, dum ex odio vel invidia nos affligunt, opera justitiæ vel miseri-

cordiæ divinæ inviti perficiunt.—2° Rem ita se habere demonstrant *exempla Scripturæ*. *a)* Nam (3 Reg. XXII) spiritus mendax legitur a Deo missus fuisse ad puniendum Achab regem Israel, quatenus ei suaderetur bellum in quo, juxta divina judicia, periturus erat. *b)* Insuper ex contextu historiæ Job apparet Deum ipsum induxisse quodammodo Satanam ad destruenda bona sancti illius viri (cap. I) necnon (cap. II) ad eum plagis miseriisque percutiendum, ut ejus virtus atque patientia probaretur.—3° Dæmones vel *directe* vel *indirecte* physica nocumenta infligunt : directe quidem, ope motus localis eorumque omnium quæ per hunc motum perficiuntur ; indirecte vero, suadendo, decipiendo, vel adhibendo alterius ministerium.

Solv. obj.—Obj. 1.—Angeli deputantur ad hominum custodiam ex missione divina. Atqui dæmones mitti a Deo repugnat. Ergo.

Resp. *C. M.—D.m* :... mitti ad suadendum peccatum, *C*; mitti ad physica mala inferenda, cum sola permissione incitandi ad peccatum, *N.—Neg. conseq.*

Obj. 2.—Non est æqua conditio pugnæ ut infirmus contra fortem, ignarus contra astutum exponatur ad bellum. Atqui homines sunt infirmi et ignari, dæmones autem potentes et astuti. Ergo. (Ita plures protestantes et increduli moderni.)

Resp. *D. M* :...sine sufficienti auxilio, *C*; dato hoc auxilio, *N.—C.d.m* :...et homines sufficienter adjuvantur, *C*; nullum auxilium accipiunt, *N.—Neg. conseq.*

Ad hoc quod pugnæ conditio inæqualis non sit, fit ex parte hominis recompensatio *principaliter* quidem per auxilium divinæ gratiæ, sufficienti gradu omnibus concessæ, *secundario* autem per custodiam bonorum Angelorum. Unde (4 Reg. VI, 16) Elisæus propheta, ad quem capiendum rex Syriæ milites miserat, dixit suo ministro : *Noli timere : plures enim nobiscum sunt* (sc. Angeli) *quam cum illis.*

Obj. 3.—Ad exercitium hominum sufficit impugnatio carnis et mundi. Atqui Deus permittit electos suos impugnari propter eorum exercitium. Ergo.

Resp. *D. M* :... considerata sola infirmitate humana, *C*; habita ratione ampliorum meritorum quæ Deus vult libere ab hominibus comparari, *N.—D.m* : ita ut quo majora sint pericula, eo fortiora præbeat auxilia, *C* : secus, *N.—Neg. conseq.*

ARTICULUS II.

Utrum et quomodo homines subjiciantur tentationibus diabolicis.

1° Quanquam vox tentationis de *carnis* et *mundi* illecebris hominem allicientibus prædicari potest, tamen proprius *diabolo* tentare convenit, in quantum experimentum sumens de nostra interiori conditione nos in peccatum præcipitare conatur.

2° *Posse* dæmonem vi sua naturali tentare, consequitur ex dictis (Quæst. IV) de actione Angelorum in homines.—Omnes autem concedunt hanc potestatem ab ipso *non exerceri nisi permittente Deo* [1]; siquidem peccando meruit ut omnis primatus in creaturas inferiores sibi adimeretur. Unde *Augustinus* (in Ps. C. n. 12) : "Diabolus, inquit, nulli nocet, nisi acceperit potestatem a Deo."—Quæstio igitur est an, quo motivo, quibusve rationibus spiritus nequam permittatur insidias nobis moliri atque perversitatis suæ opera complere.

3° Omissis *incredulis* qui doctrinæ de spiritibus nullam fidem adhibent, plures ex potestantium castris uti *Staüdlin*, *Junge*, *Ammon* etc., tentationes diabolicas tanquam physice et moraliter impossibiles traducunt.—Tribus conclusionibus proposita res comprehendetur.

Conclusio 1ª.—HOMINES A DÆMONIBUS FREQUENTER TENTARI CERTUM EST ATQUE ETIAM CONVENIENS.

Prob. 1ª *pars.*—1° Ex *Scriptura :* in qua diabolus vocatur *tentator* (Matth. IV, 3), *qui tentat* (1 Thess. III, 5), *qui seducit universum orbem* (Apoc. XII, 9), *homicida ab initio* (Joan. VIII, 44).—Pernota sunt S. Petri verba quibus monemur præcavere dæmonis insidias (1 Ep. V, 8) : *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.*—Denique quot *exempla* funestum diaboli influxum ostendunt! Ei enim tribuitur protoparentum seductio (Gen. III et seq.), Judæ tremendus casus (Joan. XIII, 2), Ananiæ et Saphiræ agendi ratio (Act. V, 3), etc.

1 Cf. *de Potentia*, Q. VI, a. 5.

2° Non dissimiliter *Patres* sentiunt.—Dicit enim *Augustinus* (Solil. c. 16): " Diabolus omnibus modis instat die ac nocte...sagittas venenatas contra nos dirigens ut interficiat animas nostras ". *S. Leo M.* (Serm. 2 in Quadr. c. 3) prospiciens Christi tentationem in deserto exclamat: " Quem tentare non audeat qui nec ab ipso D. N. J. C. conatus suæ fraudis abstinuit " ? *Catech. Trid.* ita describit dæmonis artes (P. IV, 6 pet., 19): " In iis vero tentationibus, modo intimos nobis admovens stimulos, animæ affectiones et commotiones adhibet administras; modo nos exagitans extrinsecus externis rebus utitur vel prosperis ad efferendos vel ad frangendos adversis; nonnunquam habet emissarios et excursores perditos homines imprimisque hæreticos, etc ". (Legendus est *Catech.* tota hac de re.)

Prob. 2ª *pars*, videl. tentationum *convenientia.*—Re quidem vera id conveniens est quod, nedum repugnet naturæ Dei vel hominis, utraque ex parte plurimas utilitates parit. Atqui hujusmodi sunt diabolicæ tentationes. Ergo.

1° *Non repugnant naturæ Dei et hominis.*—*a)* Quamvis enim illas Deus nos vexare sinat, tamen ejus bonitas, memor infirmitatis nostræ, modum debitum eisdem imponit, juxta illud Ap. (1 Cor. X, 13): *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere.* Hinc *S. Thomas* (Comm. in Matth. VIII): " Quando, ait, Dominus aliquid permittit dæmonibus, non totaliter permittit, sed imponit eis frænum, ut in Job." *b)* Liberum igitur hominis arbitrium a diabolo ad malum inclinari quidem potest, determinari autem non potest. Quia caro et mundus sunt instrumenta quibus animarum hostis ad tentandum utitur, fatendum est majorem ejus esse potestatem in eos qui, jam vitiis dediti, cordis januam apertam quodammodo relinquunt, dum justi, bonis habitibus firmati, facilius resistunt; nemo est tamen, rationis compos, qui ad peccandum cogatur.

2° *a) Ex parte Dei* non deest *utilitas* diabolicæ infestationis. Commendatur enim cum efficacia tum necessitas divinæ gratiæ, per quam dumtaxat dæmonum audacia refrænari potest. Insuper *b) ex parte hominis* plura bona sequuntur: fovetur humilitas, suadetur oratio, virtus in luctis roboratur atque ex victoria multo nobilior comparatur gloria;

nam ait Apost. (2 Tim. II, 5) : *Qui certat in agone non coronatur nisi legitime certaverit ;* addit vero *S. Bernardus* (Serm. in Cantic. 64) : " Quomodo certabunt, si desit qui impugnet ? "

Conclusio 2ª.—NON OMNIA PECCATA DIRECTE PROCEDUNT EX DÆMONUM SUGGESTIONE, QUAMVIS NULLUM GENUS PECCATI SIT QUOD NON INTERDUM EX ILLA CAUSETUR.

Vitandus est eorum excessus qui putant nullum peccatum committi nisi instigante dæmone ; ideirco distinctio fiat inter causam peccati *indirectam* et *directam.*—*Indirecta* causa est quæ producit aliquam dispositionem ad effectum, et hoc quidem modo conceditur diabolum esse causam omnium peccatorum nostrorum ; quia instigavit primum hominem ad peccandum, ex cujus lapsu consecuta est in toto genere humano quædam pronitas ad omnia peccata. Quo sensu intelligendæ sunt nonnullæ Patrum sententiæ.

Aliquid autem dicitur alicujus causa *directa* quod directe operatur ad illud, et hoc modo diabolus non est causa omnis peccati.—1° Enim legitur (Gen. VIII, 21) : *Sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Et (Jac. I, 14-15) : *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus. Deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum.*—2° Huic doctrinæ, præter alios Patres, clare subscribit *S. Joan. Chrysost.* (Hom. in Act. Ap. 54) dicens : " Multi etiam absque diabolo pereunt : neque enim ille omnia efficit, sed etiam multa fiunt ex ignavia nostra ".—3° Necesse non est ea omnia ex instinctu diaboli repetere, quorum cæteroquin causa sufficiens in aliis reperitur fontibus. Atqui in homine, supposita præsertim corruptione naturæ, mobilitas liberi arbitrii carnisque infirmitas tantæ sunt ut vim maximam in voluntatis electiones exserant. Ergo concludamus nullum quidem esse peccati genus ad quod diabolus quandoque non inducat, non tamen omnia et singula peccata ab eo procedere.—Quare peccatores, qui proprio motu labuntur, dicuntur filii dæmonis, juxta illud Domini (Joan. VIII, 44) : *Vos ex patre diabolo estis,* in quantum ei per imitationem atque conformitatem sese subjiciunt.

Conclusio 3ª.—PROBABILIUS EST DÆMONEM AB ALIQUO SUPERATUM AB EO RECEDERE USQUE AD TEMPUS.

Quidam dicunt dæmonem, semel ac victus fuerit, nul'um

hominem de cætero tentare posse nec de eodem nec de alio peccato; *alii* autem, posse tentare alios sed non eumdem: quod *probabilius* asseritur, dummodo intelligatur *usque ad aliquod tempus*, quemadmodum de Christo Scriptura testatur (Luc. IV, 13): *Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo usque ad tempus.*

Prima ratio sumitur ex *divina clementia* atque *justitia*. Clementia enim prohibet ne infirmitas longiori pugnæ obnoxia sit, justitia vero suadet ut qui hostem debellaverit quiete quadam paceque triumphi, saltem per tempus, frui permittatur.

Secunda ratio petitur ex *astutia diaboli*. Ambrosius enim (in Luc. IV, 13) dicit: "Diabolus instare formidat, quia frequentius refugit triumphari;" unde recedens per temporis moram, sperat facilius fore ut incautos inexpectato reditu decipiat, juxta illud (Matth. XII, 44): *Revertar in domum meam, unde exivi.*

Tertia demum ratio duci posset ex illa communiori theologorum sententia, quod non sit cuilibet homini malus Angelus ad pugnam sicuti cuique bonus est ad custodiam. Billuart enim (Diss. VIII, a. 3) contrariam opinionem veluti affinem superstitioni gentilium qui duos genios cuilibet homini affingebant necnon etiam ut a divina bonitate nimis dissonam rejicit.

Solv. obj. (contra 1^{am} concl.).—Obj. 1.—Tentare est ignorantis. Atqui dæmones sciunt quid circa homines agatur. Ergo non tentant.

Resp. *C. M.—D. m*:... quid agatur exterius, *C*; interius, *N.—Neg. conseq.*

Equidem sciunt dæmones ea quæ *exterius* circa homines aguntur; sed *interiorem* hominis conditionem, diversam pro diversis, solus Deus novit qui est spirituum ponderator. Quocirca diabolus explorando conatur conditionem illam seu occultas cujusque inclinationes deprehendere ut de illo vitio tentet ad quod homo magis pronus est.

Obj. 2.—Christus per passionem et mortem suam potestatem dæmoni ademit, juxta illud (Joan. XII, 13): *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Atqui dæmon potestate destitutus nequaquam tentare potest. Ergo saltem nunc nulla datur diabolica infestatio.

Resp. *D. M*:... ipsam dæmonis potestatem totaliter sustulit, *N*; contulit media efficacissima eam superandi, quod primo apparuit in abolitione idololatriæ, *C.—C.d.m*: potestate ipsa privatus... *C*; privatus sola facilitate malum operandi ob majorem gratiæ copiam hominibus elargitam, *N.—Neg. conseq.*

ARTICULUS III.

Utrum dentur obsessiones diabolicæ.

1° *Obsessio* seu *possessio* diabolica (utraque enim vox nunc indifferenter adhibetur) describi potest: *operatio dæmonis qua corpus humanum intrat, in eo habitat atque in illud diversimode agit*, turbando sensus, membra torquendo et exagitando aut etiam vires insolitas præbendo.

2° *Quibus criteriis* judicari possit aliquem a dæmonio esse obsessum sedulo notat *Rituale Romanum*, ne actio diabolica cum morbo aliquo confundatur. " Signa autem obsidentis dæmonis sunt: ignota lingua loqui pluribus verbis vel loquentem intelligere; distantia et occulta patefacere; vires supra ætatis seu conditionis naturam ostendere, et id genus alia quæ, cum plurima occurrunt, majora sunt indicia. "

3° Hac de re *oppositæ* prodierunt *sententiæ* [1]. *a)* Cum enim *Lutherus* posuisset omnes morbos a dæmonibus esse repetendos, factum est præsertim apud Protestantes ut levissimis de causis homines quasi obsessi haberentur et tractarentur.—*b)* Recentiori autem ætate, in aliud extremum multi declinarunt; inter quos eminet *Semler*, rationalismi biblici parens, quem non solum plurimi protestantes, verum et catholici nonnulli, ut Iahn, incaute secuti sunt. Accedit ingens incredulorum agmen; ita ut triplex erroris modus rite distingui possit. *Alii* cum Voltaire, Scripturas irridentes, simpliciter negant possessiones diabolicas; *alii* per dæmoniacos nonnisi epilepticos, lunaticos, etc., intelligendos esse volunt; conce-

1—Knoll, Vol. II, Sect. I, c. 3, a. 7.

dunt tandem *alii* veras exstitisse possessiones ante Christum et Christi tempore, non autem *post Christum.*

Conclusio.—ADMITTENDÆ SUNT TUM ANTE TUM POST CHRISTUM DIABOLICÆ POSSESSIONES, REALITER A MORBIS NATURALIBUS DISTINCTÆ.— In hac quæstione *sensus Ecclesiæ*, prouti constat ex Rituali Romano atque ex diversis conciliis particularibus, [1] tam evidens est ut vix citra hæreseos notam conclusio enunciata negari possit.

Prob. 1ª *pars*, scil. quod *exstabant possessiones ante Christum et Christi tempore.—a)* Quamvis enim libri V. T. de hac re sileant, testis est *Jos. Flavius* qui (Archeolog. l. VIII, c. 2) hæc refert: "Concessit ei Salomoni etiam Deus ut disceret artem contra malos dæmones ad utilitatem et conjurationem hominum. Et cum incantationes composuisset, quibus leniantur morbi, etiam formas adjurationum reliquit quibus vincta dæmonia ita ejiciunt ut numquam revertantur". —*b)* Verum tunc maxime, ex divino consilio, dæmones infestare visi sunt humana corpora quando Christus in terris apparuit ut, data occasione supremæ suæ potestatis exercendæ, divinitatem suam atque immanitam suam misericordiam compertam omnibus faceret. Evangelia testimoniis abundant. Sic legitur (Matth. IV, 24): *Obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui dæmonia habebant, et lunaticos et paraliticos, et curavit eos:* (Ibid. VIII, 16): *Obtulerunt ei multos dæmonia habentes, et ejiciebat spiritus verbo; et omnes male habentes curavit.* (Luc. VIII, 2): *Magdalene, de qua septem dæmonia exierant.* (Ibid. XI, 14 et sqq): *Erat ejiciens dæmonium, et illud erat mutum; et cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus, et admiratæ sunt turbæ*, etc. (Marc. IX, 24) narratur Christum de puero expulisse dæmonem his verbis: *Surde et mute spiritus, ego præcipio tibi: exi ab eo, et amplius ne introeas in eum.*

Prob. 2ª *pars*, nempe quod *nec cessarunt possessiones diabolicæ post Christi mortem*, quamvis sæculorum lapsu rariores factæ sint.— Constat enim 1º Christum contulisse Apostolis potestatem ejiciendi dæmones (Matth. X, 1): *Con-*

1—Cf. Knoll, *op.* et *loc. cit.*

vocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem. Hac autem potestate Christi ministros usos esse *Scriptura* ipsa demonstrat in Act. Apostolorum, ubi referuntur quæ facta sunt a Petro (V, 16), a Philippo diacono (VIII, 6–7) et a Paulo (XVI, 16 ; XIX, 12).—2° *Traditio* suffragatur. Ita inter multos *S. Irenæus* (l. II adv. Hær. c. 32) : " Nonnulli (sc. Christi discipuli) in veritate et absque omni dubio dæmones expellunt, ita ut sæpe etiam a malis spiritibus liberati credant, atque Ecclesiam ingrediantur. " *S. Augustinus* (22 de Civ. Dei, c. 22) inter miserias humanas hoc recenset quod ne pii quidem et innocentes ab infestatione dæmonis liberi sint ; ait enim : " Contra milliformes dæmonum incursus quis innocentiæ suæ fidit ? Quandoquidem ne quis fideret, etiam parvulos baptizatos, quibus certe nihil est innocentius, aliquando sic vexant ut in eis maxime, Deo sinente, ista monstretur hujus vitæ flenda calamitas et alterius desiranda felicitas. " *S. Chrysostomus* (Hom. 4 in laud. S. Pauli), celebrans virtutem crucis in fugandis dæmonibus, notat Satanam irridere alia nomina ; " si vero Jesum addideris Nazarenum, velut ab igne repente diffugiet. "—3° Censent gravissimi scriptores 1, extraordinaria phænomena quæ religiosis feminis *Les Ursulines de Loudun* sæc. XVII acciderunt fuisse veras possessiones diabolicas, eo quod in iis plura signa, a Rituali indicata, deprehensa fuerint. Idem tenendum esse videtur de famosis convulsionibus quæ sæc. XVIII ad tumulum diaconi Pâris, in cœmeterio Sancti-Medardi, originem sumpserunt.

Prob. 3ª *pars.*—*Rationalistæ*, quum non possint tot tamque gravia testimonia recusare, eorum vim infirmare conantur recurrendo ad morbos præsertim *nervosos*, quos volunt a gente superstitiosa pro possessionibus diabolicis habitos fuisse. Atqui hoc effugium adversariorum inane prorsus est. Nam *a)* uti apparet ex locis citatis, *Scriptura* apprime distinguit dæmoniacos ab ægrotis et ejectionem dæmonum a morborum diversorum sanatione ; *b)* quandoque certus morbus, v. g. mutitas, ipsi tribuitur dæmoni, quo ejecto morbus evanescit ; *c)* plures dæmones ex una eademque persona

1—Cf. De Bonniot, *Le miracle et ses contrefaçons*, II P. ch. 7.

exiisse refertur; vel *d)* dæmon ex vi designatur quæ naturam superat, v. g. in puella habente spiritum pythonem quo, divinando, quæstum magnum præstabat dominis suis (Act. XVI, 16). Insuper *e)* Christus et ejus ministri obsessos liberant alloquendo dæmones, imperando, comminando; quod in hypothesi naturalis infirmitatis absurdum foret. Tandem *f)* videmus solo nomine Jesu, imo aliquando solâ christianorum præsentiâ, dæmonem ejici de corporibus ethnicorum, qui quum Christum christianosque vel ignorarent vel contemnerent, nulla sane nervosa commotio tanquam curationis medium in eis allegari potest. Ergo, etsi concederemus diabolum quandoque usum fuisse morbidis quibusdam dispositionibus veluti instrumentis, dubium esse non debet quin veræ possessiones dæmoniacæ tum ante tum post Christum acciderint.

Solv. obj.—Obj. 1.—Duo spiritus nequeunt eumdem locum definitivum occupare. Atqui anima totum corpus occupat. Ergo dæmon non potest ipsum obsidere.

Resp. *D. M* :... eodem essendi et agendi modo, *C*; diversa habitudine, *N.*—*D.m.* :...per modum formæ, *C*; ut motor tantum, *N.*—*Neg. conseq.*

Anima principaliter est *forma corporis*, consequenter autem eum movet; hinc, quia dæmon ingreditur hominem non ut forma, sed ut *motor tantum*, nihil prohibet quin simul duo illa principia in eodem subjecto coexistant et agant quod cuique proprium est [1].

Obj. 2.—Repugnat Providentiæ divinæ ut homo tyrannidi potestatis adversæ subjacere sinatur. Atqui hanc tyrannidem important possessiones diabolicæ. Ergo.

Resp. *D. M* :...subjacere sinatur sine causa, et ita ut ab usu rationis et libertatis impediatur, *C*;...in pœnam peccati (quod frequentius est), vel propter virtutis exercitium atque divinæ omnipotentiæ manifestationem, *N.*—*C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

Obj. 3.—Causa dignoscitur per effectus. Atqui in iis qui dæmonia habuisse dicuntur talia reperiuntur indicia quæ naturalem morbum produnt. Ergo.

1—I, Q. LII, a. 3 ad 3.

Resp. *C.M.—D.m* :...semper, *N*; frequenter, *S.d* : quæ produnt morbum naturali affinem, *C*; naturaliter causatum, *N.—Neg. conseq.*

Dæmones, vexando corpora, possunt in eis gignere effectus naturalibus morbis fere similes ; quorum tamen ut origo diabolica detegatur, sat est attendere vel ad *modum* quo fiunt, vel ad *verba* et *actiones* hominum obsessorum aliaque adjuncta quæ germanam phænomeni causam patefaciunt.

ARTICULUS IV.

Utrum dæmones possint homines seducere per aliqua miracula.

Exploranda superest altera dæmonum nocendi ratio quæ, licet ab aliis fine non differat, tamen proprio modo procedit, scil. *deceptionis* et *seductionis* via per miros quosdam effectus. Singulis sane ætatibus, etiam post Christi adventum, teterrimus generis humani hostis in laqueos perversitatis suæ conatus est imprudentes deducere ; verum hac ætate nostra, in qua ethnicismus reflorescere quodammodo videtur, nihil a diabolo intentatum relinquitur. Quare gravitas argumenti exposcit ut theologus aperiendis dæmoniacis fraudibus paulo longius insistat.

Methodo et claritudini consulentes duo pro viribus præstare studebimus, ex quibus appareat quid diabolus agere non possit quidve possit agere et agat ad *seducendos* homines, quid autem in specie de *hypnotismi* phænomenis existimandum sit : de quibus tamen in art. sequenti.

Conclusio 1ª.—Dæmones non possunt miracula proprie dicta facere.

1º Id quidem sufficienter demonstratum est, dum de Angelis in genere ageretur (Supra, Q. III, a. 4); ubi constitit miraculum esse eventum mirabilem præter ordinem consuetum *totius* naturæ, sub quo omnis virtus creata continetur.

2º Attamen juverit vulgatam hic miraculi divisionem

recolere, quatenus distinguitur ratione *sui*, ratione *subjecti*, et ratione *modi*.—*a)* Miraculum *ratione sui* est productio mirabilis effectus cujus substantia a natura nullatenus effici potest, v. g. *glorificatio* humani corporis; *b)* miraculum *ratione subjecti* dicitur productio mirabilis effectus quem natura potest quoad substantiam efficere, sed non in hoc determinato subjecto, v. g. *resuscitatio* mortui; *c)* miraculum *ratione modi* reponitur in productione mirabilis effectus, producibilis etiam a natura et quidem in eodem subjecto, sed non tali modo et ordine, v. g. *instantanea sanatio* a febri per solum tactum.

Porro effectus excedentes naturam ratione *sui* vel ratione *subjecti* a dæmonibus fieri nequeunt; et ideo veræ resuscitationes mortuorum non possunt non esse miracula.—Effectus vero excedentes causalitatem naturalium agentium quantum ad *modum* productionis discernendi sunt a præstigiis dæmonum ex *utilitate facti*, ex *modo facientis* et præsertim ex *fine*[1]. *a) Ex utilitate facti:* signa enim quæ ab Angelis bonis vel a sanctis hominibus fiunt de rebus utilibus, secundum quod humanam dignitatem decet, versantur; quæ vero fiant de rebus nocivis, abjectis aut vanis et in solam utilitatem materialem ex malorum spirituum arte repetenda sunt. *b) Ex modo facientis:* homines sancti miracula operantur per publicam nominis Dei invocationem aut jure quodam divino; si ergo fiant signa per aliqua deliramenta, v. g. adhibitis gesticulationibus ludicris aut turpibus et figuris quibusdam, aut verbis secreto prolatis, talia habenda erunt dæmonis interventu peracta. *c) Ex fine*: signa operata ab Angelis bonis vel hominibus, ex mandato Dei, in Dei gloriam et bonum Ecclesiæ atque animarum ordinantur; qui ergo mirabiles effectus non ad hos fines sed in contrarium tendunt, abducendo homines per bona quædam minima vel falsa a bonis superioribus et spiritualibus, a dæmone certe proveniunt. — Ad rem *S. Augustinus* (l. 83 Qq. q. 79): "Cum, inquit, talia faciunt magi qualia sancti, diverso fine et diverso jure fiunt. Illi enim faciunt quærentes gloriam suam, isti quærentes gloriam Dei; et illi faciunt per quædam

1—Lorenzelli, *Phil. theoret. institut.*, Vol. II, *Metaphys. Spec.* P. II, lect. 5.

privata commercia, isti autem publica administratione et jussu Dei, cui cuncta creata subjecta sunt."

Conclusio 2ª.—DÆMONES POSSUNT PER MIROS QUOSDAM EFFECTUS HOMINES SEDUCERE, ATQUE REIPSA MISERRIME SEDUCUNT.

Prænotanda.—1º Facultas qua dæmonis operâ mirabiles effectus produci possunt vocata est magia *diabolica* vel nigra, ut distinguatur a magia *naturali* et magia *artificiali* quarum prior in usu virium naturæ aliis occulto, posterior autem in arte et dexteritate humana consistit. Profecto de diabolicis tantum præstigiis nobis agendum est. — 2º *Evocatio* per quam plerumque, supposito permissu divino, janua hujus mundi dæmonibus panditur duplex est, juxta illud S. Thomæ (II-IIæ, Q. CXXII, a. 2 ad 3) : "Omnes superstitiones procedunt ex aliquo pacto cum dæmonibus inito, tacito vel expresso." *Expressa* est evocatio vel pactio, quando ipse dæmon sub datis conditionibus vel promissis directe et scite advocatur in opus mirabile patrandum ; *tacita* [1] autem dicitur quando, positis quibusdam signis vel factis superstitiosis, exspectatur effectus qui neque a Deo sperari neque communi naturæ ordine provenire potest, unde implicite solius dæmonis ope eventurus existimatur. Ex hoc ipso enim quod homo vanas illas significationes adhibet ad effectum improportionatum producendum, animum ostendit inordinate affectum seu malæ dæmonum voluntati conformem ideoque se tacite diabolicæ societati immiscet, velut si dixerit : "Volo hunc effectum quacumque ex causa."—3º Diabolum per magicas artes homines illudere, communis erat totius *antiquitatis persuasio.* Dum vero, ex una parte, negari non potest præterlapsis sæculis multos hunc influxum maligni spiritus plus æquo extendisse, ex altera factum est recentiori ætate ut quidam in oppositum extremum delaberentur, relegantes magiæ existentiam inter aniles fabulas. Hanc sententiam nonnulli etiam catholici theologi, inter quos *Klüpfel*, amplexati sunt ; quibus nunc opponere liceat veritatis demonstrationem.

Prob. concl. per partes.

1 Cf. Cajet. *Comt.* in II-IIæ, Q. XCV, a. 2 ; De Bonniot, *op. cit.*, III P. ch. 5, sect. 3.

1ª *Pars*, nempe quod dæmones, quomodocumque a magis evocati, *possint* homines seducere, haud ægre suadetur.—Et sane 1º *ex una parte* talis est humana perversitas ut vindicta, luxuria, curiositas, indigentia facile queant plures inducere ad commercium cum diabolo ineundum. Hoc Scriptura manifeste supponit, dicens (Lev. XIX, 31): *Non declinetis ad magos nec ab ariolis aliquid sciscitemini. Ex altera parte* dæmonibus frequenter inest non solum physica, sed et moralis facultas magorum evocationibus obsequendi, juxta illud quod S. Paulus de Antichristo prædicit (2 Thessal. II, 9): *Cujus est adventus secundum operationem Satanæ in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus. a) Physica* illa facultas producendi mirabilia in eo sita est quod virtus angelica humanam superat tum quoad *intellectus perspicaciam* tum quoad *vim motivam*. Unde quemadmodum unus homo, in quantum facit aliquid excedens cognitionem et vires alterius, hunc ducit in admirationem sui operis ita ut quodammodo miraculum operari videatur, ita diabolus mira efficit vel futura quædam homines edocendo, vel vim motricem insolitis artibus quæ a celeritate, virtute, dexteritate pendent diversimode exercendo. *b) Morali* sub respectu idipsum possibile est; quia dum Satan homines decipere permittitur eorumque fidem sive de miraculis sive de rebus dogmaticis et moralibus satagit ut destruat, Deus de malo multiplex bonum eruit, quatenus probantur justi, puniuntur impii veraque sapientia in detegendis malignorum spirituum fraudibus manifestatur.

Hinc 2º citantur [1] plurima ecclesiasticæ auctoritatis *decreta* contra artes magicas et diabolicas, nec omittendum est *Exorcistarum* ordinem destinari non solum ad repellendos dæmones ab energumenis verum etiam ad reliquas diaboli infestationes debitis precibus coercendas.

Notandum tamen est 3º artem magicam non ejusmodi esse quæ lege infallibili sortiatur *effectum. a)* Alliciuntur quidem dæmones per signa corporalia [2] aut certa media quibus vel facilius mira agere possunt vel efficacius homines in errorem aut peccatum inducere; non autem coguntur. *c)* Insuper,

1—Cf. Knoll, Vol. II, *de Deo Creatore*, c. III, a. 7.
2—Cf. *de Potentia*, Q. VI, a. 10.

præterquamquod divina potestas eos freno continet, finitam habent cognoscendi et operandi facultatem; unde non omnia de quibus invocantur præstare possunt: quod historia plenissime confirmat, arguens pleraque gentilitatis oracula de fallaciis [1]; nec putandum est mendaces illos spiritus semper velle stare promissis.

Si quæras 4° *de modo* quo mirabilia dæmonum opera fiant, respondendum est dupliciter ea perfici posse aut secundum *rei veritatem*, aut secundum meram *apparentiam*.—*a)* Jam ex disputatis (Q. III, a. 3) accepimus Angelis subesse motum localem, quo mediante remota corpora subito asportari vel, per agentia secreto adhibita, naturales rerum transmutationes determinari possunt.—*b)* Quæ vero mutationes virtutem naturæ excedunt nullo modo a dæmonibus realiter perfici queunt, v. g. quod corpus humanum mutetur in bestiale; sed si quando aliquid tale operatione dæmonum effici videatur, hoc est secundum apparentiam tantum. Quod quidem dupliciter potest contingere: uno modo *ab interiori*, secundum quod dæmon mutare valet phantasiam hominis et etiam sensus externos ut aliquid videatur aliter quam sit (Cf. supra, Q. IV, a. 3-4); alio modo *ab exteriori*, in quantum, sicuti potest formare ex aere corpus cujuscumque formæ et figuræ ut illud assumens in eo visibiliter appareat, pari ratione potest circumponere cuicumque rei quamcumque formam corpoream ut in ejus specie videatur.

2a *Pars* concl. est *de facto*, poteritque manifestari ex inductione, consideratis scil. præcipuis artibus magicis aut diabolicis quæ sæculorum lapsu invaluerunt.

Occurrit 1° facienda mentio de iis quæ Scriptura narrat (Ex. VII-VIII); ubi legimus *magos Pharaonis* imitatos fuisse tria ex prodigiis quæ Deus coram rege, ad suadendum ei ut filios Israel de Ægypto dimitteret, per Aaronem et Moysem operabatur, videlicet conversionem virgarum in serpentes, et aquæ in sanguinem, necnon ranarum stupendam eductionem.—Ibi sane manifestum se prodit diaboli interventus. Quod ad *serpentes* et *ranas* attinet, quamvis dato temporis spatio per ova ac semina furtim adhibita dæmones potuissent talia producere, tamen probabilius est ea jam producta dex-

1—Knoll, *op.* et *loc. cit*

tere asportasse vel adstantium phantasiam decepisse [1]; pariter aquam converterunt in *sanguinem* non directe, sed vel apparenter tantum vel commixtione realis sanguinis subito translati.—At eorum virtus a Deo prohibita est ne plura imitando regem in consiliis suis confirmarent.

2º Universus fere *paganismus*, in superstitione tum idololatriæ tum divinationis et vanæ observantiæ fundatus, lugendissimum omnium exemplum demonstrat diabolicæ illusionis. Ille enim aliud reapse non fuit quam vel expressa vel saltem tacita dæmonum evocatio [2]; siquidem ethnici vel falsis et indignis divinitatibus indebitum cultum exhibebant vel ab idolis de se impotentibus effectus prorsus improportionatos repetebant. Quare *S. Thomas*, loquens de idololatria (II-IIæ, Q. XCIV, a. 4), postquam adseruerat causam ejus *dispositivam* accipiendam esse ex parte hominum, concludit: "Alia autem causa idololatriæ *consummativa* fuit ex parte dæmonum qui se colendos hominibus errantibus exhibuerunt, in idolis dando responsa et aliqua quæ videbantur hominibus mirabilia faciendo; unde et in Ps. CXV, 5 dicitur: *Omnes dii gentium dæmonia.*"

3º Inter facta et signa mirifica, sive realia sive fabulosa, quæ in paganorum historia legimus quæque increduli veris Christianismi miraculis opponunt eminent *pseudo-miracula Esculapii* et *Serapis* quos vocant deos-medicos. Ægroti solebant in templo salutiferum deum interrogare, qui in somniis respondens debitum remedium patefaciebat. Porro ea in re plene subscribimus conclusioni clarissimi scriptoris pluries laudati [3], nempe mirabilia illa facta, cum pleraque certa historice videantur, superasse quidem in multis casibus facultatem hominis, non autem Angeli ideoque, prouti adjuncta suadent, dæmoni adscribenda esse.—Idem fere tenendum est de celebri *Apollonio Tyanæo*, cujus præstigia magicam quoque seu diabolicam artem redolent [4].

4º Omissis *Bouddhæ* prodigiis quæ vel metaphysica possibilitate vel historica realitate destituuntur, discimus ex

1—Cf. D'Allioli, *Nouveau commentaire.*
2—Cf. de Bonniot, *op. cit.* I P. ch 5, 3; II P. ch. 8, 3.
3—Id. *op. cit.* II P. ch. 2.
4—Id. *op. cit.* II P. ch. 3.

historia [1] plerasque falsas religiones vel hæreses, v. g. Mahometismum, Gnosticismum, Montanismum, Albigensium errores, Protestantismum atque Jansenismum ansam dedisse crebris illusionibus dæmonis sive expresse sive tacite vocati. Neque hoc videri mirum debet ; patris enim mendacii plurimum interest ad inculcandas pravas doctrinas vera falsis miracula simulare.

5⁰ Præsenti ævo physicis et mechanicis studiis dedito, novum in his deceptionis medium diabolus invenit atque diabolismus novas videtur induisse formas.—Sane præter *Spiritismi* phænomena quæ sub specie Necromantiæ per indubitatum dæmonis interventum mentes illuserunt, datis responsis religioni plerumque contrariis [2], recensendi sunt lusus *Tabularum rotantium, Magnetismus* atque *Hypnotismus.*—*Tabularum rotantium* facta in eo sunt quod, dum extremo circumstantium digito tanguntur, non solum motu giratorio abripiuntur, verum etiam calami annexi ope responsa exhibent de variis rebus, vel cognitis, vel incognitis et futuris. Manifestum est *a)* effectus præsertim secundi generis causam visibilem superare ; qui vero *b)* hos effectus scientifice explicare conati sunt, v. g. per motus musculares inconscios [3], falso prorsus et materialistico supposito innitebantur de mechanica proportione inter cerebri affectiones et diversas mentis intellectiones. Merito igitur Archiep. Queb. (a. 1654) tabularum rotantium *superstitiosum* usum vetuit atque a quocumque hujusmodi etiam jocoso experimento abstinendum esse commonuit.—*Magnetismi* portenta, quem primum *Mesmer* medicus invexisse perhibetur sub finem sæc. XVIII, substantialiter non differunt a factis hypnoticis [4]. Hinc de utrisque simul in sequenti articulo disserere constituimus.

1—Id. *op. cit.*
2—Cf. Gury, *Compend. theol. mor.*, Vol. I.
3—Cf. Méric, *Le merveilleux et la science*, l. II, c. 4.
4—Cf. Méric, *op. cit.* l. I, c. 5.—Touroude, *L'Hypnotisme, ses phénomènes et ses dangers.*—Moutin, *Le nouvel hypnotisme :* quod opus caute legendum est.

ARTICULUS V.

De hypnotismo.

Hanc ut rem hodie gravissimam ex ordine pertractemus, distinguemus primum atque *exponemus* varias factorum classes, postmodum vero *criticam* de illis, pro modulo humillimi nostri ingenii, sententiam feremus.

Prænotiones. — FACTORUM NATURA DESCRIBITUR ET VERITAS PERPENDITUR.

1° *Hypnotismus*, secundum vim nominis, significat *artem procurandi somnum in alia persona.*—Varia sunt *media* hypnotica, scil. suggestio vocisque imperium, vel etiam simplex imperium mentale, oculorum adspectus, obtutus corporum lucentium, manuum contrectatio, etc.—*Conditiones* quoque diversæ sunt; alii enim postulant consensum personæ hypnotizandæ, alii non; alii verius dicunt [1] consensum necessarium esse in iis qui nondum hypnotizati sunt. Pariter ex parte ipsius hypnotizantis plerique affirmant actualem intentionem requiri [2], quidam tamen negant.

2° Sopore jam inducto, en phænomena quæ sive per tactus sive per suggestiones voce aut gestibus factas in medium prodeunt.

In ordine intellectuali: cognitio idiomatum quæ prius ignota erant, perceptio cogitationum in mente alterius, futurorum quæ homo nescire solet certa prævisio, descriptio accurata morborum et remediorum a rudibus data.

In ordine morali: suspensio usus liberi arbitrii, transmissio occultissimæ voluntatis per solam intentionem compressa manu, influxus quo hypnotizans possit jubere hypnotizato responsiones de rebus etiam secreto sibi commissis vel, ei suggerendo crimen, v.g. occisionem talis aut talis hominis, stata die et hora patrandum etiam extra somnum, quamdam in illo imprimere coactionem ad talia exequenda tempore et loco per suggestionem præfixis.

In ordine sensitivo: hyperesthesia, anesthesia et trans-

1—Touroude, *op. cit.*
2—Moutin, *op. cit.*

positio sensuum ; quatenus scilicet *a)* hypnotizatus in statu hypnotico potest videre res maxime distantes, imo quæcumque hypnotizans velit suggere, per media etiam corpora opaca, aut quatenus persona rudis, v. g. ancilla, post plures annos recordari possit eorum quæ dominus latine vel græce olim recitaverit ; *b)* quatenus quoque acutissima sensibilitas simul ac insensibilitas perfecta in eodem hypnotizato invenitur ita ut v. g. candens ferrum non persentiat qui levissimo digiti contactu afficitur, aut hypnotizatus non percipiat nisi solam vocem hypnotizantis etc ; *c)* quatenus demum idem hypnotizatus videre potest per occipitem vel per auditum.

In ordine physiologico : profunda totius esse vitalis commotio et subversio per quam diversissimi et specialissimi morbi [1] sanari dicuntur, quæ sanationes plerisque in malum vergunt propter frequentem cerebri jacturam et amentiæ periculum ; supposita actio medicamentorum in distans (de qua tamen nonnulli dubitant) ; eruptio sudorum et tumorum sanguineorum quos, suggerente hypnotizante, secundum horam et figuram ab eo determinatam hypnotizatus in seipso experitur.

In ordine mechanico : magnetizator solo voluntatis nutu non modo magnetizatam personam a se repellit vel ad se ita trahit ut citissime et quovis superato obice sequatur, sed ipsam rursus sola voluntate in aerem elevat atque ibi suspensam, quamdiu libeat, retinet. Mittimus alia.

Porro 3° factorum quæ hypnoticæ virtuti tribuuntur pleraque saltem *historice vera* sunt : siquidem *a)* probantur testimonio hominum omnis conditionis, præsertim medicorum et peritorum in arte necnon virorum ecclesiasticorum qui facta illa *ex professo* examinarunt [2].—Accedit *b)* experimentorum indoles quæ publica, frequentia ac pene universalia sunt.

Hisce præstitutis, jam hypnoticarum rerum causa inquirenda est.

Conclusio 1ª.—PERMULTA MAGNETISMI ET HYPNOTISMI PHÆNOMENA NECESSARIO SUPPONUNT INTERVENTUM SPIRITUALIS AGENTIS, QUOD EST DÆMON.

1—Moutin, *op. cit.*
2—Cf. Méric, *op. cit.*

Hanc thesim strenue propugnant non solum romanorum doctorum cohors, inter quos citare est *Liberatore, Zigliara, Satolli, Lorenzelli, Franco, Bucceroni*, etc., sed etiam alii multi illustris nominis cum philosophi tum theologi.

1ª *Pars* concl. probatur.

1º *Extrinsece.*—Etenim *a)* personæ hypnotizatæ quandoque declarant se ab aliqua intelligentia suas recipere cognitiones [1]; *b)* ipsi autem hypnotizantes etiam fassi sunt occultam quamdam et spiritualem vim factis magneticis præsidere [2].

2º *Intrinsece.*—Quandocumque proportio inter effectum cognitum et causam naturalem quamlibet certo desit, profecto recurrendum est ad agens superius. Atqui perplura hypnotismi facta nullam habent proportionem cum causis naturalibus. Ergo. *Prob. min.* Causæ naturales hypnotismi aliæ excogitari non possunt quam vel intellectus et sola voluntas hypnotizantis vel intermedium quoddam fluidum vel suggestio efficaciter movens tum imaginationem tum voluntatem personæ hypnotizatæ: hæc vero omnia insufficientia sunt.

Non sufficit 1um.—*Intellectus* enim conceptione sua nihil efficit nisi mediante voluntate; *voluntas* vero, cujus actus est immanens, non potest se ad exteriorem effectum protendere nisi adhibito ministerio executivæ potentiæ [3].

Non sufficit 2um, nempe *fluidum* quoddam animale vel magneticum.—Præterquamquod enim hæc hypothesis jam pluribus ex ipsis hypnotizantibus antiquata videtur, impar omnino est solvendo problemati hypnotico: quod evincitur tum *generaliter* tum *specialiter*.

Arg. generale.—Proportionata causa hypnotismi talis esse debet quæ neque quoad virtutem neque quoad operandi modum sit determinata, verum cunctis humanæ naturæ viribus quodammodo dominetur. Atqui fluidum magneticum (si quod sit) necesse est ut habeat virtutem agendique rationem determinatam neque viribus naturæ humanæ principari potest. Ergo. *Majoris* partes singulæ patent: quia *a)* incredibilis est effectuum magneticorum numerositas et diversitas; *b)* hi autem effectus ex causa prodeunt absque fixis legibus, cum

1—Moutin, *op. cit.*
2—Touroude, *op. cit.*
3—Cf. C. G., l. III, a

tot media diversa tamque variæ conditiones adhibeantur. Unde *c)* nullum agens potest tam latum tamque profundum imperium exercere in singulas hominis vires tum intellectivas et morales, tum sensitivas, tum physiologicas atque mechanicas, nisi homine ipso superius sit. *Minor prob.* ex eo quod, juxta D. Thomæ doctrinam [1], omne agens naturale, cum unâ constet formâ substantiali eâque operetur determinato modo, determinatos specie producit effectus. Fluidum autem, quodcumque sit vel imaginetur, non potest non esse quidpiam materiale, physicis causis connumerandum. Hinc etiam certo foret inferius homine nec intelligeretur quo pacto valeret universis ejus viribus tanta efficacia dominari.

Arg. speciale ducitur ex singulis phænomenorum generibus ad examen vocatis.—*a)* Quod spectat ad *facta intellectualis ordinis*, nemo est sanæ mentis et ab omni materialismi labe immunis qui ea velit repetere ex fluido magnetico: nequit enim effectus virtutem causæ superare. Opportunissima redit in ætatem nostram demonstratio qua olim *Angelicus* opera magorum oppugnabat [2]. " Ex quibusdam, inquit, formis imaginatis non potest alicui provenire intellectualis cognitio ultra facultatem naturalem vel acquisitam sui intellectus...Per hujusmodi autem visa vel audita quæ apparent in operibus magorum plerumque advenit alicui intellectualis cognitio aliquorum quæ sui intellectus facultatem excedunt, sicut revelatio occultorum thesaurorum, manifestatio futurorum, et quandoque etiam de aliquibus documentis scientiæ alicujus vera respondentur." Ergo.

b) De factis ordinis moralis idem fere tenendum est. Quis enim credat liberam nostram voluntatem, quæ semper et ab omnibus veluti quiddam inviolabile habita est, subjacere influxui naturalis agentis posseque ab arbitrium cujusque magnetizantis tam intime mutari?

c) Quoad phænomena sensitiva, dicimus non posse agens ab ipsa natura institutum fundamentales sensuum leges pervertere. Atqui legibus sensuum essentialibus contrarium prorsus est quod in uno eodemque sensu perfectissima simul sensibilitas et insensibilitas perfecta respectu proprii objecti

1—I, Q. XIX, a. 4, corp.
2—C. G., l. III, c. 104.

inveniatur; vel quod unus sensus percipiat objectum ad quod alter propria indole ordinatur; vel insuper quod visus quæ non sunt sibi sub debita luce præsentia nihilominus attingat. Ergo.

d) De factis physiologicis atque *mechanicis* quid pronuntiandum? Iterum repugnat unum et idem naturale agens specie determinatum per quosdam gestus aut solo voluntatis nutu tam varios, imo tam oppositos effectus producere, v. g. curare morbos diversissimos, necnon indifferenter attrahere vel repellere eamdem rem vel personam. Quæ quum ita sint, inferendum superest hypothesim alicujus fluidi, quovis nomine appelletur, omni solido fundamento carere.

Nec 3um *medium*, scil. *suggestio* ad quam plerique moderni recurrunt, clavem præbere potest plerorumque phænomenorum hypnoticorum[1].

Etenim 1º secundum *naturæ* et *Providentiæ cursum* admittenda non est causa, etiam humana, adeo potens et arbitraria ut, pro lubitu, cunctas fere tum psychologiæ tum physiologiæ leges mutet atque subvertat. Porro suggestio, cui vis hypnotica tribuitur, hujusmodi esset.—Neque assimilari potest, ut adversarii volunt, suggestionibus *a magistro* vel consiliario factis: istæ enim humano modo agunt, non autem totam rationalis creaturæ œconomiam immutant.

2º Ut referunt, *a)* sola vox "dormito" quandoque sufficit ad subito inducendum profundissimum somnum, e quo etiam solus hypnotizatoris flatus eruit; pariter *b)* hypnotizati consensus, etiam sine ullo imaginationis conatu, solus requiritur ut statim in toto esse humano commotio et subversio vehementissima sequatur. Hæc autem et similia, ad *modum* hypnotizandi spectantia, suggestionis vim prætergrediuntur.

3º Præcipuis hypnotismi *effectibus in specie* consideratis, idipsum affirmandum est. Sane *a)* imprimis suggestio hypnotica nihil commune vel proportionatum habet cum phænomenis intellectualibus supra recensitis: hæc enim transcendunt vel absolute vel relative intellectum humanum. — Præterea *b)* quod homo *in statu vigiliæ*, pluribus jam elapsis diebus, imo et mensibus post hypnotizationem, cogatur exequi statuto

1—Cf. Franco, *La nouvelle théorie de la suggestion.*

tempore varios actus, v. g. furtum vel homicidium, sibi ab hypnotizante suggestos, libertati humanæ omnino repugnat. —Item *c)* suggestio agere censetur mediante præsertim imaginatione, cui obediat nervorum sensibilitas. Jam vero cæca et indomita vis, qualis est imaginatio, non potest agendo conventionalem seu *intelligibilem* ordinem adamussim servare multoque minus efficere ut ille ordo in nervorum motu servetur: unde etsi, post factam ab hypnotizante suggestionem, commota parte sensitiva, sanguinis guttæ in corpore erumperent, non ideo tamen manifestum esset quare hoc phænomenon, designata hora, in certis membrorum spatiis atque juxta quasdam litterarum figuras ordinatissime prodiret.—*d)* Alia etiam facta tum moralia tum sensitiva ac dynamica nequeunt ex suggestione derivari, verum postulant causam homine superiorem.

2ª *Pars* concl. probatur, scil. superius illud agens cui tribuenda censemus plurima hypnotismi phænomena esse *dæmonem* [1].

1º *Ab extrinseco.—a)* Portentosa enim opera, quæ insolito more et nimiâ frequentiâ tot mentes hodie seducunt, apprime coincidunt cum invalescente temporum nequitia atque tristi quadam paganismi renovatione.—Hinc *b)* qui acrius sive utilitatem sive liceitatem hypnotismi seu magnetismi defensant materialisticis plerumque doctrinis addicti conspiciuntur.

2º *Ab intrinseco* et ex *effectuum natura.*—Non videtur esse intellectus bene dispositi præstare patrocinium iis quæ contraria sunt religioni, morum honestati necnon dignitati humanæ. Jamvero, quamvis hypnotismus aliquem hominibus profectum afferat in bonis inferioribus, v. g. in furtorum inventione aut etiam in aliquali corporum sanatione (quam tamen non raro gravior jactura, ut amentia, sequitur), plerisque in casibus *religiosa* et *moralia damna* ex illo fonte dimanant.

Sane *a)* quandoque somnambuli magnetici vel hypnotici quidpiam effutiunt vel contra veritatem catholicæ *religionis* vel contra aliquod dogma in specie, v. g. de æternitate pœnarum.—Inde quoque ansa sumitur detrahendi auctoritati miraculorum, maxime quod attinet ad sacra stigmata vel sanctorum extases.

1—Cf. C. G., l. III, c. 106.

b) Non solum a gestibus inverecundis *morale* malum timendum est, verum etiam a maleficiis amatoriis multisque impudicitiis [1] quas sæpe perpetratas esse auctores testantur.—Insuper nemo est qui non perspiciat quam periculosa atque injuriosa nostræ sit speciei praxis illa rerum hypnoticarum quâ rationis voluntatisque humanæ *dignitas* tota committitur cujusvis hypnotizatoris arbitrio.—Eo usque res devenit ut ipsam *legalem justiam* inficiari hypnotismus cœperit. Quum enim persona hypnotizata omnem moralem sensum amittat, pronum est ut, prætextu inconscii animi, impunitatis janua nefandissimis criminibus aperiatur.

3° Placet eamdem conclusionem *auctoritate Ecclesiæ* [2] confirmare. Jam enim notavimus magnetismum inter et hypnotismum, annuentibus hujusce artis cultoribus, non aliam nisi nominalem vel accidentalem differentiam intercedere. Porro licet Ecclesia minime prohibeat quemdam magnetismi usum, prout nempe hic importat " merum actum adhibendi media physica aliunde licita " ad naturales effectus producendos (Decret. *S. Officii* 1840 et 1847), ipsa tamen, ex altera parte, (Encycl. *S. Rom. Inquis.* 1856) declarat " novum quoddam superstitionis genus invehi ex phænomenis magneticis, quibus haud scientiis physicis enucleandis, ut par esset, sed decipiendis ac seducendis hominibus student neoterici plures, rati posse occulta, remota ac futura detegi magnetismi arte vel præstigio, præsertim ope mulierecularum quæ unice a magnetizatoris nutu pendent. In hisce omnibus, quacumque demum utantur arte vel illusione, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino illicita et hæreticalis et scandalum contra honestatem morum."

Conclusio 2ª.— Conceditur nonnulla facta hypnotica vel certo vel probabiliter naturalem causam per se non excedere; quamvis ea etiam, propter modum quo fiunt, diabolicam actionem interdum prodant.

1ª *Pars* apparet ; nam *a)* fatente ipso D. Thoma [3], mirum est quantum influxum solus oculorum intuitus quandoque

1—Cf. Gury-Ballerini, *Comp. theol. mor.*, Vol. I.
2—Ibid.
3—I, Q. CXVII, a. 3 ad 2.

exerere valeat.—Nec *b)* deneganda est vis [1] memoriæ et imaginationis neque nervorum, morbida præsertim affectione laborantium, stupenda mobilitas, quæ coagentibus causis naturalibus vehementem in modum excitari potest atque insolita facta sensitiva vel physiologica producere.—*c)* Addemus nonnulla in somnambulismo hypnotico haud esse dissimilia ab iis quæ in somnambulismo naturali observamus.

Quare non diffitemur quædam spectantia ad somnum hypnoticum inducendum aut ad sensuum illusiones vel hallucinationes, necnon quosdam suggestionis effectus mirasque nonnullas sanationes naturaliter seu per influxum imaginativum vel nervosum *per se* explicari posse.

2ª *Pars* asserti merito tamen habet adjuncta quandoque talia esse ut etiam in phænomenis hujusce generis dæmonis immixtionem jure suspicaberis.

Etenim 1º etsi facta illa sæpius occurrant in personis morbidæ complexionis, recte dæmon censetur, ad facilius complendos suos effectus, aliis præferre corporibus quæ naturaliter *aptius disposita sunt* [2], puta hysterica.—Eo magis 2º quod ipsius interest animos per dubia quædam *allicere* et " homines assuefacere ad hoc quod ei credatur [3] " celando actionem suam sub velamine quorumdam effectuum naturalium.—3º Plerique hypnotizatores indifferenter se habent ad *omnia* phænomena uno eodemque medio producenda, quorum tamen plura certo a natura non sunt.—4º Phænomena cujusvis generis aliquando taliter fiunt tantaque promptitudine et ordine ut superiori cuidam voluntati obsequi videantur.—5º Denique, in iisdem operibus patrandis, nonnunquam adhibentur signa [4] quæ sacramentalia Ecclesiæ simulant; quasi dæmon divinam quamdam vel divinæ similem sibi potestatem arrogare vellet. Ergo.

Coroll.—Ex his nunc inferre licebit *coronidis* instar duas regulas practicas, quas tamen distinctius proponere provinciæ nostræ limites prætergreditur atque ad moralem theologum pertinet.

1—Ibid. ad 3 (obj. et resp).
2—*De Pot.*, Q. VI, a. 10.
3—II-IIæ, Q. XCV, a. 4, corp.
4—Touroude, *op. cit.*

1ª *Regula:* Quæ opera certo debent dæmonibus tribui *superstitionis* vitio [1] infecta sunt, ideoque nec ea perficere licet nec sinere in seipso perfici.—*a)* Unde Sac. Pœnitentiaria (1841) et S. Rom. Inquisitio (1856) proscripserunt somnambulismi lucidi et *claræ intuitionis* præstigias, nempe detegere morbos, de religione sublimes sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, longinqua videre et alia id genus.—*b)* Illicita etiam, judicio nostro, reputari debent phænomena visionis per corpora opaca, lectionis librorum clausorum, transpositionis sensuum, suggestionis datâ horâ coacte implendæ etiam post longam excitationem a somno, etc.

2ª *Regula:* Quia tamen nihil vetat " adhibere res naturales ad aliquos effectus producendos ad quos *putantur* naturalem habere virtutem, " ut ait S. Thomas [2], hinc licitum erit, semoto ex animo quovis commercio cum dæmone, ea phænomena, sed ipsa sola, experiri quæ rationabiliter judicantur posse a naturali fonte manare ; qualia sunt factum ipsum somni hypnotici, excitationes quædam nervosæ ex quibus speratur sanatio, necnon quidam suggestionis effectus quos multi tenent memoriæ aut phantasiæ vivaciter commotæ esse adscribendos.—Ubi notare est, hisce in casibus, privationem usus rationis nihil mali importare, dummodo id fiat non ex quocumque motivo levi sed *gravi de causa :* quod *a pari* deducitur ex verbis S. Thomæ de ebrietate dicentis [3] : "Cum aliquis multum...bibit secundum consilium medicinæ... non est reputandus superfluus potus. "

Et hæc de Angelis satis dicta fuerint.

1—I-IIæ, Q. XCII, a. 2.
2—II-IIæ, Q. XCVI, a. 2.
3—Ibid., Q. CL, a. 2 ad 3.

DISPUTATIO QUINTA

DE CREATURA CORPORALI

Logica rerum tractatio exigit ut post considerationem spiritualis creaturæ de creatura *mere corporali* agamus, quæ, etsi inferior sit homine, eum tamen ordine temporis antecessit : unde illa debite perspecta, sermo luculentior ad hominem deveniet.—Porro circa corpora aliud est philosophi, aliud vero theologi munus ; siquidem corporalia non spectant ad rem theologicam nisi secundum quod eorum *origo*, descripta in Scripturis una cum hominis ortu, sapientiam Dei creatricem et ordinatricem speciali quadam illustratione declarat.—Quare disputatio hæc tota complebitur per quatuor quæstiones, quarum *prima* erit de ipsa creatione rerum corporalium, *secunda* de modo et communi ordine hujus creationis, *tertia* de tempore, id est de natura dierum Geneseos, *quarta* tandem de errore periculis pleno atque nunc vulgatissimo qui specierum evolutionem tuetur.

QUÆSTIO PRIMA

DE CREATIONE CREATURÆ CORPORALIS

Duo nobis resolvenda occurrunt, nempe an creatura corporalis sit a Deo (art. 1) et an sit facta propter Deum (art. 2).—Quibus discussis, ut notum relinquetur (post dicta de creatione in genere et de angelica actione) Deum non potuisse in prima corporum productione uti ministerio Angelorum neque quoad materiam neque quoad formam.

ARTICULUS I.

Utrum creatura corporalis sit a Deo.

1° Circa hunc titulum nota *a)* moveri dubium de causa *efficiente* rerum corporalium; *b)* licet vero jam egerimus de creatione omnium entium, inclusa materia (Disp. I, Q. I), tamen specialem oriri difficultatem de *corporalibus*, secundum quod variis sub formis existunt atque materialem mundum constituunt.

2° Enimvero *a) Gnostici* [1], quamvis confiterentur Deum creasse Angelos seu Æones, i. e. deos quosdam medios, existimabant orbem hunc visibilem ab illis Æonibus conditum fuisse, quasi tale opus Supremum Ens minime deceret.—*b) Manichæi* (ut alibi jam observatum est) ponebant duo principia, summa, improducta et æterna, Bonum et Malum, quorum prius spiritualium, posterius autem materialium auctorem esse arbitrabantur. Hic error tribuitur etiam *Albigensibus* a S. Dominico expugnatis.—*c)* Denique nemo ignorat nunquam defuisse *impios* homines qui, nescientes physica mundi mala explicare, Deum Deique summam Providentiam insanienti ore blasphemarent.

Conclusio.—OMNIA, ETIAM VISIBILIA ET CORPORALIA, SUNT A DEO.—Id de *fide* est, prouti constat ex dictis de creatione rerum in genere.

Prob. insuper 1° *ex Scriptura* (Ps. CXLV, 4): *Beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus: spes ejus in Domino Deo ipsius, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt.*

2° *Ratione.—Arg.* 1um. Quandocumque in pluribus et diversis invenitur aliquid unum quin ulli eorum per se et essentialiter conveniat, oportet quod illa diversa illud unum accipiant ab aliqua una et exteriori causa. Atqui esse communiter invenitur in omnibus rebus quantumcumque diversis, cum spiritualibus tum corporalibus, quin ulli earum per se et essentialiter insit. Ergo unum esse debet universale

1—Cf. Suarez, Vol. III, *De opere sex dierum*, l. I, c. 1.

principium essendi, quod dicimus Deum. *Minor* est clara. *Major* declaratur; *a)* nam diversa secundum se ad diversa tendunt, non ad unum; unde quod unum est et commune in pluribus effectibus unam et communem causam exspostulat. *b) Conf.* ex inductione; sic enim diversa corpora calida calorem ab igne recipiunt, et unitas certaminis in multis præliantibus ex unitate imperii dependet.

Arg. 2um (ex resp. ad 2). Eatenus corporalia esse non possent a Deo quatenus nec bona in se nec utilia forent. Atqui omnis res corporalis, quamvis a bonitate universali deficiat, nihilominus tamen quoddam est particulare bonum, finem et utilitatem propriam sibi vindicans. Ergo. *Min.* explicatur. Etenim *a)* quidquid est, in quantum participat de actualitate, naturâ suâ bonum est. Verum, quia entia creata particularia sunt seu contracta ad aliquod genus et aliquam speciem, hinc in eis consequitur quædam contrarietas per quam unum alteri adversatur, tametsi utrumque sit in se bonum. Unde nihil est simpliciter malum; sed quod uni quantum ad aliquid nocivum existit vel alteri vel eidem sub alio respectu proficuum est. *Exempla* abundant [1]: ita *sol*, cujus æstus in aliqua mundi parte forte nimius est, ibidem non desinit fovere vitam humanosque labores dirigere, simul vero alibi temperatissimum ardorem emittit. Sic etiam *venenosi serpentes* multaque animalia ferocia, quæ *per accidens* mortem homini inferunt, *per se* plurimæ utilitatis sunt, sive quod destruant alia animalia quorum numerus plus æquo adauctus mundum infestaret, sive quod humano corpori pellibus pretiosis tegendo inserviant. *b)* Nec omittendum est plura mala in peccati originalis *pœnam* contingere quæ secus numquam humanum genus experiretur, eaque etiam per modum probationis spiritualem quamdam *medicinam* offerre.

Solv. obj.—OBJ. 1.—Apostolus dicit (2 Cor. IV, 4): *Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium.* Atqui hæc verba non de bono Deo, sed de malo principio intelligenda sunt. Ergo.

RESP. *D. M:* Dicitur diabolus *deus hujus sæculi* creationis

1—Cf. *Les leçons de la nature*, par Cousin-Despréaux; necnon *Le Génie du Christianisme*, par Chateaubriand, I P. l. 5.

titulo, *N*; dominatione quadam in eos qui sæculariter vivunt, *C.—C. m.—Neg. conseq.*

Obj. 2.— *Omnia quæ fecit Deus perseverant in æternum* (Eccl. III, 14). Atqui corpora visibilia non sunt in æternum mansura, juxta illud (2 Cor. IV, 18): *Quæ videntur temporalia sunt; quæ autem non videntur æterna.* Ergo.

Resp. *D. M*:...quantum ad aliquid, i.e. saltem secundum materiam, *C*; quantum ad omnia, *N.—C.d.m*: quantum ad omnia, scil. secundum materiam et formam qua nunc constant, *C*; nec saltem secundum materiam, *N.—Neg. conseq.*

Prouti Deus in Scripturis testatus est, creaturæ numquam in nihilum redigentur: id autem de incorruptibilibus, quales sunt Angeli, intelligendum est quantum ad *substantiam*; de corruptibilibus vero, saltem quantum ad *elementum materiale* substantiæ.

Obj. 3.—Id quod est a Deo non retrahit ab eo, sed ducit in ipsum. Atqui corporalia retrahunt a Deo; unde Apostolus monet ne ea contemplemur (2 Cor. IV, 18). Ergo.

Resp. *D. M*:... non retrahit ab eo per se, *C*; neque occasionaliter ex culpa hominis, *N.—C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

1° Creaturæ, quantum est *de se*, non retrahunt a Deo, sed potius in ipsum ducunt, juxta illud (Rom. I, 20): *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*; potest tamen homo eis insipienter uti, nam (Sap. XIV, 11) *creaturæ factæ sunt in muscipulam pedibus insipientium.*—Quod vero 2° illa materialia sic nos infeliciter a Deo abducant, id ipsum demonstrat divinam eorum originem; siquidem nequeunt homines allicere atque seducere nisi secundum aliquid boni in se existens, quod a Deo est.

ARTICULUS II.

Utrum creatura corporalis sit facta propter Dei bonitatem.

1° Meminerit lector eorum quæ diximus (Disp. II) circa singularem *Origenis* opinionem de creatione et fine mundi

materialis, ex qua sequeretur rerum corporalium dispositionem quæ nunc observatur esse a casu.—*Materialistæ et Positivistæ*, Deum negando vel prætermittendo, præcipuum mundi finem ignorare coguntur : imo plerique ad hanc usque absurditatem progressi sunt ut conclamarent "omnes causas finales nihil esse nisi humana figmenta."

2º In hoc articulo, ubi generalem doctrinam de fine creaturarum ad corporalia applicat, S. Doctor brevi quidem at etiam mirifica dicendi ratione describendam assumit perpulchram illam totius universi harmoniam quæ cuncta debito ordine continet et ad debitum finem disponit.

Conclusio.—DIVINA BONITAS, EXTERNE MANIFESTANDA, COMMUNITER QUIDEM EST FINIS ULTIMUS OMNIUM CORPORALIUM, SPECIALITER AUTEM CREATURÆ RATIONALIS.

1º Recolatur illud (Prov. XVI, 4) : *Universa propter semetipsum operatus est Dominus* ; qua in sententia nulla fit distinctio inter spiritualia et corporalia.—Hisce adjungenda sunt pleraque superius asserta (Disp. I, Q. I, a. 4) tum auctoritate tum ratione.

2º Ea in Deum sicut in ultimum finem ordinantur quæ modo suo undecumque concurrunt ad manifestandam divinam gloriam. Atqui hujusmodi sunt omnia corporalia, specialiter autem creaturæ rationales. Ergo. *Prob. min.* per partes.

1ª *Pars min.*—Ex omnibus creaturis universum constituitur sicut totum ex partibus. Jam vero si finem alicujus totius, v. g. hominis, assignare velimus, hæc certo constabunt : *a)* imprimis singulæ partes ordinantur ad suos actus, sicut oculus ad videndum. *b)* Insuper pars ignobilior est propter nobiliorem, sicut sensus propter intellectum, et pulmo in quo renovatur sanguis propter cor. *c)* Præterea omnes partes subordinantur perfectioni totius, sicut materia formæ (partes enim sunt quasi materia compositi). *d)* Tandem totus homo ordinatur ad aliquem finem extrinsecum, nempe ut fruatur Deo. Ergo et eadem partium ordinatio inter se et ad finem tum proximum tum ultimum in universo considerandam se offert : scil. *primo* unaquæque creatura est immediate propter suum actum suamque perfectionem, v. g. sol propter calorem ; *secundo* creaturæ minus nobiles ordinantur ad nobiliores, qua lege videmus omnia quæ infra hominem sunt homini servire vel ad sustentandam vitam vel ad corpus

tegendum atque ornandum vel ad recreandum animum vel maxime ad perficiendum intellectum; *tertio* creaturæ tum inferiores tum superiores *proxime* ordinantur in bonum et complementum totius universi; *ulterius* vero totum universum cum singulis suis partibus ordinatur in Deum sicut in finem *ultimum:* quod quidem dupliciter intelligitur, *uno* modo in quantum creaturæ per quamdam imitationem divini esse perfectionem ejus ostendunt, *alio* modo in quantum perfectus ordo quo constant ordinatricem Dei sapientiam apertissime commonstrat.

2ª *Pars minoris* manifesta est: siquidem creaturæ rationales id speciale præ aliis secumferunt quod non solum in *essendo,* sed etiam in *operando,* videlicet cognitione sua suoque amore, attingere Deum possunt.

Ex hoc 1º apparet quam apte distingui soleant illi *duo libri,* scil. *Scripturæ* et *naturæ,* quorum uterque conceptus divini Auctoris propria et eloquenti oratione promit.

Hos autem 2º apertos omnibus libros legere nesciunt vel magis nolunt quicumque negant in mundo dari *causas finales.* Quid absurdius? *a)* Profecto idem est ac negare vel Dei existentiam vel Dei Providentiam conservantem atque gubernantem quæ ipse constituit, dum tamen concedere debent rationale agens agere propter finem. *b)* Ceterum effectus sine causa non datur, nec proinde ordo sine ordinante ex fine aliquo sibi præstituto. Igitur præclara illa harmonia quæ in toto universo atque in singulis ejus partibus viget necessario postulat causam intelligentem, cujus propriissima dos et attributum dicenda est finalitas.

Solv. obj.—OBJ. 1.—Quæ sunt creata propter suum esse non habent Deum ut finem. Atqui *creavit Deus ut essent omnia* (Sap. I, 14). Ergo.

RESP. *D. M*:...ut finem intrinsecum, *C*; ut finem extrinsecum, *N*.—*C. d. m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

OBJ. 2.—Quod est magis bonum in rebus est finis minus boni. Atqui creatura spiritualis comparatur ad corporalem sicut majus bonum ad minus. Ergo creatura corporalis est propter spiritualem et non propter Deum.

RESP. *D. M*:...est finis proximus, *C*; remotus et ultimus, *N*.—*C. d. m.*—*Neg. conseq.*

QUÆSTIO SECUNDA

DE COMMUNI ORDINE A DEO SERVATO IN REBUS CREANDIS

1° Duce Angelico, solent doctores tria opera in origine rerum commemorare, scil. opus *creationis, distinctionis* et *ornatus*, secundum quod enarravit Moyses.—Quamvis autem tractatio hæc proprius ad expositores S. Scripturæ pertineat, dogmaticorum tamen interest eam non totaliter prætermittere, verum sub generali quodam conspectu ea exhibere quæ manifestius Creatoris gloriam demonstrant.—S. Thomas hac in parte (nempe a Quæst. LXVI usque ad LXXIV), exceptis nonnullis quæ antiquatam physicam redolent, plura jacit principia utilissima pluraque edocet modernis scientiis apprime conformia. Pauca seligentur ex quibus quisque judicare poterit quam recte et quam sapienter mundum a se conditum Deus formaverit distinguendo ornandoque.

2° Igitur summum totius quæstionis *principium* summaque veluti conclusio ita enuntiari potest : *Opera quæ perfecit Deus in mundi origine præclarissimum exhibent divinæ sapientiæ testimonium, secundum quod apte dividuntur in opus creationis, opus distinctionis et opus ornatus*; quæ divisio deprompta videtur ex analysi Gen. cap. I, necnon ex verbis cap. II, 1 : *Igitur perfecti sunt cœli et terra et omnis ornatus eorum*, atque non immerito theologis probatur.

Siquidem *a)* mundus, quippe qui confectus secundum *divinæ artis leges*, optime comparatur ædificio cuidam spatiosissimo in quo creationis rex et caput, scil. homo, velut in propria sede moratur. Atqui in omni ædificio artificiose exstructo considerare est, primum compaginem, dein varias ædes, tandem debitos singularum partium ornatus. Ergo congruum erat primæ rerum productioni ut a summo Artifice Deo similis dispositio observaretur.

Item *b)* corporalis creatio in medium educenda atque explicanda erat eo modo quem *physicæ* et *biologicæ leges*, sui-

Ordinatore supremo, exigere viderentur. Jam vero tria opera, quæ cum D. Thoma ex ipsa mente Moysis modo distinximus, juxta normam illam perfecta fuisse, manifesta inductio ostendit : singula perpendamus.

ARTICULUS I.

De opere creationis in ordine ad distinctionem.

(GEN. I, 1-2 ; S. TH. I, Q. LXVI)

Pauca rem expedient.

1º Duo *juxta fidem* certissime constant : scil. *a)* Deum in principio temporis creasse cœlum et terram ; *b)* mundi autem elementa prius fuisse informia quam formarentur, saltem prioritate naturæ.

2º *a) Veteres doctores*, exponentes prima Geneseos verba, communius ponebant *quatuor* primo esse creata : nempe naturam angelicam, cœlum empyreum veluti gloriosam Angelorum sedem, materiam corporalem informem et tempus quod motum sequitur.—*Petavii* vero sententia [1] est, per *cœlum* et *terram* intelligendam esse adspectabilem rerum universitatem quæ tum cœlestia tum inferiora corpora generali effato complectatur.

b) Quonam autem sensu in illo ineuntium rerum exordio materia fuerit *informis*, explicat S. Thomas (Q. LXVI, a. 1) : non quasi exstiterit omnino sine forma, quod impossibile est ; neque quod exstiterit sub aliqua forma communi : sequeretur enim omnes posteriores formas fuisse accidentales ; sed quia deerat formositas et decor qui nunc in creaturis corporeis effulget. Carebat enim aer pulchritudine lucis : unde dicitur quod *tenebræ erant super faciem abyssi* ; carebat terra, aquis cooperta, corporali aspectu : unde erat *inanis* seu *invisibilis* ; carebat insuper ornatu herbarum et plantarum, propter quod dicitur fuisse *vacua*.

1—*De opificio sex dierum*, l. I, c. 2.

3° *a)* Ex his comperitur neque Scripturæ verba neque Patrum et Doctorum commenta repugnare *hypothesibus* quas moderni in explicando systemate mundi planetaris et in quæstione de antiquitate terræ proponunt. Notatu digna sunt quæ docet *Angelicus* (Q. *cit.* a. 1 ad 1) : " Si secundum alios sanctos informitas *tempore* præcessit formationem materiæ, non fuit hoc ex impotentia Dei sed ex ejus *sapientia* ut ordo servaretur in rerum conditione, dum ex imperfecto ad perfectum adducerentur." Ubi duo accipiamus : *primum*, plures sanctos temporis spatium agnovisse inter ipsam creationem et opus distinctionis, " quod intervallum quantum fuerit nulla divinatio assequi potest ". (Petavius, *l. cit.* c. 10) ; *aliud*, quod sapientiæ divinæ consentaneum fuerit mundum gradatim de informi statu ad perfectionem propriam deducere.

b) Doctiss. *Satolli* [1], postquam retulerat opinionem Aristotelis et omnium fere Scholasticorum de diversitate materiæ inter corpora terrena et corpora cœlestia, modernam hypothesim [2] *de formatione systematis planetaris* probando ita describit : " Profecto, inquit, nunc pleræque analogiæ agnoscuntur inter superiora et inferiora corpora, attractionis universalis, lucis et colorum, affinitatum etc., ita ut *probabilior* videatur sententia a Deo primum ex nihilo unam veluti immensæ incompositæque magnitudinis substantiam corpoream eductam, impressa vi motuque in seipsam circulari. Cum tamen ex Summi Agentis intentione jam disposita esset rudis indigestaque moles ut in plura solveretur, contigit ut multiplicata corpora ex primævo motu circumducerentur proportionaliter in ellipsium orbes juxta consecutas leges ex vi attractionis universæ ac veluti si cierentur virtute composita ex duabus quas centrifugam et centripetam vocant. Hæ sunt leges quæ a Keplero inventore nomen habent et optime consonant doctrinis metaphysicis systemati Aristoteleo fultis ".

c) De ætate terræ breviter advertam [3], ex una parte Scripturam liberum campum supputationibus relinquere, ex alia vero plura exspostulare mundi originem valde antiquiorem

1—*Prælectiones*, Vol. III, Disp. III, lect. 6.
2—Cf. *Les hypothèses cosmogoniques*, par C. Wolf.
3—Cf. *Les livres saints et la critique rationaliste*, par Vigouroux, t. III, Sect. III, ch. 2.

quam olim reputatum est. Id quidem exigunt non solum recentiora systemata circa formationem mundi, verum etiam strata telluris præsertim carbonifera atque cretacea quæ nonnisi ingenti annorum et sæculorum spatio superinduci potuerunt.

ARTICULUS II.

De opere distinctionis.

(GEN. I, 3-13 ; S. TH. I, Q. LXVII–LXIX)

Hoc opus perfectum exhibetur intra tres primos dies.

1ª **Die:** *divisa est lux a tenebris.*

Quid sit in se lux et qua de causa ab initio recenseatur, quum tamen sol quarta tantum die factus dicatur, inquirere propositum est.

1º Quidam veteres, quos S. Thomas refellit, existimarunt lucem esse corpus, et his adjungendi sunt qui recentius in medium protulerunt theoriam *emissionum* juxta quam lux reponenda foret in fluido quodam materiali ex atomis luminosis composito.—Verum hæc theoria jamjam derelicta est aliaque inducta quam vocant *undulationum ;* scilicet, ut volunt non pauci physici, lux, calor, electricitas, etc., aliud essentialiter non essent quam varii modi vibrationum corporalium seu diversæ pro diversis vibrantium corporum motibus modificationes ac undulationes ejusdem medii, nimirum ætheris.—Merito post S. Thomam alii etiam plures nomineque insignes cum physici tum philosophi, hanc hypothesim uti falsam vel saltem insufficientem rejicientes, lucem esse docent *qualitatem activam* seu vim ac energiam solis vel cujuscumque alterius corporis lucentis, agentem per motus vibratorios, subjectam conditionibus spatii et temporis ideoque legibus physico - mathematicis quas periti statuunt, eamque idcirco essentialiter differre ab aliis qualitatibus

activis quas calorem, electricitatem etc, dicimus [1]. Veritas hujus sententiæ (ut plura omittam) comprobatur *a) metaphysice* et per analogiam, ex eo quod optime concordat cum doctrina de substantiis immaterialibus quæ mediantibus qualitatibus activis effectus suos producunt; *b) psychologice* autem, quia specifica sensationum diversitas causas proprias *specifice* diversas postulat. Neque enim facile intellectu foret quo pacto undulationes ejusdem medii pro tali vel tali velocitate aut amplitudine esse possent modo luminosæ, modo caloriferæ, nisi supponamus vim quamdam excitantem formaliter diversam, cujus energia per motum localem veluti per quoddam necessarium vehiculum deferatur atque per eumdem data et fixa proportione mensuretur.

2° Ideo lux a tenebris distincta primo die refertur, quia *a)* imprimis est commune quoddam agens [2], calori etiam intime sociatum, cui tum superiora tum inferiora corpora subsunt. In operatione autem sicut in cognitione a communioribus ad magis particularia proceditur. Insuper *b)* omnia manifestantur per lucem, ex qua dies rationem distinctionis accipiunt.

3° *Increduli* perperam Scripturas contradictionis insimulant [3], eo quod lux primo die facta fuisse dicatur, sol vero die quarto, velut si lux diurna sine sole esse possit.—Nam *a)* dubium hoc jampridem *Angelicus* ipse dissipaverat, dicendo [4] solem cum luce ab exordio creatum fuisse, quod gravitationis lex verisimiliter requirebat, sed in statu informi: tunc enim astra nondum poterant plenam suam lucem terræ ostendere, maxime ob densam vaporum caliginem et heterogeneas substantias opacas quibus terra involuta erat. Quapropter quarto die sol et astra non proprie creata sunt, sed potius *revelata*.—Hinc *b)* etiam, sole jam exstante, poterat tunc ex

1—Cf. inter alios Satolli, *L'Accadem. Rom. di S. Tom.* Vol. IV, p. 346-349.—Lorenzelli, *Philos. theoret. instit.* Vol. II, *Psychol. sensit.* lect. 2; Opuscul. *Le sensazioni e i sensibili*, cap. 3, necnon *L'Accad. Rom. di S. Tom.* Vol. II, p. 314-320.—De Maria, *Philos. peripat. scholast., Cosmolog.* Tract. I, Q. IV, a. 3. Hi enim perillustres philosophi rem, de qua obiter heic theologus, dilucide pertractant atque præcipuas adversariorum objectiones egregie solvunt.

2—Cf. A. Nicolas, *Etudes philosophiques sur le Christianisme*, V. I. l. II, ch. 2.

3—Cf. Ubaldi, *Introd. in S. Script.*, Vol. I. p. 692.

4—I, Q. LXII, a. 4 ad 2.

motu rotatorio telluris diurnum et nocturnum tempus distingui, quamvis diurna lux minus clara atque per caliginem tantum appareret.

2ª **Dic:** *fecit Deus firmamentum divisitque aquas quæ erant sub firmamento ab his quæ erant supra firmamentum.*

1º Hoc alterum distinctionis opus, per quod Deus exhibetur mundum inanimatum gradatim elaborans, non una eademque ratione ab interpretibus intelligitur. *Duæ* autem *opiniones* probabiliores videntur.—*a) Prima* est quæ tenet nomine firmamenti significari cœlum sidereum, quatenus cœlum illud, jam ab initio substantialiter conditum, quamdam formationem secunda die induerit. Juxta hanc hypothesim, aquæ superiores dicerentur fuisse ab inferioribus divisæ eo sensu quod astra adhuc informia, quæ vel aqua vel aquosis nubibus abundarent, specialem habitudinem ad planetam nostram, aquis etiam coopertam, ex Dei et naturæ lege accepissent.—*b) Verior* forsan habebitur *secunda opinio* quæ docet firmamentum esse non quidem aliquid solidum (quod rationalistæ falso Moysi tribuunt), sed vel aeris spatium in quo nubes condensantur, vel ipsam atmospheram terræ vicinam quæ jure appellatur firmamentum, aquas ab aquis dividens; nam revera aer suo pondere suaque vi expansiva ex una parte aquas terrestres suis in locis continet, ex alia autem aquas cœlestes, i.e. vapores aqueos et nubes quæ postea in pluviam concrescunt, sustentat et firmat ne in terram decidant.

2º Opus hoc, sicuti præcedens, necessarium erat ad communem ordinem universi necnon ad parandum locum vegetalibus quæ sine luce, calore et humiditate progigni nequeunt.

3ª **Dic:** *maria distincta sunt a terra, ita ut hæc appareret arida et plantas germinaret.*

Duplex informitas circa terram in Gen. describitur: una quod erat *inanis* seu invisibilis, utpote aquis involuta; alia quod erat *vacua* seu incomposita, non habens debitum decorem qui terræ acquiritur ex plantis eam quodammodo vestientibus. Utramque igitur terræ informitatem tertia die remotam esse convenienter narratur.

1º Referuntur *congregationes aquarum*, vel quod terra aliquas partes concavas præbuerit quibus confluentes aquæ

reciperentur, vel quatenus sol, Deo providente juxta illud (Job, XXXVIII, 10) : *Circumdedi mare terminis meis*, terras desiccaverit vapores elevans.

2° Quoad *plantas* quarum productio hac die recensetur, plura notanda sunt.—*a)* Cum ipsis enim apparet primus vitæ gradus : siquidem plantæ vivunt, vegetativa anima præditæ. *b)* Præmittuntur animalibus, quia necessariæ sunt ad eorum victum et ad spirabilem aerem procreandum. *c)* Gradatio quædam in Mosaica descriptione servatur de imperfectis ad perfectiora, quod conforme est geologicis inventis.[1] *d)* Disputatur inter Patres et Doctores an vegetalia fuerint originaliter producta *in semine* tantum vel *in actu*. Primum nobis probabilius videtur, tum quia Genesis dicit (II, 4) Deum fecisse *omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis antequam germinaret*, tum quia id melius communi naturæ processui convenit.

3° Nec miremur plantas et arbores *ante solis productionem* creatas referri, cum aliunde constet lucis solaris actionem ad vegetationem prorsus esse necessariam. *a)* Recolendum est enim quod supra diximus, solem nempe substantialiter ab initio exstitisse, ita ut ejus radii aliquem sufficientem influxum in plantas exercere possent, quamvis aperta facie nondum revelaretur. *b)* Certe (notat Ubaldi) non exigua diversitas apparet inter species fossiles illius ætatis et vegetalia quæ nunc in terra crescunt. Conditio atmospheræ multo magis vegetationi favebat, fortasse ob exorbitantem copiam acidi carbonici, quemadmodum doctissimi quidam auctores conjiciunt, quæ etiam explicant absentiam superiorum animalium, sc. ob aerem nondum respirationi idoneum ; quare tanta non erat necessitas actionis solaris. Cæterum *c)* nonne extra solis radios, in densa silvarum caligine, sæpe nunc etiam plantæ crescere et vivere conspiciuntur ?

1—Cf. Vigouroux, *Les livres saints* etc., t. III (éd. 4), p. 257-258.





ARTICULUS III.

De opere ornatus.

(GEN. I, 14-31; S. TH. I, Q. LXX-LXXII)

Ea ad ornatum mundi pertinent quæ sive in cœlo sive in aqua et in terra addunt elementis jam in se perfectis extrinsecum quemdam decorem. Opus illud tres sequentes dies complectitur.

4ª **Die:** *fecit Deus duo luminaria magna: majus, ut præesset diei; minus, ut præesset nocti; et stellas.*

1° Novimus hic non agi de productione astrorum, sed magis de nova manifestatione atque determinata quadam habitudine ad proprios et speciales effectus, ita ut verbum Scripturæ *fiant luminaria* sibi velit: "Astra jam exstantia fiant lucida in actu perfectæ illuminationis." Ita S. Thomas et cum eo plerique interpretes.

2° *Luna* cum sole exhibetur velut luminare *magnum* non tam quantitate quam efficacia et specie; nam etsi aliæ stellæ sint mole majores quam luna, tamen effectus lunæ magis sentitur in istis inferioribus et etiam secundum sensum major apparet (I, Q. LXX, a. 1 ad 5).

3° Moyses, quum præmittat astra animalibus, illa considerat maxime secundum quod facta sunt ad utilitatem nobiliorum entium, præsertim hominum. Triplex autem (ut ipsa Genesis habet et S. Thomas explicat) astrorum *utilitas* invenitur. *Prima* est quantum ad visum directivum in operibus et ad cognoscendum maxime utilem; unde dicitur: *ut luceant in firmamento et illuminent terram. Secunda* est quantum ad vicissitudines temporum quibus et fastidium tollitur, et valetudo conservatur, et necessaria victui oriuntur: quæ non haberentur, si semper esset aut æstas aut hyems; et ideo Moyses dicit: *ut sint in tempora et dies et annos. Tertia* est quantum ad opportunitatem negotiorum et operum, secundum quod ex luminaribus cœli accipitur significatio pluviosi temporis vel sereni, quæ sunt apta diversis negotiis; unde dicitur: *ut sint in signa.*

5ª **Die :** *describitur apparitio piscium, reptilium atque volatilium.*—En secundus vitæ gradus, scil. sensitivus. Tria notatione digna sunt.

1º *a)* Fac distinguas in animalium productione duplex principium, *passivum et activum.* Activum principium in naturali generatione est virtus formativa seu semen ; passivum vero debita materia. In prima autem rerum institutione principium activum fuit Verbum Dei quod de materia elementari produxit animalia, vel actualiter, vel potentialiter, ut ponebat Augustinus. *b)* Qua in hypothesi Augustiniana, non ipsa terra neque aqua *per se* virtute generatrice polleret, sed vitæ apparitio adscribenda foret *virtuti divinitus elementis datæ* quæ cooperante Deo atque faventibus primitivis illis naturæ conditionibus sese explicuisset. *c)* Ex hoc quoque intelligi poterit quare pleræque animalium species novæ habeantur, dum aliæ a principio institutæ amplius non sint.

2º *Increduli* ut absurdum habent quod volucres ex aquis produci dicantur (Gen. I, 20).—Verum *a)* respondemus quosdam textum sacrum ita reddere : *et aves volitent super terram.* *b)* Alii cum D. Thoma (Q. LXXI, a. un. ad 3) nomine aquarum intelligunt tum aquas ipsas unde *pisces* procreatos dicunt, tum viciniam partem aeris, aquæ vaporibus sæpe ingrossatam, in qua solent *aves* volare et ex qua originem duxissent. *c) Communior* tamen explicatio est quæ piscibus et volucribus eumdem ex aquis ortum tribuit. Quid inde ? Nihil certe absurdi sequitur. Quo enim efficacius est aliquod principium, eo minor materiæ dispositio prærequiritur ad formam inducendam. Atqui principium formativum avium fuit Deus. Ergo taliter aquas fecundare potuit ut *materialiter* in volucrum formationem concurrerent.

3º Moyses animalia aquatica et aerea præmittit terrestribus secundum naturæ processum de imperfectis ad magis perfecta ; præmittit etiam aquatica aereis quorum plura piscibus vescuntur ; in ipsis vero aquaticis recensendis gradationem quamdam observat incipiendo ab iis quæ reptant in ima parte aquarum [1] : quæ cuncta Palæontologia confirmat.

6ª **Die :** *refertur productio animalium terrestrium*, inter quæ *homo* propter gradum vitæ rationalis fastigium tenet.

1—Cf. Vigouroux, *op.* et *loc. cit.*

1⁰ Variæ *animalium* classes, sæva, domestica et quæcumque alia, de terra facta esse dicuntur, quatenus terrestre elementum se habuit ut materia quam Dei Verbum, activum principium, per se formavit. Perfectissimus autem vitæ gradus est in homine, ideoque Scriptura eum commemorat non quidem tanquam ab inferiori agente productum, sicut cætera viventia, sed singulariter a Deo creatum.

2⁰ *Homo* non apparet nisi jam perfectis iis omnibus quæ ipsi utilitatem aliquam conferre debent; seu creationis princeps tunc in sede et trono erigitur, quum mundi palatium, a Deo exstructum, secundum debitas partes fuerit distinctum atque multipliciter ornatum.

3⁰ Completo divino opere quoad substantialem universi perfectionem, Deus ab eo *requievisse* dicitur : quod intelligendum est *a)* tum quia cessavit novas condere creaturas, ita tamen ut fœcunditate *benedictionis* suæ creata servaret, regeret et multiplicaret ; *b)* tum quia in seipso, velut in supremo omnium fine, non autem in operibus a se patratis requiem perfectæ beatitudinis invenit : unde *sanctificatio* illa primordialis qua diem septimum sacravit sibi vult omnia, Deo dedicata, ad Deum pertinere et venerabundi cultus religione in ipsum ordinanda esse. (Gen. II, 2-3 ; S. th. I, Q. LXXIII)

QUÆSTIO TERTIA

De indole dierum Mosaicorum

Christianismi osores, quorum consilium est divinæ Scripturarum auctoritati detrahere eamque labefactare, occasionem sumpserunt ex recentioribus Geologiæ et Palæontologiæ inventis ut impeterent Cosmogoniam Mosaicam.

a) Docet enim *Geologia* crustam telluris constare ex variis stratis superpositis, quorum unumquodque non nisi per plura annorum millia efformari potuit; illorum autem stratorum formationem non antecessisse opus sex dierum, sed ei esse coævam demonstrare videtur *Palæontologia* quæ de fossilibus pertractat quæque in iis stratis petrificatas plantarum et animalium reliquias aut diversa eorum vestigia detexit. Quo modo igitur explicari poterit quod Moyses narrat, scil. mundum constitutum esse intra *sex dies?* *b)* Accedit inter fossilia etiam posteriora plures animalium species repertas esse quæ nunc ignotæ prorsus sunt, quin de eis ulla historica mentio occurrat; unde videntur diu ante genus humanum vixisse, dum tamen Moyses animalia terrestria eodem die cum homine creata fuisse refert. Quid dicendum?

Etsi *a priori* pro certo habeamus nullam dari posse realem oppositionem inter verum naturale et verum biblicum, nihilominus gravitas rei postulat ut quæstio ex propriis rationibus solvatur debitaque responsio argumentis, quibus tam sæpe adversarii abusi sunt, adhibeatur.

ARTICULUS UNICUS.

Quonam sensu dies a Moyse descripti intelligendi sint.

(I, Q. LXXIV. a. 2)

Juvabit in antecessum, fundamenti ad instar, *principia* quædam ab Angelico tradita præstituere quorum opportunitas neminem fugiet.

1um principium monet " ut veritas Scripturæ (in hujusmodi quæstionibus) inconcussa teneatur. " (I, Q. LXVIII, a. 1, corp.)

2um ita se habet : " Cum Scriptura divina multipliciter exponi possit, nulli expositioni aliquis ita præcise inhæreat ut si certa ratione constiterit hoc esse falsum quod aliquis sensum Scripturæ esse credebat, id nihilominus asserere præsumat, ne Scriptura ex hoc ab infidelibus derideatur et ne eis via credendi præcludatur. " (Ibid.)

3um sequitur : " Circa mundi principium aliquid est quod ad *substantiam fidei* pertinet, scilicet mundum incepisse creatum, et hoc omnes sancti concorditer dicunt. Quo autem modo et ordine factus sit, non pertinet ad fidem nisi *per accidens*, in quantum in Scriptura traditur, cujus veritatem diversa expositione sancti salvantes diversa tradiderunt. " (II Sent. Dist. XII, Q. 1, a. 2)

Inter systemata proposita ad explicandam Cosmogoniam Mosaicam, alia sunt certo erronea et *damnanda*, alia vero *libera* : de utrisque agemus.

Systemata damnanda.—1° *Quidam* ex *Protestantium* latere [1] tenent (quam in sententiam nonnulli etiam incauti catholici nuperrime concedere visi sunt) [2] inspirationem divinam, Moysi aliisque sacris scriptoribus largitam, posse coarctari ad solas partes *doctrinales* vel cum doctrina necessario connexas ; unde, juxta ipsos, nil mirum si error inveniatur in cæteris partibus, v. g. in Genesiaca creationis historia.

2° *Alii, rationalisticis* principiis imbuti, caput 1um Geneseos explicant methodo *mythica*, ita ut in narratione Moysis

1—Cf. Ubaldi, *op. cit.* Vol. II, p. 27.
2—Cf. *Etudes Religieuses* etc., 1893, Vol. I.

unum tantum historice verum sit, Deum scilicet creasse mundum, reliqua autem ornatus gratiâ excogitata fuisse arbitranda sint.

Utraque positio rejicitur ut falsa, seu ut contraria documentis fidei et supposito erroneo suffulta.—Sane *a)* ex decreto Concilii Trid. (Sess. IV) constat omnes libros utriusque Testamenti *cum omnibus suis partibus* tanquam sacros et canonicos habendos esse. Atqui, juxta declarationem Conc. Vatic. (Sess. III), eatenus ii libri pro sacris et canonicis haberi debent quatenus Spiritu Sancto inspirante exarati sunt. Ergo systemata superius relata conciliari cum Conciliis nequeunt.—Præterea *b)* innituntur *falso supposito.* Supponunt enim non posse, admissa historica veritate Mosaicæ narrationis, rite explicari facta geologica : quod quam alienum sit a sano intellectu Scripturæ et scientiæ mox ex dicendis liquidissime patebit.

Systemata libera.—His verbis designantur illa systemata quæ intra limites orthodoxæ fidei, quamvis non eodem probabilitatis gradu—siquidem quædam sunt omnino improbabilia—sustineri possunt. Ad duas classes maxime revocantur, prouti vel *idealem* vel *litteralem* atque historicum sensum præseferunt.

EXPONUNTUR SYSTEMATA IDEALISTICA.—1um est *S. Augustini* (I, Q. LXXIV, a. 2) qui tenet Deum absque successione omnia creasse ; septem vero dies distingui, quatenus Angeli, quorum cognitio lux quædam est, eadem veritatis notitia virtualiter multiplici perceperint in ipso creationis momento naturalem ordinem rerum creatarum. Nonnulli Patres atque theologi, inter quos Albertus Magnus, Augustinum secuti sunt.

2^a *sententia*, a pluribus modernis proposita [1], docet Moysem voluisse describere, non quidem successionem chronologicam divinorum operum, verum potius *logicum* ordinem divinæ conceptionis (ita Baltzer, Zollmann), aut visionem prophetico-historicam quam ipsi, in ordine mere ideali, per distinctos gradus sex diebus correspondentes affulsisse dicunt. (Ita Kurtz, Michelis, Schäfer, Faye)

1—Cf. Vigouroux, *Les livres saints* etc., t. III, Sect. II, ch. 2, a. 2.

3ª *sententia*, similis præcedentibus in hoc quod relinquit sensum historicum, id proprium habet ut ad sensum *liturgicum* confugiat. Juxta hanc opinionem a R^mo Clifford invectam [1], Moyses in Genesi loco historicæ narrationis hymnum composuit quo, ad avertendum populum a more Ægyptiorum qui dies hebdomadales consecrare solebant soli, lunæ, planetis quasi totidem diis, singuli dies hebdomadæ dicantur memoriæ præcipuorum operum unius Dei Creatoris. Hinc nulla cura de ordine creationis neque de tempore per quod duraverit.

CRITICE EXPENDUNTUR PRÆFATA SYSTEMATA.—Imprimis *systema S. Augustini* vix ulla probabilitate gaudet [2]. Nec enim in Scripturis nec in traditione sufficienter fundatur, præterquamquod positiva obstant dubitandi motiva.

Sane 1° appellant ad verba (Gen. II, 4): *Istæ sunt generationes cæli et terræ, quando creata sunt, in die quo fecit Dominus cælum et terram, et omne virgultum agri antequam oriretur in terra*, quasi unus sit realiter dies in quo Deus omnia perfecerit, terram, plantas, etc. Verum respondemus *a)* virgultum agri creatum fuisse una cum cœlo et terra non in actu, sed antequam oriretur super terram, i. e. in potentia; *b)* insuper vocem *in die* referri ad dies prius a Moyse descriptos proindeque significare potius *in tempore*.—Invocant etiam verba (Eccli. XVIII, 1): *Qui vivit in æternum creavit omnia simul*; quæ tamen dupliciter intelligi possunt: vel *a)* quod Deus omnia simul creaverit quantum ad rerum substantiam quodammodo informem, vel *b)* quia *simul* idem sonat ac pariter, æque, nullo excepto, juxta illud (Ps. XLVIII): *Simul insipiens et stultus peribunt.*

2° Nunquam opinio illa probanda visa est plerisque *Patribus* et *Doctoribus* [3]. Imo ipse S. Augustinus dubitando eam protulit, dicens (4 de Gen. ad litt. c. 28): " Neque enim ita hanc confirmo ut aliam quæ præponenda sit inveniri non posse contendam."

3° *a)* Si sententia de diebus viginti quatuor horarum difficilius nunc sustineri possit, nonne *a fortiori* et illa quæ

1—Cf. De Foville, *Les jours de la semaine et les œuvres de la création.*
2—Cf. S. Thom. *loc. cit.*
3—Cf. Knoll, Vol. II, Sect. I, c. II, a. 2.

docet omnia simul condita fuisse ?—*b)* Sensus obvius totius cap. 1 Gen. importat realem quamdam successionem temporis et dierum, nec ulla urgens ratio cogit ab illo recedere.—*c)* Postremo accedit verisimile non esse quod Moyses, rudem populum alloquens, tam subtilem tamque a captu communi distantem doctrinam proposuerit. [1]

Aliæ sententiæ idealisticæ, qua parte sensum historicum deserunt, non sunt magis probandæ, utpote inutiles et Scripturis parum conformes.—Etenim 1° ad salvandam veritatem Geneseos, nulla est necessitas confugiendi ad sensum idealem, derelicto reali, naturali et obvio, quum præsto sint litterales explicationes omnino efficaces.

2° Contextus (Gen. I et II), sive *absolute* et separatim sumatur, sive *respective* seu in ordine ad reliquum Pentateuchum, realem et historicum sensum postulat.—Nam *a)* verba : *Factumque est vespere et mane, dies unus, dies secundus*, etc, manifeste indicant descripta opera realiter intra singulos dies fuisse perfecta. Illa etiam (cap. II, 2-3) : *Requievit die septimo ab universo opere quod patrarat*, etc, nequeunt rite intelligi nisi supponatur diem septimum revera successisse sex aliis temporis spatiis, per quæ Deus diversa opera complevit.—*b)* Præterea caput I Gen. intime nectitur cum sequentibus in quibus sermo est de primis parentibus etc, etc. Atqui sequentia illa capita certo sunt historica. Ergo caput primum haberi non potest ut mera introductio in veram historiam idealis vel poetica et historico sensu destituta.

3° Nec omittam systemata idealistica arma præbere fidei inimicis seu rationalistis, quorum tam constans cura et studium est Scripturas per mythos explicare.—Hinc etiam perpaucos admodum defensores nacta sunt.—Ad *systema Clifford* in specie quod attinet, novum prorsus est ita ut nullum in traditione sive hebraica sive christiana fulcimentum habeat, neque ullum inveniri queat vestigium liturgicæ illius dedicationis quæ in sacris libris inducitur.

Ergo, quamvis liturgica quædam imo et idealis significatio, secundum rationem sensus mystici vel fecundi, Genesi aptari

1—Cf. I, Q. LXX, a. 1 ad 3.

consequenter possit, maneat tamen sensum fundamentalem textus Mosaici vere esse proprieque historicum.

EXPONUNTUR SENTENTIÆ LITTERALES.—*Litterales* dicimus eas explicationes *quæ sensui historico et reali pressius inhærent*, licet diversimode : tres enim præcipuæ sunt.

1ª *est antiquorum*, communior apud Patres atque Scholasticos, juxta quam vox *dies* intelligenda est pro spatio 24 horarum singulaque Mosaicæ narrationis gesta stricte accipienda.—Hanc sententiam etiam nunc propugnant nonnulli auctores inter quos Bosizio, qui contendit pleraque facta geologica vel palæontologica recentius observata originem ducere a diluvio universali ejusque tam variis tamque profundis perturbationibus [1].

2ª *sententia*, quæ vocari solet *theoria restaurationis*, tria importat, scil. in vers. 1 Gen. c. I tradi originem totius universi, in 2 vers. describi ejus ruinam, in sequentibus autem non proprie creationem sed magis collapsi mundi restaurationem enarrari. Inter primam et secundam rerum institutionem amplissimum temporis intervallum ponitur in quo multa plantarum et animalium genera variis casibus vixere atque periere, donec advenerit finalis catastropha, cui posthac restitutio in novum statum successit. Ita Wiseman, Buckland aliique.

3ª denique subit *sententia de diebus-periodis*, quam etiam nomine *Concordismi* appellant. Hæc in eo sita est quod dies apud Moysem accipiendi sunt non pro spatiis 24 horarum, sed pro diuturnis atque indeterminatis epochis.—Inter fautores hujus systematis a modernis communius recepti, alii *strictiorem* et usque in minimis, alii *latiorem* atque generaliorem tantum concordiam inter Moysem et scientias experimentales quærendam esse autumant.

EXPENDUNTUR SENTENTIÆ SUPRA RECITATÆ.—*Sententia antiquorum de diebus solaribus*, quamvis nunc nuper probabilis adhuc declarata fuerit a nonnullis theologis etiam clarissimis uti Ubaldi, Mazzella etc, in plures tamen et gravissimas difficultates offendit.

Rationes ad quas provocant illi theologi sequentes sunt : 1º sensus magis obvius verborum Geneseos *dies, factumque*

1—Cf. *La scienza italiana*, an. 1878 et 1879.

est vespere et mane dies unus; 2° consensus communior Patrum et Doctorum, quin ullum efficax argumentum in contrarium adduci queat. Nam (aiunt) 3° quæ ex Geologia aut Palæontologia afferri solent minime rem conficiunt. Sane *ex una parte* nil prohibet quin dicamus Deum immediate mundum condidisse in illo geologicæ perfectionis statu qui antecessit creationem hominis ; *ex altera* vero distinguenda sunt summa quædam Geologiæ principia, fundamentalia et certa, ab ultimis et particularibus conclusionibus plerumque incertis. *Certum* quidem est telluris crustam ex variis stratis esse compositam ; strata ista a diversis causis, præsertim ab igneis et vulcanicis viribus, necnon a sedimentis seu alluvialibus depositionibus formata fuisse ; plurimas entium organicorum reliquias in illis reperiri et hoc cum aliqua distinctione et progressivo ordine. Qua autem ætate hoc vel illud stratum formari inceperit, quantum temporis in ejus formatione elapsum fuerit, ad quam epocham hoc vel illud fossile pertineat, *incertum* plerumque est. Hujus incertitudinis *a) testes* existunt ipsi geologi tum verbis tum facto : *verbis*, quando cum Haugton (Manual. Geol. lect. 4) asserunt : " Quoad ætatem absolutam (in Geologia) parum vel nihil certitudinis habemus ; " *facto*, quum vix conveniant in determinanda epocha relativa stratorum et fossilium, in assignanda autem ætate absoluta plerumque inter se maxime discordent. Ex. gr. Lyell, ætatem supputans deltæ Mississipi fluminis ejus formationi assignaverat 100,000 annorum ; verum geologi americani, accuratiori examine instituto, demonstrarunt non posse hunc calculum ultra 4,400 annos extendi. (Vid. plura apud Ubaldi). [1] *b) Causæ* autem harum incertitudinum et errorum multæ sunt, et præsertim duæ : *prima* ducitur ex difficultate observationum quæ Geologiæ basim constituunt quæque tamen pluribus in locis vel ægre vel nullo modo fieri possunt. Neque dicatur huic defectui suppleri per inductionem sumptam ex uniformitate virium naturalium. Nam—et hæc est *secunda* causa erroris—falso supponitur vires naturales semper fuisse in iisdem conditionibus ita ut semper eadem lege suos effectus producerent. Quis enim non

1—*Op. cit.*, Vol. I.

videat sedimenta v. g. multo promptius efformari potuisse antiquo quam hodierno ævo ? Siquidem tum propter paludes et silvas numerosiores tum propter maria et flumina nunc exsiccata pluviæ erant frequentissimæ atque copiosissimæ proindeque major alluvialis actio. Maxime autem attendendum est ad *causas violentas* et perturbatrices quæ ordinarium formationum processum accelerare vel utcumque immutare potuerunt ; scil. ad terræmotus quos omnes concedunt in primis ætatibus fuisse frequentiores, ad phænomena ascensionis et depressionis terrarum nunc etiam non omnino insueta, præsertim vero ad factum diluvii universalis quod nonnulli dicunt cessasse quidem in Armenia post aliquot menses vel annum, longius autem perdurasse in imis terræ partibus.—Præterea notatum est quibusdam in locis, faventibus circumstantiis, non solum varias sedimentorum formationes sed etiam petrificationes vegetalium et animalium necnon chrystallizationes [1] brevissimo temporis intervallo *recentius* fieri potuisse. Ergo etc.

Nihilominus fatendum est sententiam illam litteralem antiquam *plerisque modernis improbabilem videri.*

Nam 1° negant [2] posse geologicum mundi statum explicari per creationem immediatam. Quis enim credat strata terrestria, quorum originem sedimentariam esse tot vestigia testantur, non esse sedimenta sed immediata Dei opera, aut vegetalia atque animalia quæ in iis per modum fossilium reperiuntur creata esse emortua, aut etiam species et genera viventium quæ ad inferiores formationes pertinent quin in superioribus unquam appareant minime exstitisse ? Hæc sane repugnant.—2° Si quis dicat pleraque facta geologica potuisse compleri ante sex dies, palæontologica autem post creationem hominis, respondendum est ex ore unanimi geologorum fossilia certo esse, saltem plerumque, coæva stratis in quibus deprehenduntur, speciatim autem strata *carbonifera* quæ ex residuis plantarum atque *cretacea* quæ ex animalculis fere infinities multiplicatis coaluerunt, propter nimiam profunditatem qua gaudent, longe majorem annorum seriem exigere quam ferat hominis ætas [3].

1—Cf. Mazzella, *op. cit.* Disp. I, art. 10.
2—Cf. Vigouroux, *op. cit.* t. III, Sect. II, ch. 2, a. 2.
3—Cf. Vigouroux, *ibid.* p. 442–450.

Cuinam disputationis parti faveat veritas, lector ipse judicet.

Theoria restaurationis. — Ingeniosa magis quam vera nobis hæc sententia videtur ; quæ non solum traditionis suffragio penitus destituitur, verum etiam, ut Pianciani demonstrat [1], plurimis impeditur difficultatibus.

" In hac sententia, inquit, quæ ab Ecclesia toleratur, illud 1º est incommodi quod nimis separatur versus secundus a primo. *Creavit cœlum et terram* (v. 1) ; *terra autem erat inanis et vacua* (v. 2). Videntur hic res sibi proxime succedentes et prima terræ facies describi, non vero status ad quem post multa sæcula et plurimas vicissitudines terra reciderit.—2º Duriusculum autem mihi est ponere, lucem fuisse ante Dei vocem : *sit lux ;* stirpes et animalia, antequam Deus diceret : *germinet terra herbam... producant aquæ reptile...*—Præterea 3º minus verisimile videtur, Deum tellurem creatam et ita ornatam vitaque plenam destruxisse, licet mediantibus causis secundis, antequam hominem faceret qui eum cognoscere ejusque opera contemplari posset.—4º Nec apparet, si dies Mosaicos faciunt 24 horarum, cur Deus mundum illum antiquum, qui ante hominem deletus est, tam diuturna molitione et legibus naturæ operantibus perfecerit, hunc vero, quem nobis concessit, tam cito atque una sua omnipotenti virtute refecerit."

Sententia de diebus-periodis.—Ordine postrema, hæc sententia pondere potior atque cunctis aliis *probabilior* dicenda est, dummodo non stricto sed *latiori sensu* intelligatur.

Prob. 1ª *pars* asserti ex eo quod sententia illa nec Scripturæ, nec traditioni repugnat, apprime vero concordat cum Cosmogoniis priscarum gentium atque modernis scientiarum inventis.

Et 1º *non repugnat Scripturæ.* — *a)* Vox enim *dies* in Sacris Litteris, imo in ipsis primis capitibus Geneseos, plures ac præsertim tres significationes habet: sumitur pro tempore lucis (Gen. I, 14), pro die civili 24 horarum (VII, 10), etiam pro temporis periodo (II, 4-5) ubi dicitur : *Istæ sunt generationes cœli et terræ, quando creata sunt in die quo fecit Dominus Deus cœlum et terram,et omne virgultum agri*

1—*In hist. creat. Mosaic. commentatio.*

etc; unde *S. August.* (l. 2 de Gen. c. Manich. c. 3): "Cujus diei nomine *omne tempus* significari bene intelligitur." Locus analogus invenitur (Num. VII, 84). Pluribus etiam in locis evidens est vocem *dies* eodem sensu usurpari, quatenus scil. indicat vel epocham calamitatis et luctus vel tempus regni Dei et salutis.—*Conf.* quia (ut advertit eruditus Vigouroux) in hebraico sermone una tantum est vox, *yóm*, cujus sit significare tum diem solarem tum epocham indeterminatam.—Insuper "dies septimus sine vespere est neque habet occasum" (Aug. Conf. XIII, 36) seu spatium indefinitum temporis designat: ergo idipsum de aliis diebus dici potest.

b) Neque objiciatur in præsenti re sensum diei civilis determinari ex vocibus *vespere* et *mane.*—Nam juxta hebraicam radicem, vespere significare potest *confusionem*, mane vero *ordinem.*—Præterea, ut monet *S. Augustinus* (l. 1 de Gen. c. Manich. c. 14) nil vetat quin sumamus mane et vespere pro *initio* et *fine* operis cujusque diei, quum homines mane soleant opera suscipere, vespere autem ab eis cessare: qua in hypothesi, oratio incipiens a voce *vespere* esset retrograda.

2º *Non repugnat traditioni.—a)* Diu antequam geologicæ observationes institui cœpissent, vox *dies* in varias interpretationes trahebatur [1]. *S. Aug.* (de Civ. Dei, I, 7) habet: "Qui dies cujusmodi sint aut perdifficile nobis aut etiam impossibile est cogitare, quanto magis dicere."—*b)* Mirum est quanta cum prudentia *S. Thomas* in hac materia processerit. Aliorum Sanctorum diversas opiniones refert quin ulli inhæreat, quasi a longe prænoscens orituras quæstiones: imo modo loquendi suo, ut mox videbimus, latam aperuisse viam videtur sententiæ de diebus-periodis.—*c)* Cæterum huic sententiæ suffragatur auctoritas plurimorum et doctissimorum interpretum.

3º *Concordat cum Cosmogoniis* aliarum gentium, "ubi mundus dicitur formatus sex epochis ut in Zend-avesta Persarum vel sex mille annorum spatio ut in Cosmogonia Hetrusca, teste Suida, quibus aliquid simile occurrit apud Ægyptios et Phœnicios" (Ubaldi).

1—Cf. Aug. Nicolas, *Etudes sur le Christ.*, éd. Vaton, t. I, p. 380.

4° *Optime accommodatur inventis Geologiæ.*—Geologi enim solent in terræ formatione distinguere quinque indefinitas epochas : eozoicam, palæozoicam seu primariam, mesozoicam seu secundariam, cenozoicam seu tertiariam, et plistocenicam seu quaternariam. Porro in fossilibus, ex quibus præfata divisio desumpta est, hic ordo agnoscitur. In epocha *eozoica* vix imperfectum (si quod sit) vitæ vestigium apparet ; in ep. *primaria*, quamvis quædam infimæ animalium species, ut mollusca, pisces, inveniantur, dominantur tamen vegetalia et quidem immensæ molis prouti strata carbonifera demonstrant ; in ep. *secundaria*, magna animalium fossilium copia occurrit, non quidem superiorum, sed magis inferiorum et in primis reptilium, quibus jungendæ sunt volucres maximæ dimensionis ; in ep. *tertiaria*, numerus ingens supremæ classis vertebratorum, sc. mammalium, quorum plures species grandiores nunc deperditæ sunt, apparent ita ut vita secundum periodi processum magis magisque ad species recentiores accedere videatur ; tandem in ep. *quaternaria*, copiosa reperiuntur humana vestigia commixta fossilibus specierum adhuc existentium. Atqui nemo non videt ordini sic descripto generali quadam convenientia correspondere tempora Mosaica ; 1ᵃ enim et 2ᵃ dies respondent epochæ eozoicæ, 3ᵃ dies epochæ primariæ, 5ᵃ dies epochæ secundariæ, 6ᵃ dies epochæ tertiariæ, 6ᵃ et 7ᵃ dies epochæ quaternariæ. (Cf. quæst. præced.)

Prob. 2ᵃ *pars*, nempe *non stricto* sed *latiori sensu* intelligendam esse concordiam inter Genesim et Geologiam. Id enim suadet scopus Moysis, ordo rerum quas tradit, exemplum ductum ab historia, necnon auctoritas et interpretatio ipsius S. Thomæ.

1° *Scopus Moysis* : hic quippe fuit religiosa instructio rudis populi, juxta illud (Rom. XV, 4) : *Quæcumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt.* Porro ad hunc scopum attingendum minus utilis fuisset scientifica tractatio de mundi origine, verum præstabat doctrinam proponere historico-dogmaticam atque liturgicam, verbis popularibus et poesi quadam etiam refertis : quod fecit Moyses.

a) Narrando enim rerum creatarum *historiam*, contra præcipuos paganismi errores veritates *dogmaticas* inculcat de Deo uno, mundi opifice, qui non ex materia præjacente neque

necessario sed libero sapientiæ et voluntatis consilio omnia condidit, disposuit atque conservando dirigit. Adhibet quoque, licet secundario, numerum sex dierum non solum ob successionem divinorum operum, verum insuper ob *liturgicam* significationem, scil. ad typice repræsentandam hebdomadam vulgarem quam sabbati quies, ad instar quietis dominicæ, terminat. Jam vero documentum historico-dogmaticum atque liturgicum minime requirit eam accuratam factorum et temporum determinationem quæ convenit scriptis scientificis.—*b)* Præterea " Moyses rudi populo loquebatur, quorum imbecillitati condescendens illa solum exposuit quæ manifeste sensui apparent " (I, Q. LXVIII, a. 3). Nempe non de omnibus a Deo creatis, sed de iis tantum quorum notitia facilior esset, stylo claro et simplici, et eo ordine quo citius veritas perciperetur,disseruit, quin diffiteamur poeticum quemdam flatum auctorem movisse ejusque sermonem pervasisse : quæ quidem omnia sententiam nostram confirmant.

2° *Ordo rerum quas tradit Moyses* nullatenus conciliari potest cum concordismo stricte intellecto. Sic. v. g. juxta Moysem vita animalis non apparet primum nisi quinto die, cui correspondet epocha secundaria. Porro plures tenent eozoon canadense (de cujus existentia non pauci tamen ambigunt) exhibere primum vitæ vestigium in epocha eozoica ; omnes vero admittunt existentiam fossilium animalium in epocha primaria, scil. molusca in stratis silurianis et pisces in devonianis. Ergo dicendum est generalem tantum creationis conspectum fuisse a Moyse summatim delineatum.

3° *Exempla* analogæ narrationis *ab historia suppeditantur*, quatenus in libris qui non sunt annales vel chronica sæpe magis viget ordo logicus quam stricte chronologicus. Ita historici solent quinque priores sæculos Ecclesiæ dividere in epocham martyrum et epocham Patrum, quia in illa illi, in hac vero isti præsertim floruerunt, licet in prima jam reperire sit Patres et in altera etiam extiterint martyres. Idipsum de epochis Mosaicis tenendum est.

4° Accedit *loquendi ratio S. Thomæ.*—*a)* Describens enim processum Cosmogoniæ Mosaicæ, Aquinas, ut vidimus, recenset triplex opus, sc. *creationis*, *distinctionis* et *ornatus*, atque duobus ultimis tres dies assignat parallelo ordine distributos ita ut primo distinctionis diei primus dies ornatus

respondeat, secundo secundus, tertio tertius. Atqui hæc ordinatio, etsi sensum historicum fundamentaliter includat, excludere tamen videtur modum scientificæ tractationis, exhibens cum historia quidpiam ideale et hymnologicum. Ergo.—*b)* Præterea S. Doctor, referendo sententias aliorum Sanctorum, utitur vocabulis quæ supponunt Moysem voluisse sermonem accommodare necessitati instruendi populi necnon texendæ summariæ narrationis. Ait enim (Q. LXX, a. 1 ad 4): " *Præmittitur* productio plantarum luminaribus ad excludendam idololatriam " etc; et (Q. LXXI, a. un. corp.): " Sicut inter tres dies distinctioni *deputatos* media quæ est secunda deputatur distinctioni medii corporis, scil. aquæ, ita " etc; et (Ibid. ad 5): " Productio horum animalium *ordinatur* secundum ordinem corporum quæ eis ornantur magis quam secundum propriam dignitatem."—Ubi apparet ex mente S. Thomæ nomen *dies* usurpari ad significandum non tam spatium viginti quatuor horarum quam successionem divini operis ideali quadam seu melius logico-reali ratione coordinati.

Concludamus igitur sententiam de diebus-periodis, lato sensu intellectam, magna probabilitate gaudere; qua posita, firma et inviolabilis Genesim inter et Geologiam harmonia constituitur, quin ab incertis scientiarum hypothesibus ullo modo pendeat [1].

1—Cf. De Foville, *Les jours de la semaine et les œuvres de la création*.—Monsabré, 13e conf: *La Genèse du monde*.—Molloy, *Géologie et Révélation*.—Vigouroux, *op. cit.*

QUÆSTIO QUARTA

De Transformismo

Antequam tractationi de rebus corporalibus finem imponamus, disputationis pretium erit in trutinam vocare celebre systema nuperius invectum sub nomine *Transformismi* vel Evolutionismi. Quo fine hoc systema fuerit excogitatum atque nunc ab universa incredulorum turba tam multis studiis tantoque scientiæ apparatu defensetur, certo colligere possumus: siquidem ipsi fassi sunt [1] illud habendum esse tanquam summum humanæ rationis molimen quo, Christianismo funditus everso, Deus tandem de mundo exuletur atque ipsa natura in divinitatis locum substituatur. Hinc Darwin, Transformistarum caput, sæpe inter suos ad instar novi Messiæ acclamatus est.

Transformismus considerari potest vel *in genere* et quasi dicam in radice, vel in *specie* secundum varias suas applicationes quæ maxime duo respiciunt, nempe primam vitæ originem et hominis ortum. — Sub hoc autem ultimo respectu inferius discutietur, scil. in tractatu de homine.—Quapropter præsens quæstio dividi commode poterit in duos articulos, quorum *unus* de Transformismo generalius sumpto, *alter* vero de prima viventium origine peraget.

ARTICULUS I.

Utrum Transformismus in genere admitti possit.

1° Transformismus generatim sumptus definiri potest: *hypothesis quæ tenet species hodiernas ex uno vel pluribus typis primitivis per modum progressivæ evolutionis de*

1—Cf. Vigouroux, *op. cit.*, t. III, Sect. II, ch. 3, a. 1.

specie ad speciem derivatas esse.—*Lamark* in Galliis id jam præterito sæculo docuerat, *Darwin* vero ad scientificam formam reducere tentavit.

2° Tres sunt præsertim *causæ* quibus mediantibus Transformistæ suam theoriam explicare conantur.—1ª atque præcipua, a Darwin proposita, dicitur *selectio naturalis*, resultans tum ex lucta pro existentia tum ex selectione sexus, quatenus ex una parte, duce ipsa natura, fortiora individua, victis debilioribus, totam vim et perfectionem alicujus classis entium in se retineant, ex altera vero per sexualem instinctum præstantiora inter se conjungantur. —2ª causa reponitur in *organorum indole* quæ, dum abeunte usu paulatim decrescunt, e contra pro variis exercitiis et conatibus, affluente sanguinis et nutritionis virtute, magis magisque perficiuntur. Huc pertinent *variationes correlativæ*, sic dictæ quia propter intimam compositi unionem important quasdam organismi partes mutari, mutatis aliis.—3ª causa consistit in *externis adjunctis*, scil. climatis, cibi, sóli etc, quæ non parum specierum formas modificare possunt.

3° *Nonnulli* catholici [1] forsitan minus cauti, inter quos Mivart, existimant Transformismum mitigatum seu intra debitos limites coarctatum neque rationi [2] neque etiam Scripturæ ullatenus repugnare ; tamen *alii* plures contrarie sentiunt, quibus indubitanter adhærendum esse censemus.—Quum vero quæstio tum philosophice et rationaliter, tum theologice et scripturaliter agitari possit, hinc opportunum erit duas distinctas conclusiones adstruere.

Conclusio 1ª.—RATIO CERTO DOCET TRANSFORMISMUM IN GENERE ESSE FALSUM.

Prob. a priori.

1° *Ex fine mundi.*—Ea rerum seu specierum distinctio admittenda est quæ perfectius divinam excellentiam repræsentat. Atqui essentialis illa distinctio qua fixi et immoti limites unicuique speciei imponuntur major est distinctione mere accidentali quam Evolutionistæ propugnant, ideoque melius immensitatem divinæ perfectionis ostendit. Ergo. (Cf. Disp. II, Q. un., a. 1-2)

1—Cf. Vigouroux, *op. cit.*, t. III, p. 311-314.
2—Vid. Monsabré, 13e conf.

2° *Ex natura speciei.*— Præsupponimus hic admissum *dogma philosophicum* non solum scholasticis philosophis sed etiam pluribus hodiernis physicis probatum quod est veluti substratum totius theologiæ thomisticæ, nempe corpora constare ex materia prima et forma substantiali ; atque, dum atomismus, juxta quem res accidentaliter tantum propter diversam atomorum figuram vel positionem differunt, ridentem vultum Transformismo porrigit, systema scholasticum penitus ei contrariatur. Sane formæ illæ substantiales, quibus corpora specie ab invicem distingui dicuntur, consistunt in indivisibili seu varios indivisibiles gradus in scala specierum efformant. [1] Atqui repugnat formas indivisibiles, licet ab actu essendi cessare possint, in se invicem transformari, neque plures quam una in singulis entibus substantialiter constituendis dari queunt. Ergo.

3° *Ex naturali entium desiderio.*—" Inest unicuique naturale desiderium ad conservandum suum esse [2]," quod jam Tullius notaverat dicens (De Finibus, l. IV, c. 7) : " Omnis natura vult esse conservatrix sui ut et salva sit et in genere conservetur suo." Atqui esse rerum " non conservaretur, si transmutaretur in aliam naturam. Unde nulla res, quæ est in inferiori gradu naturæ, potest appetere superioris naturæ gradum, sicut asinus non appetit esse equum ; quia si transferretur in gradum superioris naturæ, jam ipsa non esset [3]."— " Sed in hoc imaginatio decipitur ; quia enim homo appetit esse in altiori gradu quantum ad aliqua accidentalia quæ possunt crescere absque corruptione subjecti, æstimatur quod possit appetere altiorem gradum naturæ in quem pervenire non posset nisi esse desineret [4]."

4° *Ex determinato agendi modo.*—Determinata natura determinatas habet agendi vires atque determinatum respicit objectum activitati suæ essentialiter proportionatum. Atqui quod est genere vel specie superius taliter inferius excedit ut improportio activitatis unius respectu alterius essentialis sit seu quidditativa et non solum quantitativa. Ergo nullum

1—I-IIæ, Q. LII, a. 1, corp.
2—I, Q. LXIII, a. 3.
3—Ibid.
4—Ibid.

adjunctum efficere potest ut una species evolutionis via aliam pertingat. Ad rem *Angelicus* : " Materia, inquit, est ex qua aliquid fit. Natura autem creata habet determinatum principium, et, cum sit determinata ad unum, etiam habet determinatum processum, unde ex determinata materia producit aliquid in determinata specie [1]".—*Conf.* ex alio *S. Thomæ* principio : " Generans generat sibi simile in specie, in quantum generatum per actionem generantis producitur ad participandam speciem ejus : quod quidem fit per hoc quod generatum consequitur formam similem generantis [2]. " Hoc autem semel admisso, sua mole ruit Transformistarum doctrina.

Prob. concl. *a posteriori*.

Et 1° *ex historia necnon ex geologia* [3]. Transformistæ dicunt anteactis temporibus species mutabiles fuisse.—At e contra *a)* ubicumque *mentio* habeatur de plantis et animalibus antiquæ ætatis, ista referuntur prorsus similia iis quæ apud nos sunt. Hujus rei testes existunt non solum libri Plini vel Aristotelis qui, naturalistarum parens, tam egregie animale regnum descripsit, verum etiam antiquiora monumenta Indorum, Sinensium, Assyriorum, Ægyptiorum : sic v. g. hodiernæ animalium species optime dignosci possunt in hieroglyphicis inscriptionibus, quarum multæ ad 2000 et amplius annorum ante æram vulgarem ascendunt.—*b)* Insuper *fossilia* vegetalium et animalium constantem specierum divisionem et stabilitatem ostendunt, ut v. g. conchyliorum, coralliorum,diversarum arborum : quod quidem propter remotissimam geologicarum formationum ætatem maximi ponderis est. Et quamvis plures species nunc extinctæ reperiri dicantur, id potius contra adversarios valet ; siquidem sequitur aliquas species, mutata mundi conditione, nedum se in alias transformaverint, abrupte cessase.

2° *Ex factis certa experientia comprobatis.*—*a)* Distinguenda imprimis est *varietas* a *specie* ; quæ duo si ab adversariis non confunderentur, causa finita esset. Species enim

1—I, Q. XCII, a. 2 ad 2.
2—*De Potentia*, Q. III, a. 9 ad 6.
3—Cf. Vigouroux, qui perbelle hoc argumentum evolvit, *op.* et *t. cit.*, p. 339-357.

constat ex genere et differentia *essentiali* ita ut quæ ipsi propria sunt a fonte intrinseco dimanent ideoque fixitatem absolutam postulent ; varietas vero intra eamdem speciem importat discrimen quoddam *accidentale*, resultans ex adjunctis quibusdam exterioribus vel ex hominis arte, quodque per transmissionem hæreditariam fixitatem quamdam relativam, *stirpis* propriam, consequi potest. Jam vero hæc distinctio, Transformismi destructiva, in ipsis factis fundatur. Etenim, *ex una parte*, multas varietates plus minusve stabiles in eadem specie vigentes videmus, v. g. varietates equi, canis, vitis ; at vero, *ex altera*, quælibet species inter tot accidentales variationes characteres suæ fixitatis constàntissime retinet [1] : nempe 1° proprietatem illam differentialem quæ est indicium et resultantia propinquissima speciei : patet enim quod omnes stirpes equi conservant hinnibilitatem, omnes stirpes canis latrabilitatem et ita porro, licet in diverso gradu ; 2° typum morphologicum fundamentaliter eumdem, sicut constat ex inductione ; 3° fœcunditatem indefinitam non solum in eadem stirpe sed etiam inter varias stirpes, quod signum est identitatis speciei : copulatio enim specierum ejusdem generis proximi non gaudet nisi fœcunditate finita, uti hybrida tum animalia tum vegetalia commonstrant quæ post paucas generationes vel exstinguuntur vel ad primitivum typum redeunt [2].

b) Non solum experientia nos edocet species esse stabiles, sc. a piscibus pisces, ab avibus aves, ab equo equum procreari, verum etiam ostendit ipsas animalium *qualitates*, mores, instinctum minime mutari : id vero progressui evolutionistico aperte contradicit.—Respondet Darwin provocando ad *legem permanentiæ*, juxta quam viventia, primo indeterminata, tandem fixos et specificos characteres acquisiissent. Sed hæc lex conciliari non potest cum Evolutionistarum placitis. Cur enim natura, quam necessario progressivam esse dicunt, non amplius progrederetur ad alias formas sive species præsentibus perfectiores ?

Quæcumque igitur a Darwin et Transformistis de causis transformationis specierum adducantur non solum factum ipsum non probant (quod tamen maxime probandum foret),

1—Cf. Lorenzelli, *Phil. theor. instit.*, Vol. II, p. 200-201.
2—Cf. Vigouroux, *op.* et *t. cit.* p. 357-60.

verum nec etiam rei possibilitatem ullo modo ostendunt. Varietates quidem formari, non autem mutari species, inferre exinde legitimum est.

Conclusio 2ª. — TRANSFORMISMUS ETIAM MODERATUS THEOLOGICE IMPROBABILIS EST.

Quædam *prænotanda sunt.*—1º Quæstio hic instituitur non de possibilitate, sed *de facto.* Licet enim impossibilitas transformationis specierum ex doctrinis philosophicis tantopere ab Ecclesia laudatis demonstretur, tamen nihil de ea re proxime in revelatione statutum est.—2º Transformismus *cum Genesi concordat* in duobus, nempe in distinctione successiva operum et in progressu specierum; *discordat* vero in potiori suo elemento, scil. in specierum generativa evolutione.—3º Conclusio præsertim militat contra eos catholicos qui tenent Transformismum *moderatum,* in quo nempe non excluduntur typicæ quædam species a Deo ipso creatæ, minime repugnare sanæ theologiæ: concedunt siquidem Scripturæ litteram salvari non posse nisi admittatur quarumdam saltem primævarum specierum creatio.

Prob. concl.—Illa opinio dici debet theologice improbabilis quæ obviis Scripturæ verbis necnon communi traditioni Doctorum opponitur, quin ulla ei solida ratio faveat. Atqui hujusmodi est opinio Transformistarum. Ergo. *Declar. minor* per partes.

1ª *Pars.*—Perspicuum est legenti textum Mosaïcum hunc obvium et naturalem sensum ultro occurrere, videlicet *omnes* species tum vegetales tum animales *immediate a Deo* fuisse institutas sive in actu sive saltem in proportionata virtute. *a)* Hæc enim leguntur (Gen. I) : "Protulit terra herbam virentem et facientem semen *juxta genus suum,* lignumque faciens fructum et habens *unumquodque* sementem *secundum speciem suam*...Creavitque Deus cete grandia et *omnem* animam viventem atque motabilem quam produxerant aquæ in *species suas* et *omne* volatile *secundum genus suum*...Et fecit Deus bestias terræ *juxta species suas* et jumenta et *omne reptile terræ in genere suo*". Quis non videat sermonem hic versari universaliter, imo non sine speciali dictorum vi, circa omne viventium genus secundum omnes fixas et specificas differentias?—Porro *b)* multiplicis illius productionis non

aliud principium activum exhibetur quam Dei Verbum, ideoque signanter dicitur *creavit, fecit.*

2ª *Pars.*—Dubium esse non potest quin sententia hæc communissima fuerit apud Patres et Doctores cujuslibet ætatis. Unde clariss. Zigliara [1] : " *Certa,* inquit, *pro catholico* veritas est non per transformismum, sed per creationem species viventium fuisse primitus constitutas ".—Perspectam sane in re tam gravi habebat Aquinas ecclesiasticam traditionem. Jamvero, ut videre est (I, Q. LXIX, LXXI, LXXII), ipse loquendo de prima rerum institutione omnium viventium species repetit a Dei creatione omnemque transformismi ideam aperte repellit, dicens (Q. LXXII, a. un. ad 3) : " In aliis animalibus et plantis mentionem fecit (Moyses) de genere et specie *ut designaret generationem similem ex similibus* ".

3ª *Pars.* — Nullam probabilem rationem adversariorum hypothesi suffragari, satis superque, ni fallor, evincunt quæ superius disputata sunt.—Neque *unitas* mundani ordinis (ad quam appellant) nec Dei sapientia minus in nostra sententia relucent quam in eorum systemate qui cuncta vellent cæcis naturæ viribus committere.

Solv. obj. (contra 1ªᵐ concl.).—Obj. 1.—Arguunt primo adversarii ex *variabilitate* plantarum et animalium.

Resp : Variabilitatem quæ objicitur *accidentalem* esse, *non* autem *essentialem* seu specificam [2]. Id omnia facta probant : numquam enim v. g. etiam ope selectionis artificialis accuratissimæ novum organum produci potuit, quamvis jam exstantia sæpe modificentur. Unde, inquit De Quatrefages [3], " qui contrarium sentit *ad ignotum* appellat substituens experientiæ possibilitatem ".

Obj. 2.—*Embriologia* testatur, etiam secundum doctrinam scholasticam, processum generationis in fœtu fieri per formarum diversi generis evolutivam successionem. Ergo.

Resp : Embriologiam nihil aliud docere nisi quod generans, v. g. animal, habens tum esse tum vitam vegetativam atque sensitivam, effectum sibi similem producit virtute seminis ex qua embrio gradatim ducitur per formas transitorias usque ad

1—*Propædeutica,* p. 20.
2—Cf. Vigouroux, *op. cit.*
3—*L'espèce humaine.* p. 17.

propriam speciem. Atque hæc doctrina, quam utique Scholastici tuentur, toto cœlo differt ab Evolutionismo : in isto enim effectus essentialiter causam superat, juxta illam vero nihil est in effectu quod non præexistat etiam *actu* in generante, licet *virtualiter* tantum in semine.

OBJ. 3.—*Anatomia comparata* ostendit ex una parte similitudinem embrionum pro diversis speciebus ; ex altera vero in iisdem speciebus demonstrat plurium organorum convenientiam et analogiam morphologicam, qualis habetur v. g. inter pedem canis et manum simiæ, etc. Ergo.

RESP : Viventia convenire quidem *genere* vel proximo vel remoto, differre autem *specie*. Hinc, quum sibi primo sub respectu similitudo aliqua tum originis tum functionum vitalium competat, mirum esse non debet quod formam inter se communem vel embrionalem vel organicam exhibeant. Simul tamen consistit varietas illa formativi processus atque organorum quam speciei differentia postulat.

OBJ. 4.—Instant, arguendo ex *quibusdam organis* quæ nunc *inutilia* esse dicunt quæque habent tanquam vestigia antiquæ evolutionis, v. g. ex ungulis appendicularibus in suibus et bobus.

RESP : Ex quo ignoramus aliquando usum alicujus organi, minime sequitur ipsum non habere finalitatem suam quasi nihil aliud sit quam *vestigium* antiquæ evolutionis. Satagendum potius est ut ejus utilitatem agnoscamus. Ita naturalistæ, considerando sues et boves non solum in planis sed etiam in montibus, perspexerunt hæc animalia, quando descendunt, ungulis appendicularibus uti ad melius regendum corpus proprium.

OBJ. 5.—Tandem invocant facta *hybriditatis*, necnon *metamorphosis*, puta, quam patitur bombyx mori in chrysalidem.

RESP : 1° *Hybriditaetm* non favere adversariis. Nam *a)* juxta S. Thomam [1] hybridorum species est *quasi media*, v. g. mulus ex equo et asina generatus. Porro *b)* ut patet, in hujus speciei productione non datur evolutio in speciem perfectiorem, quam Transformistæ ponunt. Neque *c)* species illa gaudet charactere speciei primario a natura intentæ, sc. perpetua fœcunditate : mox enim extinguitur, sicuti filius mulæ

1—Q. III *de Pot.*, a. 8 ad 16.

est vel equus vel asinus. Tandem *d)* quando dicitur : *generans generat sibi simile*, id intelligendum est principaliter secundum speciem, secundario autem *quantum fieri potest* seu saltem secundum genus propinquissimum.—2° *Metamorphoses* quæ cernuntur in bombyce mori et in pluribus speciebus sive animalium sive plantarum non sunt mutationes de una in aliam speciem, sed de uno in alium *statum* proprium individuorum ejusdem speciei [1].

ARTICULUS II.

Utrum vivens saltem infimi gradus ex inanimato oriri possit.

Non pauci moderni, progredientes ultra limitem transformationis specierum viventium, *ipsam vitæ originem ex mera virium materialium evolutione* derivant.—Eminet inter illos atheismi germanici coriphæus, *Hœckel*, qui, ut excluderet quamlibet Dei creatoris actionem, imo Deum ipsum, magno eruditionis apparatu *monismum* proposuit seu systema in quo quæcumque sunt ab uno principio repetuntur evolutionis modo de atomo æterna seu primo elemento inorganico ad moneram seu primum simplicissimum organismum, de monera ad cellulam et ita porro usque ad hominem.—*Catholici nonnulli*, in tuto posita mundi creatione, putant minime fidem obstare quin dicamus prima viventia *spontanea generatione* ex ipsis viribus materialibus olim provenisse.

Quamvis sane nullum ecclesiasticum decretum ea de re citari possit, *sententia negans* præfatam vitæ originem semper nobis visa est *conformior Genesi*, ubi Deus solemni oraculo et emphasi quadam supremus viventium Auctor exhibetur.—Cæterum *ratio* una cum experientia invicte litem dirimit.

1—Cf. Lorenzelli, *op. cit.*

Conclusio.—NEGANDUM EST VIVENS ETIAM INFIMI GRADUS EX INANIMATO SEU INORGANICO ORIRI POSSE.

Prob. 1° *ex fundamentali principio.* — Effectus non potest proportionem causæ superare. Atqui viventia etiam inferiora, testante sensu communi, essentialiter excedunt differentiâ tum specificâ tum genericâ proximâ quodlibet minerale vel inorganicum. Ergo.

Prob. 2° *ex magis determinata ratione.*—Viventia non possunt esse a materia, neque qua materia est, neque quatenus aliqualiter disposita supponatur per vires physico-chimicas. Ergo.

Non 1m; nam secus omnis materia viveret: quod absurdum est (Cf. I, Q. LXXV, a. 1).—*Non* 2m [1]: etenim *a)* juxta doctrinam scholasticam de materia et forma, necesse est corpus vivum a non vivo differre per formam propriam et substantialem, quæ ideo essentialiter distat a forma mineralium atque proprium operationum vitalium principium existit. Insuper *b)* proprietates viventium generaliores sunt *suimotio* et *immanentia* actionum: siquidem viventia ex hoc *primo* dignosci solent quod se movent in quantum una pars propria vi moveat aliam, v. g. organa nutritiva plantæ in ejus substantiam traducunt succos in foliis præparatos atque sensitiva perceptio in animali appetitum ejus excitat; *secundo* etiam dignoscuntur ex hoc quod terminus actionum suarum non est tantummodo exterior sed sæpius immanens ac perfectivus ipsius viventis, uti in augmento plantarum et animalium apparet. Atqui duæ illæ proprietates non solum essentialiter differunt a viribus physico-chimicis, sed etiam superioritate sua eis omnino dominantur. *Differunt* quidem, eo quod vires chimicæ vel mechanicæ, totam subjecti naturam uno ductu inclinantes in aliud, neque per modum suimotionis agunt, neque immanentem terminum petunt. *Dominantur* vero iisdem viribus, quia eis utuntur vel ut instrumentis puta ad digerendum alimentum, vel ut organorum dispositionibus v. g. ad sentiendum, vel ut coaptationibus quibusdam objectivis muneri intellectivo deservientibus. *c)* Contra *Materialistas*

1—Cf. Satolli, *Prælectiones*, Vol. III, Disp. I, Lect. 9.—Lorenzelli, *op. cit.*, *Psych. vegetativa.*

qui Dei operationem in natura negant addere possemus [1], viventia etiam in hoc a non vivis secerni quod majori elementorum complexione constent quæ *de se* tendunt non tam ad synthesim quam ad decompositionem, atque insuper sibi vindicare specialem structuram ex cellulis et textilibus diversimode formatam pro functionum vitalium varietate: quæ duo mineralibus desunt Deique ordinatricem actionem exigunt.

Prob. 3° *ex factis* tum negative tum positive.—*a)* Etenim, quum opinio plurium antiquorum de generatione spontanea a quibusdam modernis, præsertim Pouchet (1858), renovata fuisset, Pasteur et postea Tyndall invictis experimentis demonstrarunt [2] *omne vivum esse ex vivo*, seu infusoria vel animalcula illa quæ sponte oriri absque parentibus existimabantur, semotis conditionibus in quibus infusoria vel viva semina conservari solent, uti pulvis, numquam produci, e contra vero statim multiplicari ac illæ conditiones influxum suum exserant.—*b)* Observant naturalistæ prædicta animalcula triplici generationis specie enasci, nempe per *ova*, per *scissionem* atque per quamdam *germinationem* [3].

Hæc igitur Transformistarum doctrinis triumphi spem et aditum præcludunt.

Solv. obj.—Obj. 1.—Sumitur ex doctrina S. Augustini, S. Thomæ, atque generatim Scholasticorum qui tenent animalia saltem imperfecta generari ex putrescente materia.

Resp: Scholasticos post Augustinum id quidem docuisse, non in sensu adversariorum, sed quatenus materia putrescens favere credebatur explicationi cujusdam *vis seminalis* quam primitus a Deo elementis inditam ponebant. En *Augustini* verba (l. 3 de Gen. ad litt. c. 14): " Inerat jam (nempe a creatione) omnibus animatis corporibus vis quædam naturalis et quasi præseminata materia et quodam modo initiata primordia futurorum animalium quæ de corruptionibus talium corporum pro suo quoque genere et differentiis erant exortura ". (Cf. quæ dicta sunt Disp. I, Q. II, a. 8 ad 3)

Obj. 2.—Procedit ex eo quod sicuti (aiunt) vita reperitur

1—Cf. Zigliara, *Sum. phil.*, *Psychol.* l. I, c. I, a. 1.
2—Cf. Vigouroux, *op. cit.*, Sect. II, ch. 3, a. 5.
3—Ibid. p. 392.

potentialiter in semine, ita etiam nil vetat quin sit in potentia in minerali.

Resp: Vitam esse in mineralibus secundum solam potentiam *materialem*, esse autem in semine secundum potentiam *activam* in quantum semen accepit ab aliquo vivente actu virtutem formativam alterius viventis ejusdem speciei.

Obj. 3.—Ducitur ex *monera* Hæckelii, quo nomine iste designat elementum quoddam inorganicum simul et vivens ex quo processisset cellula seu primus organismus.

Resp:[1] 1° *Moneram* ab Hæckelio detectam nonnisi in ejus phantasia existere. Nullum siquidem vivens omnino inorganicum datur vel dari potest, atque percelebris jam evasit ridicula illa quorumdam modernorum deceptio quibus substantia quædam chimica, *Bathybius* dicta, quandoque visa est optatus annulus inter regnum mineralium et regnum viventium.—2° *Cellula*, quamvis *materialiter* et ex parte elementorum componentium vix a mineralibus differat, *formaliter* tamen ab eis distinguitur, tum quia de facto inchoatus saltem organismus in ea observari potest, tum maxime quia hujusmodi organismum de jure exigit *principium vitale* quod protoplasma cellulare fœcundat.

1—Cf. Vigouroux, *op.* et *loc. cit.*—Duilhé de Saint-Projet, *Apologie scientifique de la foi chrétienne.*

DISPUTATIO SEXTA

De homine absolute sumpto

Postrema pars tractatus de Deo creatore versatur circa hominem. Porro de homine duo doctrinarum capita fide revelata sunt, unum quod spectat ad ipsum *absolute*, alterum quod respicit ejus elevationem *ad ordinem supernaturalem*. Quapropter expedit ut sequens tractatio bifariam dividatur.

Homo autem absolute sumptus vel quoad *naturam* vel quoad *productionem* vel quoad productionis *finem* considerari potest, ideoque sub hoc capite tres quæstiones in medium venient.

QUÆSTIO PRIMA

De natura hominis

Quum proprius humanæ originis modus ex ipsa hominis natura pendeat, tractatio de indole naturæ humanæ logice præmittenda est alteri de productione primorum parentum.— *Homo* vero recte a philosophis post Aristotelem definiri solet *animal rationale*, physice constans ex duobus elementis constitutivis, scil. ex corpore organico et spiritu rationali. Et quamvis tum anima tum corpus sub philosophorum considerationem cadant, theologi tamen munus coarctandum est ad solam animam quæ est gratiæ sedes, neque corpus respicit nisi secundum quod habitudinem ad illam dicit.

Tria theologice discutienda proponemus, deprompta ex quæstionibus quas Angelicus tanta rerum copia et profunditate *de homine* exposuit quasque fuso calamo philosophi pertractant: scil. quæremus 1° utrum anima, in quantum substantia, sit spiritualis; 2° utrum, in quantum pars humanæ speciei, sit essentialiter forma corporis; 3° an una sit pro singulis hominibus.

ARTICULUS I.

Utrum anima humana sit spiritualis seu incorporea et per se subsistens.

(I, Q. LXXV, a. 2)

1° Nomine *animæ humanæ* intelligitur primum principium vitæ in homine, et quia in nobis vita manifestatur secundum triplicem suum gradum, propterea eodem nomine intelligendum est *primum principium quo homo vivit, sentit et intelligit.*

2° Quæstio utrum anima sit spiritualis ac immaterialis recidit in aliam an sit incorporea et per se subsistens [1].—Porro *incorporeum* hic sumendum est non solum pro eo quod non est corpus: hoc enim proprium est cujuscumque formæ; neque solum pro eo quod simplex existit: sunt enim simplicia quodammodo corporea, uti qualitates sensibiles, virtutes sensitivæ etc, sed maxime pro eo quod non dependet saltem intrinsece seu quoad essendi modum a corpore vel a materia.—Additur *per se subsistens,* ut idem distinguatur non solum a quolibet accidente sed etiam a formis inferioribus et materialibus quæ reductive sunt in genere substantiæ, sed per se et sine materia nullatenus subsistunt.

3° Spiritualitatem animæ negarunt ac negant *Materialistæ* et *Pantheistæ* cujuscumque temporis necnon quicumque ponunt intellectum esse potentiam organicam seu organo utentem. Immo, quum hoc dogma jure habeatur veluti spiritualismi christiani fundamentum, illuc moderna Materialistarum acies, ducibus Büchner, D'Ercole et Bain, cunctas erroris artes cunctaque destructionis molimina convertisse videtur.

Præstat itaque veritatem tanti pretii validæ demonstrationis munimine fulcire.

Conclusio.—ANIMA HUMANA SPIRITUALIS EST SEU INCORPOREA ET PER SE SUBSISTENS.

Prob. 1° *ex Scripturis.*—Jam exoriente revelationis luce fuerat hæc veritas clare adumbrata, v. g. (Gen. I, 27): *Et*

1—Cf. De Maria, *Philos. peripat. scholast.*, Vol. II, p. 440-441.

creavit Deus hominem ad imaginem suam; ubi indigitatur hominis nobilitas et præexcellentia, quæ tamen nulla esset nisi supponeremus in eo vigere spirituale quoddam principium, ad Dei imaginem productum.—Legitur (Eccl. XII, 7): *Et revertatur pulvis in terram suam unde erat : et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum ;* quibus verbis plane declaratur non solum animam hominis esse spiritum, verum etiam opponi corpori atque originem et destinationem propriam sibi vindicare.—Consonant verba Christi (Matth. X, 28): *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere ; sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.*

2° *Ex traditione* pauca colligantur.—*S. Irenæus* (l. 5 adv. Hær. c. 12) inquit : " Aliud est afflatus vitæ qui et animalem facit hominem, et aliud spiritus vivificans qui et spiritualem efficit eum. " *S. Basilius* ita repudiat materialistarum dicta (Hom. 8 in Hexæm.) : " Procul sis ergo a commentis arrogantium philosophorum qui animas suas animabus canum æquiparare non erubescunt." Accedit præter alios *S. Augustinus* docens (10 de Trin. c. 7) " mentis naturam et esse substantiam et non esse corpoream ". Tandem *S. Gregorius M.* (Dial. l. 4, c. 3) eleganter scribit : " Tres vitales spiritus creavit omnipotens Deus, unum qui carne non tegitur, alium qui carne tegitur sed cum carne non moritur, tertium qui carne tegitur et cum carne moritur. Spiritus namque qui carne non tegitur, Angelorum ; spiritus qui carne tegitur sed cum carne non moritur, hominum ; spiritus qui carne tegitur et cum carne moritur, jumentorum omniumque brutorum animalium. Homo itaque sicut in medio creatus est."

Idcirco *Concilium Lateran. IV* decrevit " Deum ex nihilo utramque condidisse creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam scilicet et mundanam ; ac deinde *humanam quasi communem ex corpore et spiritu constantem* ".

Prob. 3° *ratione.*—Sed imprimis quædam *prænotanda* sunt. *a)* Quum natura uniuscujusque rei ex propria ejus operatione ostendatur, essentia animæ quoad differentialem essendi gradum investiganda est non ex operationibus quas habet communes cum animabus inferioribus, sed ex operatione *intellectiva.*—*b)* Principium autem intellectivæ operationis nequit in sua essentia specifica cognosci nisi ejus

objectum in examen vocetur: quod Positivistæ, ad solum subjectum respicientes, stolide omittunt. —*c)* Insuper, quia nihil aliud quam corpora a nobis intelligi Materialistæ concedunt, quumque non possimus substantias immateriales naturaliter cognoscere nisi præsupposita immaterialitate animæ ex qua per analogiam ad illas assurgimus, hinc animæ spiritualitas demonstranda est ex intellectione *rerum sensibilium.*

Quibus prænotatis, utramque conclusionis partem adstruendam suscipimus. — Ostenditur 1ª *pars*, scil. animam esse principium *incorporeum.*

Arg. fundamentale.

Quod est cognoscitivum naturæ omnium corporum null naturam corpoream in se physice habet, neque ullo corp... organo intrinsece utitur ad intelligendum. Atqui homo per intellectum cognoscere potest naturas omnium corporum. Ergo principium intellectualis operationis sive proximum sive remotum in homine nullam habet in se physice naturam corpoream nullaque natura corporea intrinsece utitur ad cæteras recipiendas et intelligendas. *Minor* constat: siquidem scientiæ naturales in quibus homo versatur omne genus omnemque corporum speciem amplectuntur. *Major* declaratur ratione et exemplis. *a) Ratione:* nam hæc est differentia inter naturam spiritualem et corpoream quod illa, per suam immaterialitatem seu elevationem supra conditiones individuantes materiæ acquirit amplitudinem et facultatem quamdam alia in se recipiendi saltem secundum species repræsentativas ideoque aptitudinem ad hoc quod intelligat; e contra natura corporea, utpote determinata per materiam signatam ad individuales et exclusivas conditiones, contrahit totalem oppositionem ad naturas ejusdem generis in se recipiendas. Hinc sequitur principium intellectivum licet convenire possit cum corporibus cognitis in quibusdam communioribus prædicatis, quales sunt rationes entis, substantiæ, effectus, habere tamen non posse determinatam illam et individuatam naturam propriam rerum sensibilium; illud enim quod inesset ei naturaliter impediret susceptionem et cognitionem aliorum. *b) Exempla* non desunt: sic enim lingua infirmi infecta amaro humore, non potest percipere aliquid dulce sed omnia ei amara videntur; sic etiam oculus, licet habeat rationem entis, quanti, figurati, tamen eo quod est susceptivus et cognosciti-

vus omnium colorum, debet esse in pupilla ac retina denudatus ratione colorati.

Similiter impossibile est quod intellectus utatur aliquo organo corporeo *intrinsece*, i. e. tanquam medio in quo recipiat species repræsentativas omnium naturarum corporearum et per quod eliciat actum intellectionis; nam natura cujuslibet organi est determinata cum oppositione ad reliquas naturas corporeas ideoque prohiberet earum cognitionem, sicut prohibet visionem omnium colorum non solum illa species coloris quæ inveniatur in pupilla sed etiam quæ inveniatur in lenticulis perspicillorum.

Arg. confirm.—Quæ ex consideratione intellectus absolute sumpti demonstravimus robur accipiunt ex *triplici differentia* observanda inter intellectum et sensum [1].

a) Sensus enim est cognoscitivus *singularium* tantum, intellectus vero *universalium*. Atqui ratio propter quam sensus non cognoscit nisi singularia in eo posita est quod omnis potentia sensitiva, utpote affixa organo corporeo determinatæ magnitudinis, non recipit species repræsentativas rerum sensibilium nisi modo suo, i. e. sub conditionibus individuantibus. Ergo ex opposito tenendum est intellectum cognoscere universalia, quatenus recipiat species intelligibiles extra conditionem individuantem corporalis organi.

b) Insuper nullus sensus cognoscit seipsum neque suam operationem, licet sensus communis percipere valeat omnes actus sensuum periphericorum; intellectus autem cognoscit seipsum et suum intelligere, quod est *in seipsum redire* reflexione completa. Atqui alia ratio hujus discriminis assignari non potest nisi quod facultas organica et adhærens alicui magnitudini dimensivæ tota nequit supra se totam redire. Ergo intellectus dicendus est potentia intrinsece incorporea.

c) Tandem sensus debilitatur vel etiam corrumpitur ab excellentia et exuberantia sui objecti, v. g. visus a luce tonitrui; intellectus vero, nedum corrumpatur, roboratur et *perficitur ab excellentia objecti proprii*. Atqui tale discrimen explicari non potest nisi per hoc quod in primo casu minuitur vel corrumpitur proportio qualitatum dispositivarum organi

1—Cf. C. G., l. II, c. 66.

cui sensus inhæret. Ergo concludendum est intellectum esse abstractum prorsusque liberum intrinsece ab omni organorum exigentia : quod de anima, cujus est intellectus potissima facultas, consequenter affirmatur.

2ª *Pars* concl. facile evincitur.

Quod *per se* operatur, seu cum intrinseca et subjectiva independentia a corpore, est *per se subsistens :* modus enim operandi sequitur modum essendi. Atqui anima humana, mediante principio quo homo intelligit, operatur per se, seu cum intrinseca et subjectiva independentia a corpore, uti modo declaratum est. Ergo est simul aliquid incorporeum et per se subsistens.

Solv. obj.—OBJ. 1 ex *metaphysica.*—Quod est subsistens dicitur *hoc aliquid.* Atqui anima non est hoc aliquid, sed compositum ex anima et corpore. Ergo.

RESP. *C. M.*—*D.m :*...propriissime non est hoc aliquid, *C;* neque minus proprie, *N.*—*Neg. conseq.*

Hoc aliquid potest accipi dupliciter : *primo* pro quocunque subsistente, *secundo* et magis proprie pro subsistente completo in natura alicujus speciei. Primo modo excludit inhærentiam accidentis et formæ materialis, alio modo etiam imperfectionem partis ; unde manus posset dici hoc aliquid primo at non secundo modo. Sic igitur quum anima humana sit pars speciei humanæ, potest dici *hoc aliquid* primo modo et *minus proprie,* in quantum subsistit ; sed *propriissime* solum compositum ex anima et corpore ita appellandum est.—Quapropter dici solet animam humanam esse substantiam completam in *ratione substantiæ*, incompletam vero in *ratione speciei* et *personæ.*

OBJ. 2 ex *psychologia.*—Quod nequit operari sine corpore non est subsistens independenter ab illo. Atqui anima non potest intelligere sine phantasmate, quod est conditio materialis. Ergo. (Ita Bain)

RESP. *D. M :*...sine corpore intrinsece coagente per modum organi, *C ;* sine corpore extrinsece auxiliante ratione objecti, *N.*—*C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

1° Corpus requiritur ad actionem intellectus non *intrinsece* et sicut organum quo talis actio exerceatur aut sicut subjectum proxime recipiens ipsam intellectionem, sed *extrinsece* tantum et ex parte objecti in quantum phantasma repræsentat

objectum singulariter et veluti ministrando materiam ex qua intellectus efficere potest repræsentationes universalium.— Quare 2° mens humana minus pendet ab actu phantasiæ quam sensus a sensibili; siquidem sensibile est causa objectiva *per se sufficiens* sensationis, phantasma autem ratio objectiva *ministrativa* tantum intellectionis. — Sic autem 3° indigere corpore non prohibet animam rationalem quin sit subsistens; alioquin nec animal indigens exterioribus sensibilibus ad sentiendum per se subsisteret.

OBJ. 3 ex *anatomia* et *physiologia*.—Materialistæ, physiologicis studiis inducti, dicunt bonitatem ingenii pendere sive ex symmetria partium *cranii* ejusque capacitate secundum latitudinem, sive ex *cerebri* pondere et chimica compositione. Ergo, concludunt, anima intellectiva est materialis.

RESP. *D. anteced:* Bonitas ingenii pendet ex cranii et cerebri qualitatibus, tanquam ex causa intrinseca et directa, *N;* tanquam ex conditionibus extrinsecis, indirectis nec necessariis, *C.*—*Neg. conseq.*

Quod hæ conditiones materiales esse nequeant causa *intrinseca* et *directa* bonitatis ingenii, in antecedentibus demonstratum est.—Fatemur autem posse eis inesse vim quamdam *extrinsecam* atque *indirectam*, quatenus quidpiam conferant in actus sensitivæ partis et in formationem phantasmatum, quin tamen istarum conditionum valor aut effectus necessarius sit, uti facta ipsa probarunt.

OBJ. 4 ex *embriologia*.—Hæc enim scientia docet filios ita a parentibus generari ut secum trahant, per modum *hæreditatis*, plures eorum qualitates sive physiologicas sani vel infirmi corporis, sive psychologicas potentis vel imbecillis ingenii, sive etiam ethiologicas animi honesti aut perversi, etc; quæ quidem hæreditas, si quando in nepotibus tantum appareat, vocatur *atavismus*. Atqui hæc impossibilia forent, data immaterialitate animæ humanæ atque consequenter ejus origine per creationem. Ergo.

RESP. *D. M:* Filii secum trahunt per generationem ipsam animam intellectivam et habitus scientiarum aut ignorantiæ, virtutum moralium aut vitiorum qui fuerint in parentibus, *N;*...dispositiones organicas, extrinsecas et remotas ad scientias, ad artes, ad virtutes earumque opposita, *Transeat.*— *C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

Plura hic notanda sunt. 1° Habitudo organorum in parentibus, propter intimam animæ et corporis unionem, conformatur non solum secundum materiæ dispositiones, sed etiam secundum genus vitæ moralis aut intellectualis.—2° Virtus formativa aut generativa, qua filii gignuntur, claudit in se tendentiam et efficaciam ad disponendum eorum corpus secundum similitudinem corporis parentum : quæ quidem dispositio imprimitur, nisi quid obstet sive ex parte naturæ sive ex parte Dei providentis.—3° Hæ conditiones organicæ et materiales, *immediate* afficiendo virtutes sensitivas tum cognoscitivas tum appetitivas, mediate etiam et *remote* redundant in intellectum et voluntatem, salvo semper libero hominis arbitrio.—4° Ideo autem anima cum suis viribus contrahit quodammodo defectus corporeæ organisationis, licet a Deo ipso per creationem proveniat, quia in unione animæ et corporis virtutes vegetativæ et sensitivæ complete constituuntur et recipiuntur in corpore secundum hujus qualitativam *dispositionem*.

OBJ. 5 ex *pathologia*.—Constat in quibusdam factis morbosis cerebrum ita affici ut vel inducatur amentia vel temporanea supensio usus rationis, vel etiam tollatur una facultas, v. g. vis reflectendi in cogitationes præteritas, relictis aliis. Ergo etc.

RESP. *D. antec*:...et hæc facta probant intimam conjunctionem intellectus et sensus a quo intellectio *objective* dependet, *C*; probant organicitatem intellectus, *N*.—*Neg. conseq.*

1° Ex dictis de relatione inter intellectum et sensum patet causas quæ alterare, ligare vel corrumpere possunt organa sensuum interiorum *indirecte* suspendere, impedire vel perturbare etiam exercitium intellectionis.—2° Sensus interni propriaque eorum organa ab invicem distinguuntur. Ex quo sequitur posse, impedito actu memorativæ sensitivæ, simul impediri actum *memorandi* intellectionem præteritam, quamvis, eo quod manet usus phantasiæ, maneat etiam facultas *intuendi* præsentia intelligibilia [1].

1—Cf. Lorenzelli, *Philos. theoret. instit.*, Vol. II, *Anthropol.* lect. 2-3 ; ubi spiritualitatem animæ efficacissime probat et invicte tuetur contra Materialistas. Plura ex illo fonte deprompsimus.

ARTICULUS II.

Utrum anima rationalis uniatur corpori ut forma substantialis.

(I, Q. LXXVI, a. 1)

1° Ex præcedenti articulo constat animam humanam per se completam esse *in ratione substantialitatis;* at jam sponte sua dubium oritur, utrum dici possit completa etiam *in ratione speciei* aut contra, sub tali respectu, necessario egeat complemento corporis cui naturaliter conjuncta subsistat.

2° Ne sermo longior evadat, abstinendum ducimus ab expendendis variis systematibus quæ ad explicandam unionem animæ et corporis ab antiquis ad nostra usque tempora prodierunt, qualia sunt systema *Platonicum*, systema *Averroisticum*, *Occasionalismus psychologicus* Malebranchii, *Influxus physicus* quorumdam Cartesianorum, *Harmonia præstabilita* Leibnitzii necnon recens theoria *Rosminii.* Horum enim systematum refutatio magis ad provinciam philosophicam pertinet. *Unum* tantum adnotasse sufficiet, scil. omnes istas opinationes communi vitio laborare in quantum supponunt animæ et corporis consortium radicaliter fundari in aliqua operatione, sive motiva, sive sensitiva, sive intellectiva, aut in aliqua extrinseca relatione, ideoque esse mere accidentale: quod substantialem unitatem hominis funditus evertit.

Sane 3° unio duplicis generis est: alia *substantialis, accidentalis* alia. Prior definitur conjunctio aliquorum in uno esse substantiali quod est vel secundum naturam vel secundum suppositum; posterior vero conjunctio aliquorum in uno esse accidentali.—Cum autem forma alicujus rei in genere dicatur quod actuat subjectum immediate per suam essentiam, non per aliquam sui actionem aut virtutem, *forma substantialis* describi poterit *principium*, non quidem effectivum, sed *formale quo aliquid substantialiter est* quodque convenit cum materia in uno esse quidditatis specifice completæ atque subsistentis.

Conclusio.—PRO CERTO HABENDUM EST TUM PHILOSOPHICE TUM THEOLOGICE ANIMAM RATIONALEM ESSE FORMAM SUBSTANTIALEM HUMANI CORPORIS.

Præsupponimus hic hominem non esse animam tantum, sed compositum ex anima et corpore, prouti sensitivæ operationes quæ sunt conjuncti quasque homini tribuere consuevimus aperte demonstrant. (Cf. I, Q. LXXV, a. 4)

Prob. 1° concl. *philosophice*, duobus argumentis.

Primum arg. sumitur *ex ratione primi principii operandi*, et sic proponitur.—Illud quo *primo* aliquid operatur est forma ejus cui operatio attribuitur: nam unumquodque agit secundum quod est actu, est autem actu per formam. Atqui, ut experimur, quemadmodum anima est id quo primo inferiora opera vitæ perficimus, ita etiam anima *intellectiva* est id quo primo intelligimus. Ergo anima intellectiva est forma hominis in quantum est homo; qui quum sit una substantia corporea, vivens, sensitiva, rationalis, forma illa dici debet substantialis.

Secundum arg. *ex ratione constitutiva speciei* desumitur.—Illud est forma hominis in quantum est homo, ideoque substantialis, a quo homo sortitur suam speciem; quia unumquodque constituitur in specie per propriam formam, a qua sumitur differentia intrinseca et essentialis. Atqui illud a quo homo suam speciem sortitur est anima intellectiva: siquidem natura alicujus rei ex propria ejus operatione patescit; propria autem operatio hominis, in quantum est homo et alia animalia transcendit, est intelligere cujus anima intellectiva est principium. Ergo.

Notandum tamen est, licet unum sit esse formæ et materiæ ideoque *unum esse* animæ rati onalis et humani corporis, haud inde concludi posse quod anima sit materialis seu intrinsece dependens a materia quoad esse et quoad omnem operationem.—Nam quanto forma est nobilior, tanto magis dominatur materiæ corporali et minus ei immergitur et virtute sua magis eam excedit,: v. g. supra formam omnium infimam, scil. *elementarem*, eminet forma *compositi chimici* quæ altiori qualitatum materialium virtute promptius et fortius agit, sicut adamas aut sulphatum ferri habent virtutem attractivam; super formam mixti datur forma *vegetativa* cujus operationi materiales qualitates *instrumentaliter* tantum deserviunt;

supra vegetativam est *sensitiva* ad quam prædictæ qualitates se habent non ut instrumenta sed solum ut debitæ *dispositiones organorum* sensoriorum. Jam vero anima humana ultimum gradum tenet in hac formarum scala. Unde ita excedit naturâ suâ materiam corporalem ut habeat aliquam virtutem et operationem in qua intrinsece nullo modo materia communicat.

Prob. 2[o] eadem concl. *theologice.*

Afferantur imprimis documenta sacra.—In *Concilio* generali XV, *Viennæ* in Gallia sub Clemente V habito (a. 1311), hæc definita sunt : " Doctrinam omnem seu positionem temere asserentem aut vertentem in dubium quod *substantia animæ rationalis seu intellectivæ vere ac per se humani corporis non sit forma,* velut erroneam ac veritati catholicæ inimicam fidei, sacro approbante Concilio, reprobamus : definientes, ut cunctis nota sit fidei sinceræ veritas, ac præcludatur universis erroribus aditus ne subintrent, quod quisquis deinceps asserere, defendere seu tenere pertinaciter præsumpserit quod *anima rationalis seu intellectiva non sit forma corporis humani per se et essentialiter tanquam hæreticus sit censendus* (Clementin. L. I, Tit. 1, de Fid. cath. c. unic.)—*Conc. Later. V* sub Leon X (a. 1515) eamdem definitionem confirmavit.—Tandem *Pius IX* (in Litt. Apost. ad Archiep. Colon. 1857) damnans errores Güntheri ait : " Noscimus iisdem libris (sc. hujus scriptoris) lædi catholicam sententiam ac doctrinam de homine qui corpore et anima ita absolvatur ut *anima, eaque rationalis, sit vera, per se, atque immediata corporis forma.*" Atqui in citatis declarationibus de unione animæ rationalis ut formæ ad humanum corpus, quamvis vox ipsa *substantialis* non reperiatur, res tamen habetur. Ergo.

Prob. min. sequentibus animadversionibus.

Tenendum enim est juxta auctoritates mox relatas : 1[o] quod *substantia* animæ rationalis, non autem ejus operatio nec virtus aut facultas aliqua, sit forma, nempe principium intrinsecum et formale essendi humano corpori ; 2[o] quod substantia animæ rationalis est forma humani corporis *per se, vere* et *immediate,* i. e. *a)* ut diximus non per aliquam suam virtutem sicut docebat Petrus Joannes Olivi tempore Conc. Viennensis aliique postea docuerunt, nec *b)* modo quodam meta-

phorico vel analogico ut posuerunt quidam Cartesiani dicentes animam esse formam assistentem, non autem informantem, neque *c)* per aliquam aliam formam a se essentialiter distinctam sicut docuit Günther; 3° quod substantia animæ rationalis est forma humani corporis *essentialiter*, i. e. non accidentaliter, puta ex pœna luenda propter delictum, sed ex ipsa ratione suæ substantiæ specifice incompletæ et ad humanam speciem constituendam unione ad materiam necessario ordinatæ. Porro non potest substantia aliqua esse per se, vere, immediate atque essentialiter forma corporis quin sit forma *substantialis*, dans materiæ *esse primum* et substantiale quo rei species compleatur. Ergo vel de fide vel saltem *proximum fidei* est quod anima rationalis sit forma substantialis humani corporis.

Solv. obj.—Obj. 1.—Quod est forma seu actus corporis non potest esse cognoscitivum omnium, etiam universalium (cf. art. præc.). Atqui anima rationalis est cognoscitiva omnium. Ergo.

Resp. *D. M*:...non potest esse ipsa facultas cognoscitiva, *C*; non potest esse substantia a qua sit hæc facultas, *N*.—*C. d. m*:... per suam substantiam, *N*; per facultatem intellectivam, *C*.—*Neg. Conseq.*

Aliud est substantia animæ rationalis, aliud virtus seu facultas ejus. Et quia anima intellectiva corpus informat *identice*, non *formaliter* seu non in quantum intellectiva (ut monet Cajetanus), ideo intellectiva virtus non est corporis actus, sed pro sua immaterialitate apta nata est omnia intelligere.

Obj. 2.—Potentia animæ non potest esse abstractior vel simplicior quam essentia a qua procedit. Atqui, ut dictum est, intellectus non potest esse actus corporis. Ergo nec ipsa anima intellectiva.

Resp. *D. M*:...quam essentia sumpta sub ea formali ratione secundum quam potentia illa procedit, *C*;...sub quacunque ratione, *N*.—*C.m.*—*Neg. conseq.*

Essentia animæ comprehendit una cum gradu intellectuali gradus inferiores, quos abstractione superat virtus intellectiva gradui intellectuali proportionata. Idcirco nihil prohibet illam virtutem, utpote derivatam ab essentia animæ in quan-

tum hæc materiam excedit, non esse corporis actum, quamvis anima secundum suam essentiam sit corporis forma.

OBJ. 3.—Id quod secundum se habet esse non unitur corpori ut forma. Atqui anima humana habet esse secundum se et est subsistens. Ergo.

RESP. *D. M*:... ut forma a corpore dependens, *C*; a corpore independens, *N*.—*C.m.*—*Neg. conseq.*

Anima illud esse in quo subsistit communicat materiæ corporali, ex qua et anima intellectiva fit unum, scilicet homo. Unde idem esse, quod est totius compositi, est etiam ipsius animæ, ita ut in quantum est *esse hominis* primo conveniat composito, inquantum vero est *esse rationale* primo et formaliter conveniat soli essentiæ animæ humanæ : quod non accidit in aliis formis quæ non sunt subsistentes.—Propter hoc anima humana remanet in suo esse, destructo corpore, non autem aliæ formæ.

OBJ. 4.—Quod inest alicui rei secundum se semper inest ei. Atqui non semper convenit animæ humanæ esse corporis formam. Ergo.

RESP. *D. M*:... semper inest ei vel actu vel aptitudine, *C*; actu tantum, *N*.—*C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

Secundum se convenit animæ uniri corpori, sicut secundum se convenit corpori levi esse sursum. Et sicut corpus leve manet quidem leve, cum a loco proprio fuerit separatum, cum aptitudine tamen et inclinatione ad illum locum, ita anima humana manet in suo esse, cum fuerit a corpore separata, habens *aptitudinem* et inclinationem naturalem ad corporis unionem.

ARTICULUS III.

Utrum præter animam intellectivam sint in homine aliæ animæ per essentiam differentes aut alia forma.

(I, Q. LXXVI, a. 3-4)

a) Docuerunt olim *Gnostici* hominem ex tribus partibus esse compositum; *Manichæi* illi tribuebant, præter corpus, duas

animas, bonam unam, alteram malam; *Apollinaris*, distinguens inter mentem et animam, hanc quidem rationis expertem, non vero illam a Verbo fuisse assumptam affirmabat. Errorem hunc plane obliteratum, quod nempe homo constet ex tribus quæ sunt corpus, anima et mens seu spiritus, nuperius revocarunt nonnulli germani doctores, præsertim *Günther* et *Baltzer*. Præfata doctrina dici consuevit *trichotomia* opposita *dichotomiæ* quam catholici tuentur; sed a recentioribus vocatur etiam *Vitalismus* ex eo quod multiplicantur principia vitæ: cui systemati connectitur *Organicismus*, i. e. opinio quæ tenet saltem vitam vegetativam a viribus physico-chimicis in corpore organico agentibus esse repetendam.—*b)* Trichotomiam seu vitalismum rejiciens, *Scotus* posuit in homine præter animam intellectivam, qua materia fit vivens, formam *corporeitatis* qua materia accipit esse corporis. *Recentiores* vero, qui negant systema scholasticum de materia et forma, statuunt corpus humanum constare atomis certo modo compositis actuque permanentibus et non per aliquam formam sed vi cohæsionis conjunctis; consequenter animam esse formam substantialem compositi seu *hominis*, non vero partis seu *corporis*.—*c)* Vera doctrina in sequenti propositione bimembri exhibebitur.

Conclusio.—PRÆTER ANIMAM INTELLECTIVAM IN HOMINE, NEC ULLA ANIMA, NEC FORMA ALIA QUÆCUMQUE CORPORIS DARI POTEST.

1ª *Pars de fide* est. Siquidem *a) Conc. Constantin. IV* (an. 869) contra veteres hæreticos definivit hominem habere "unam animam, rationalem et intellectualem." *b) Pius IX* autem (Litt. Apost. ad Ep. Wratislaviensem 1860) contra Baltzer decrevit "sententiam quæ unum in homine ponit vitæ principium, animam scilicet rationalem, a qua corpus quoque et motum et vitam omnem et sensum accipiat, in Dei Ecclesia esse communissimam atque Doctoribus plerisque et probatissimis quidem maxime cum Ecclesiæ dogmate ita videri conjunctam ut hujus sit legitima solaque vera interpretatio nec proinde *sine errore in fide* possit negari."

1º *Ex Scripturis* arguimus.—Nam (Gen. II, 7) legitur: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ et factus est homo in animam viventem.* Hisce verbis describitur formatio

hominis cujus elementa duo tantum traduntur, corpus et anima qua istud vivificatur.—Quandoque loco *animæ* Scripturæ ponunt in homine *spiritum* (Eccl. XII, 7; Matth. XXVII, 50; Luc. VIII, 55), quæ duo significant eamdem rem diversimode acceptam: anima enim designat principium vitæ, spiritus vero idem principium quatenus est independens a corpore atque immortale.

2° *Patres* et *Doctores* explicite professi sunt unitatem animæ. In testem sit *S. Ephrem* (de Inspiratione): "Anima, inquit, ita est in corpore ut physicum vinculum solutu difficile...In *omnibus* operatur, velut dominatrix in corpore...Non est alia anima in sensibilibus agens, alia in intelligibilibus." Et *Gennadius* (de Eccl. Dogm. c. 15): "Neque duas animas credimus esse in uno homine, sicut Jacobus et alii Syrorum scribunt: unam animalem qua animetur corpus et quæ immixta sit sanguini, et alteram spiritualem quæ rationem ministret; sed dicimus unam eamdemque esse animam in homine, quæ et corpus sua societate vivificat et semetipsam sua ratione disponit."

3° *Ratio* fundamentalis hujus veritatis in eo consistit quod anima est forma substantialis hominis: quæ quidem ratio dupliciter manifestari potest, scil. ex *unitate substantiali* hominis et ex *modo ejus operationum*.—Nam *a)* si in homine haberentur plures animæ, puta quædam vegetativa tantum, quædam sensitiva tantum, quædam tantum intellectiva, homo non esset *unum vivens simpliciter*, sed societas trium viventium, i. e. cujusdam plantæ, cujusdam bruti et cujusdam intelligentis. Atqui hæc absurda sunt prorsusque contraria conceptui communi hominis.—Insuper *b)* una operatio animæ, cum fuerit intensa, impedit aliam. Id autem nullo modo contingeret, nisi primum principium omnium actionum humanarum esset unum per essentiam, quamvis *virtualiter* multiplex, in quantum, secundum ordinem formarum, magis perfecta continet in sua virtute quidquid habet minus perfecta et aliquid addit, sicut pentagonum continet tetragonum et illud excedit.

Prob. 2ª *pars* concl., nempe quod præter animam intellectivam *nulla sit forma alia quæcumque* dans primum esse corpori.

1° Hæc positio certo *conformior* est (ne amplius dicam) *fidei* documentis. Licet enim non fuerit directe ab Ecclesia

proposita, tamen tam clare ex Ecclesiæ definitionibus eruitur ut vix rejici possit.—Sane *a)* Ecclesia, ut supra vidimus, declaravit animam rationalem esse *vere* et *immediate* humani corporis formam. Atqui, juxta conceptum scholasticum qui olim communiter vigebat, forma alicujus substantiæ nequit esse vera et immediata quin vere et immediate materiam attingat, eam ad determinatam speciem reducens. Ergo.—Hinc *b) Pius IX* (Litt. jam citatis 1860) docet animam rationalem talem esse in homine a qua corpus "et *motum* et vitam omnem et sensum accipiat". Quod magis est, idem Summus Pontifex (in Brevi dato Alph. Travaglini 1874) sic loquitur: "Libentius etiam videmus vos, proposito vestro fideles, eos tantum sodales vobis adsciscere constituisse qui teneant et propugnaturi sint doctrinas a Sacris Conciliis et hac Sancta Sede propositas ac nominatim *Angelici Doctoris principia de animæ intellectivæ unione cum corpore humano deque substantiali forma et materia prima*". Quamnam vero S. Thomas de hac conjunctione animæ et corporis sententiam doceat, jam perspeximus atque evidentius modo perspiciemus.

2º Itaque cum *Angelico* sic *ratiocinamur*.—Si præter animam intellectivam præexisteret in homine quæcumque alia forma substantialis per quam animæ subjectum esset ens actu, sequeretur *a)* animam non dare esse *simpliciter*, *b)* consequenter non esse formam substantialem, *c)* neque per adventum animæ fieri generationem *simpliciter*, *d)* nec per ejus recessum subjectum *simpliciter* corrumpi, sed *secundum quid* tantum. Atqui hæc omnia sunt manifeste falsa, utpote contraria sensui communi necnon conclusioni præcedentis articuli. Ergo. *Decl. Maj.* ex differentia inter formam *substantialem* et formam *accidentalem*. In hoc enim discrimen habetur quod forma accidentalis non dat esse simpliciter, sed esse *tale*, sicut calor facit suum subjectum non esse simpliciter sed esse calidum: ideo adveniente forma accidentali, non dicitur aliquid fieri vel generari simpliciter, sed fieri tale aut aliquo modo se habens; recedente autem eadem forma, non dicitur aliquid corrumpi simpliciter sed secundum quid. E contra forma substantialis dat esse *primum* et simpliciter, cui adjungitur esse accidentale; unde

per ejus adventum dicitur aliquid simpliciter generari et per ejus recessum simpliciter corrumpi.

Idcirco nulla alia forma substantialis admitti potest in homine nisi sola anima intellectiva quæ, sicuti virtute continet animam sensitivam et nutritivam, ita etiam *virtualiter* claudit omnes inferiores formas sive mixtorum sive elementarium corporum, ita ut ipsa sola præstet quidquid illæ in aliis separatim et multipliciter efficiunt.

Solv. obj. (contra 1am partem concl.).—Obj. 1.—Unum et idem principium nequit habere tendentias oppositas. Atqui caro concupiscit adversus spiritum. Ergo.

Resp. *D. M* :.. secundum easdem vires, *C*; secundum vires diversas, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

"Non est inconveniens, ait S. Thomas, aliquid idem existens secundum *diversas vires* vel *partes* moveri ad opposita; et ideo licet substantia animæ humanæ sit eadem sensitivæ et intellectivæ, tamen potest secundum diversas partes et vires moveri ad opposita, ut scil. sensus moveatur ad ea quæ sunt sibi propria et ratio ad ea ad quæ ordinatur." (Quodl. 11, Q. V, a. 5)

Obj. 2.—Corruptibile et incorruptibile non sunt unius substantiæ. Atqui anima intellectiva est incorruptibilis; aliæ vero, sc. sensitiva et nutritiva, sunt corruptibiles. Ergo.

Resp. *C. M.—D. m* :...aliæ animæ sunt corruptibiles de se, *C*; quin incorruptionem ex conjunctione cum anima intellectiva derivent, *N.—Neg. conseq.*

Obj. 3.—Homo convenit in genere cum brutis. Atqui anima brutorum est corruptibilis. Ergo.

Resp. *D. M* :...ita ut genus dicat solam formam vel animam sensitivam, *N*;...compositum corruptibile ex anima et corpore, *C.—C.m.—Neg. conseq.*

Formæ non collocantur in genere vel specie, sed *composita*. Compositum autem humanum seu homo corruptibilis est, sicut et alia animalia. Unde differentia secundum corruptibile et incorruptibile, quæ est ex parte formarum, non facit hominem secundum genus ab aliis animalibus differre.

Obj. 4 (contra 2am partem concl.).—Corpus humanum est corpus mixtum. Atqui in corpore mixto manent formæ elementorum, quæ substantiales sunt. Ergo præter animam

intellectivam datur in homine forma quædam sive principium corporeitatis. (Paulo secus atomistæ moderni.)

Resp. *C. M.—D.m* :...manent formæ elementorum actu, *N*; virtute, *C.—Neg. conseq.*

Elementorum quædam sunt proprietates vel qualitates *genericæ*, omnibus corporibus communes, aliæ vero *specificæ*. Priores quidem post mixtionem seu chimicam combinationem remanent, posteriores autem extinguuntur ita ut novæ prorsus proprietates specificæ resultent: quod sane fieri non potest nisi forma propria et substantialis mixti vel compositi formis elementaribus succedere dicatur. Unde istæ formæ cessant existere *actu;* verumtamen manent *virtute*, scil. in dispositione compositi ex qua analysis chimica per reactionem seu profundam alterationem illas valet educere [1].

1—Cf. Lorenzelli, *op. cit.*, Vol. II, p. 66-78.

QUÆSTIO SECUNDA

DE PRODUCTIONE HOMINIS

(I, Q. XC–XCII)

Prima hominis productio consideranda nobis est vel ex parte animæ (art. 1), vel ex parte corporis viri (art. 2), vel ex parte corporis primæ mulieris (art. 3), vel quoad tempus seu antiquitatem humani generis (art. 4), vel tandem quoad unitatem humanæ speciei (art. 5).

ARTICULUS I.

Utrum anima humana sit producta in esse per creationem, simul corpori unienda.

Præsentem quæstionem undique circumstant gravissimi errores.—1° Revocandæ sunt sententiæ *pantheisticæ* quarum modus diversus est apud diversos. *a)* Qui enim tenent (ut Auctor refert) Deum esse ens corporeum vel communem quamdam mundi formam dicunt animam humanam esse Dei *partem*. *b)* Qui ex pantheistis Deum uti ens spirituale agnoscunt animam esse statuunt veluti *effluxum* Dei. *c)* Plures vero Germani docent Deum esse quoddam indeterminatum, animam autem determinationem aliquam seu *phænomenon* Divinitatis.

2° Insuper doctrina hujus articuli militat contra *Materialistas* atque *Transformistas* materialismo addictos uti Vogt, Hæckel etc, qui hominem derivari antumant ab inferiori stirpe non solum quantum ad corpus, sed etiam quantum ad animam.—Eodem ictu percellitur *Generatianismus* seu *Traducianismus*, tum *physiologicus*, tum *psychologicus* nuper a Klee defensatus ; quorum systematum illud habet ex semine

corporali parentum, istud vero ex semine quodam *spirituali* animæ animam generari.

3° Tandem impetitur *Præexistentianismus* Origenis qui posuit animas omnium hominum ante corpora simul cum Angelis creatas fuisse, ita ut dein ob peccata commissa in varia corpora tanquam in carceres immitterentur.

Tres conclusiones contra triplex illud errorum genus seorsim proponendæ sunt.

Conclusio 1ª.—ANIMA HUMANA ESSE NON POTEST DE DEI SUBSTANTIA.—Id de *fide* est, præsertim post definitionem tam explicitam *Conc. Vaticani* (de Deo, can. 4): "Si quis dixerit res finitas tum corporeas tum spirituales aut saltem spirituales e divina substantia emanasse;—aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia;—aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam, A. S."

Et vero 1° *Augustinus*, enumerans (l. 3 de Orig. animæ, c. 15) quæ dicit esse "multum aperteque perversa et fidei catholicæ adversa", inter ea primum reponit assertum illud: "Deum animam non de nihilo, sed de seipso fecisse".

2° *Prob.* concl. *ratione*, scil. ex *proprietatibus animæ* et *Dei*.—Anima humana est quandoque intelligens in potentia, scientiam quodammodo a rebus colligit, atque habet diversas potentias. Jam vero hæc tria aliena prorsus sunt a Dei natura: siquidem Deus est actus purus, nihil ab alio accipiens neque ullam in se diversitatem admittens. Ergo repugnat animam humanam esse de Dei substantia.

Conclusio 2ª.—ANIMA HUMANA FIERI NON POTEST NISI PER CREATIONEM. — Non obstantibus dubiis opinationibus quorumdam Patrum et imprimis S. Augustini, hæc conclusio dicenda est nunc de fide vel saltem *fidei proxima*: quam etiam S. Thomas (de Pot. Q. III, a. 9) judicio Ecclesiæ *approbatam* declarat.

Sane 1° *Scriptura* id saltem innuit de anima primi hominis. Nam Deus, ut discrimen ostenderet inter animæ humanæ et animarum bestialium originem, dixerat (Gen. c. 1): *producant aquæ, producat terra animam viventem*; at de homine non ait: producat terra, sed formavit ipse hominem de limo terræ et *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*: quæ

verba significant spiritum a Deo factum et immissum esse in corpus Adami.

2º *Traditio* [1] communi consensu docet creationem animarum. Sic inter latinos Patres *S. Hieronymus* dicit (Ep. ad Pammach.) " *ecclesiasticum dogma* esse, ut Deus quotidie animas fabricetur. " Inter græcos audiamus *S. Joan. Chrysost.* (Hom. 23) : " Anima, inquit, nec generat nec generatur, nec ullum agnoscit patrem præter eum cujus voluntate creata est."

Unde in *Conc. Lat. V* legitur de anima humana : " Pro corporum quibus *infunditur* multitudine singulariter multiplicabilis et multiplicata et multiplicanda sit," ubi advertatur idem esse infusionem et creationem.—Præterea *Benedictus XII* inter errores quos rejiciendos Armenis præscripsit numerat *Generatianismum* [2].

3º Accedit *ratio* quæ tum Traducianismum tum Transformismum explodit. — *a)* Animæ rationali, cum sit forma subsistens, proprie et per se competit fieri. Atqui effici non potest ex aliqua materia præjacente : ergo per creationem. *Maj.* declaratur ex eo principio quod hoc modo alicui competit fieri, sicut ei competit esse. Illud autem proprie dicitur esse *quod* esse habet quasi in eo subsistens ; unde forma inferior non subsistens est id *quo* compositum est, proindeque proprie et per se non fit, sed fieri proprie convenit composito. E contra animæ rationali, utpote subsistenti, esse convenit tum ut *quo* tum ut *quod*, ideoque ipsa proprie et per se producitur. *Min.* ostenditur, quia anima humana fieri nequit ex materia *corporali :* sic enim esset naturæ corporeæ ; neque ex elemento *spirituali :* quippe sequeretur substantias spirituales in se invicem transmutari, quod est impossibile. Ergo reliquum est ut fiat per creationem.—*b)* Nemo igitur non videt quam absurda sit positio *Transformistarum*, præsertim de anima. Nam impossibile est virtutem activam quæ est in materia extendere suam actionem ad producendum immaterialem effectum. Atqui principium intellectivum in homine manifestissime transcendit materiam : habet enim, secus ac sensus, operationem in qua non communicat corpus ;

1—Cf. Bellarminus, *De amissione gratiæ et statu peccati*, l. IV, c. 11.
2—Cf. Mazzella, Disp. III, *De homine*, art. 3.

contra autem virtus seminis, quæcumque sit, materiæ inhæret et ab ea pendet. Ergo anima humana oriri non potuit ex evolutione virium inferiorum [1].

Quum jam demonstraverimus (Disp. I, Q. II, a. 5) potestatem creandi soli Deo competere posse ita ut quidquid creetur ab ipso *immediate* fiat, ruit sententia *Froschammer*, nempe parentes ipsos per vim peculiarem, sibi a Creatore inditam, animas filiorum ex nihilo producere.

Conclusio 3^a.—Anima humana tum creatur quum corpori infunditur.—Ita sentiendum est contra *Origenem* (cujus opinionem Kant et Schelling ad mala explicanda renovarunt), necnon contra *alios* qui Præexistentianismum quemdam mitigatum, omissa præsuppositione peccati, amplexati sunt.

1°—*a)* Opinio Origenis damnata est a *Conc. Bracharensi* (563) et a *Syn. Constantinop.* sub Menna; *b)* positio autem altera repugnat *traditioni* fere universali, cujus testis est *S. Leo* (Ep. 15, al. 93, c. 10) dicens: " *Catholica fides* constanter prædicat atque veraciter quod animæ hominum, prius quam suis inspirarentur corporibus, non fuere [2] ".

2°—*a) Summa ratio* hæc est. Deus primas res instituit in ea conditione quam uniuscujusque creaturæ species exigebat. Atqui anima, cum sit pars humanæ naturæ, non habet naturalem debitamque sibi perfectionem nisi secundum quod est corpori unita. Ergo non fuit conveniens animam sine corpore creari.—*b)* Adversa positio orta esse videtur ex *falso supposito* quod anima habeat per se speciem et naturam completam, aut quod non uniatur corpori ut forma, sed solum ut motor ad ipsum administrandum.

Solv. obj. (contra 2^{am} concl.).—Obj. 1.—Petitur ex auctoritate S. Augustini qui sententiam nostram rejicere videtur (Ep. ad Optatum et alibi).

Resp: [3] 1° S. Augustinum *dubium* hæsisse inter Creatianismum et Generatianismum, reliquas vero sententias improbasse; 2° dubitandi rationem ei fuisse propagationem peccati originalis; 3° nihilominus inclinasse in sententiam quæ docet animas creari.

1—Cf. I, Q. CXVIII, a. 2.
2—Cf. Mazzella, *loc. cit.*
3.—Ibid., p. 398.

Obj. 2.—Quod in se habet aliquid materiale fit ex materia. Atqui anima, cum non sit actus purus, in se habet aliquid materiale. Ergo.

Resp. *D. M :* ...aliquid materiale ut opponitur spirituali, *C ;* ut opponitur formali seu aliquid potentiale. *N.—C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

Essentia animæ, quatenus est in potentia ad esse illudque suscipit, se habet ut *materiale ;* esse autem participatum, dans ultimam actualitatem, se habet ut *formale.* Nulla tamen materia in anima est.

Obj. 3.—Omnis actus alicujus materiæ de materiæ potentia educi videtur. Atqui anima est actus seu forma materiæ corporalis. Ergo.

Resp. *D. M :* Actus non excedens capacitatem materiæ... *C;* actus excedens capacitatem illam, *N.—C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

Plura observanda sunt.—1° Id educitur de potentia materiæ quod est in potentia ejus, scil. in ea tanquam in causa non activa sed materiali, ita ut vi transmutationis resultet. Esse autem in aliquo tanquam in causa materiali importat habere esse dependens ab eo, quum omnis effectus in quocumque genere causæ a propria causa pendeat. Atqui causalitas materiæ non se extendit ad opera et esse intellectus, quæ illius vim *excedunt.* Ergo anima intellectiva non educitur *de potentia materiæ.*—2° Sequitur materiam nullatenus esse *causam passivam* animæ rationalis quæ sustentari a subjecto non indiget, sed esse meram conditionem *sine qua non* atque potentiam *receptivam* ejus.—3° Tamen materiæ convenit esse causam passivam et sustentativam *unionis* corporis cum anima rationali : siquidem hæc unio a materia pendet tanquam a subjecto sustentante.— Unde 4° pater dicitur causa filii ratione *dispositionis* quam inducit in materia ad recipiendam animam et ratione *compositi* resultantis ex unione quæ est terminus generationis.

ARTICULUS II.

Utrum corpus primi hominis fuerit immediate a Deo productum et convenienter dispositum.

1° Ut ex titulo ipso apparet, duo consideranda proponuntur, unum de *productione* corporis Adami, aliud de *dispositione* ejusdem corporis.

2° Claritudinis gratia, notatum volumus *immediatam* Dei actionem hic supponere pro actione distincta a prima materiæ creatione aut a cooperatione illa qua Deus coagit in omni operante proindeque significare specialem et extra-naturalem corporis formationem.

3° Generatim quidem constat ex divinis Litteris hominem a Deo formatum fuisse de limo terræ ita ut, elementis de utroque genere spirituali et terreno in ipso convenientibus, merito diceretur *minor mundus*, quasi ex omnibus rebus compositus.—At vero, *Transformismo* in lucem producto atque invalescente, quæsitum est a quibusdam catholicis num, salva fide, systema illud posset necne aptari explicandæ origini hominis, non quidem quoad animam, sed saltem quoad corpus.—*Rationalistæ* et *Neoterici biblici* in Mosaica anthropogonia nonnisi *mythum* agnoscunt atque ideo Moysem appellare non verentur primum mythographum.

4° Tandem (cum Mazzella) recolere juverit *a)* aliquid esse posse de fide *divina*, utpote clare contentum in revelatione, quin sit de fide *catholica* seu ad credendum ab ipsa Ecclesia authentice propositum; *b)* hanc autem propositionem fieri posse " sive solemni judicio sive ordinario et universali magisterio ". (Conc. Vatic. Const. *Dei Filius*, c. 3; cf. etiam Pius IX, Litt. ad Archiep. Monac. et Frising. 1863). Quod si *c)* aliqua doctrina non esset *de fide*, sed fidei tantum proxima vel certa, haud sequeretur eam posse licite negari. (Cf. Syllab. prop. 22)

Hisce præstitutis, duas conclusiones lectori objiciemus.

Conclusio 1ª.—Fides docet corpus primi hominis fuisse a Deo saltem de facto immediate formatum, ratio autem non aliter formari potuisse demonstrat.

Prob. 1ª *pars*, in qua contendimus doctrinam de *imme*

diata productione corporis primi hominis, saltem probabilius, spectare *ad fidem* tum *divinam* tum *catholicam*.

1° *Ex Scriptura.*—Nam in Gen. aliisque sacris libris formatio illa Deo tribuitur sine facta mentione agentis intermedii. *Faciamus hominem ad imaginem* etc...*Et creavit Deus hominem ad imaginem suam... masculum et feminam creavit eos* (Gen. I, 26-27). *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ* (Ibid. II, 7). *Deus creavit de terra hominem* (Eccli. XVII,1).—Imo emphasis quædam aliquando adhibetur, v. g. apud (Job, X, 8-9): *Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me totum in circuitu...memento, quæso, quod sicut lutum feceris me.*

2° *Ex traditione*, cujus vox in Patrum et Doctorum scriptis unanimiter resonat.—*Patres* enim distinguunt triplicem Dei actionem: *creationem* materiæ, *formationem* humani corporis, *inspirationem* animæ. Ita *S. Greg. Naz.* (Orat. 38) et *S. Augustinus* (de Civ. Dei, l. XIV, c. 11).—Admirantur formationem hominis, etiam quoad corpus, tanquam speciale divinæ potestatis opus. Sic *Rupertus Abbas* (Comm. in Proph. min. in Habacuc, l. 3): " Equidem cœli et terra et mare et omnia quæ in eis sunt opera sunt Domini, sed homo quoddam opus speciale est Domini, opus manuum Domini. Nam dixit Deus de cæteris et facta sunt; ut autem hominem faceret, assumpsit lutum et plasmavit et fecit opus manuum ".—*Scholastici* cum D. Thoma Patribus assentiuntur.

Prob. 2ª *pars*, nempe primam formationem humani corporis *non posse* repeti ab aliqua virtute creata, sed esse necessario a Deo.—Re quidem vera hæc formatio vel ab homine, vel ab Angelis, vel ab agentibus naturæ inferioris, vel ab ipso Deo de ducenda est. Atqui tres primæ hypotheses stare non possunt.—*Non ab homine:* siquidem nullum corpus humanum præexistebat, cujus virtute per viam generationis aliud simile in specie formaretur.—Non *ab Angelis*, saltem principaliter: nam, quia oportet agens esse simile facto, Angeli non possunt, immediate et sine adhibitis propriis seminibus, nec formam quæ sit in materia nec compositum materiale producere. (Cf. supra, Disp. IV, Q. III, a. 2)—Non *ab agentibus inferioris ordinis* (uti Transformistæ volunt): nam *a)* dispositio propria et immediata corporis ad formam est in eodem

ordine ac forma ipsa ideoque fieri non potest nisi ab eo qui hanc formam possideat vel formaliter vel eminenter. Atqui quodcumque agens mere physicum aut sensitivum specifice distat ab ordine animæ rationalis. Ergo. Sane *b)* si quod animal esse potuisset ratio dispositiva humani corporis, illud procul dubio *simia* foret. Jamvero, etsi concedi debeat similitudo quædam *generica* inter organa simiarum et hominum, multæ tamen (omittimus discrepantias ordinis intellectualis) dissimilitudines exstant [1] quæ oriuntur ex diversa exigentia formæ specifice diversæ ; v.g. simia pilosa est, habet staturam pronam, est quadrumana, non ambulat sed scandit, homo e contra pilis caret, statura erecta gaudet, nonnisi duas manus habet duobusque pedibus ambulat, etc : quæ omnia ex diversitate elementi constitutivi et structuræ organicæ manifeste dependent (cf. mox dicenda in concl. sequenti). Hinc Transformistæ fateri coguntur se modo ignorare annulos intermedios per quos hominem a typo animali derivandum dicunt, ideoque ad ignotum appellant. Quis methodum hanc veluti veritatis et scientiæ viam approbet ?

Ergo concludendum est minime potuisse humanum corpus per evolutionem virium naturalium efformari et disponi ad animam rationalem suscipiendam, sed indiguisse immediata Dei actione.

Conclusio 2ª. — HUMANUM CORPUS FUIT A DEO CONVENIENTISSIME DISPOSITUM.

Hanc haberi dispositionis convenientiam *a priori* declaratur.

Etenim cunctæ res naturales, ab arte divina effectæ, sunt quodammodo Dei artificiata. Jamvero quilibet artifex intendit suo operi dispositionem optimam inducere non simpliciter, sed per comparationem ad finem ; et, si talis dispositio adjunctum secum habeat aliquem defectum, ipse non curat : v. g. artifex qui facit serram ad secandum propterea facit eam ex ferro, non autem ex vitro quod est pulchrior materia, ne impediatur finis. Ergo Deus unicuique rei naturali contulit optimam dispositionem, non quidem simpliciter, sed secundum ordinem ad proprium finem. Atqui *finis proximus* humani

1– Cf. Vigouroux, *op.* sæpe *cit.*, Vol. III. p. 411-436.

corporis est perfectio animæ rationalis tum quoad esse tum quoad operationem: materia enim deservit formæ, instrumentum autem principali agenti. Ergo Deus instituit humanum corpus in optima dispositione secundum ea quæ conveniunt tali formæ ejusque operationibus; nec de defectibus inde sequentibus curavit, utpote qui resultant ex necessitate materiæ adhibitæ ad hoc ut debita proportio corporis ad animam et ad animæ actus constituatur.

Idipsum *inductive* apparet, sive consideretur *esse* hominis, sive *operatio* ejus propria, nempe rationalis.

Etenim 1º humanum corpus, *formæ nobiliori* adsociatum, pollere decebat nobili, tenera et æquali complexione. Idcirco cornua et ungulæ quæ sunt quorumdam animalium arma, spissitudo corii, pilorum atque plumarum multitudo quibus singula teguntur, quum abundantiam terrestris elementi demonstrent, homini non competebant. Verum — quod potius est—rationem habet et manus quas vocat Aristoteles *organa organorum*, quibus sibi potest arma, tegumenta aliaque vitæ necessaria pro lubitu parare et infinitis modis, secundum quod intellectus, diversissimarum conceptionum capax, infinita pene media et instrumenta excogitare valet.

Præterea 2º dispositio humani corporis maxime considerari debet in ordine ad *operationem intellectivam* tum *in se* tum in sua *significatione* tum in sua *executione* acceptam, et sub hoc triplici respectu optima censenda est.— *a)* Sensitivitas enim, exterior mediate, interior autem immediate intellectui deservit. Jamvero humanum corpus taliter conformatum est *physiologice* et *morphologice* ut sensus hominis, simpliciter loquendo, sensibus animalium præstarent. Siquidem homo inter omnia animalia sortitus est temperatissimam compositionem organicam; unde sensus tactus, qui est fundamentum totius sensitivitatis etiam interioris, perfectior est in homine quam in quocumque alio animali. Quare, accedentibus atque faventibus quantitate relativa cerebri hujusque elevatione super omnes corporis partes ita ut operationes sensitivæ *interiores* liberius perficiantur, homo quantum ad has vires quæ sunt sensus communis, phantasia, æstimativa et memoria, cuncta alia animalia præcedit. Quantum vero ad sensus *exteriores*, licet ex conditione et perfectione humani cerebri sequatur quædam inferioritas

quoad bonitatem olfactus, quoad acumen visus et subtilitatem auditus, tamen situatio organorum sensuum et humanæ faciei, in qua præcipue vigent, convenientissima est. Sensus enim homini dati sunt non modo ad cognoscenda vitæ corporali necessaria, sed etiam ad veritatem speculativam et practicam, præsertim per oculum et aurem, colligendam. Quocirca providissimo Dei consilio factum est ut homo, non quidem in terram pronam, sicut animalia inferiora, sed erectam faciem haberet, quaquaversus mobilem atque vertibilem, ut infima, media et suprema conspicere et ex omnibus sensibilibus sive terrestribus sive cœlestibus intelligibilem veritatem percipere posset.—*b)* In ordine ad *significationem* operationis intellectivæ, notanda est in homine tenuitas linguæ et labiorum, atque maxima eorum mobilitas; ex quo sequitur modus sumendi cibos diversus a modo animalium inferiorum, nec non totius organi vocalis perfectior structura et articulabilitas.—*c)* In ordine tandem ad *executionem* humanarum volitionum, eminet vis locomotiva atque motiva, quatenus homo per membra locomotioni deservientia et per manus mirabili dexteritate præditas potest exequi omnem fere motuum speciem omneque operum genus conficere [1].

Solv. obj. (contra 1^{am} concl.).—Obj. 1.—Justa S. Augustinum (III de Trin. c. 4), corporalia disponuntur a Deo per angelicam creaturam. Atqui corpus humanum formatum est ex materia corporali : ergo mediantibus angelis.

Resp. *D. M* :...quantum ad aliqua, *C* ; quantum ad omnia, *S.d* : immediate et principaliter, *N* ; mediate et instrumentaliter, *Transeat*.—*C.m.*—*Neg. conseq.*

Etsi Angeli aliquod ministerium Deo exhibeant in iis quæ circa corpora fiunt, tamen ipsi non possunt saltem per modum *causæ principalis* opera miraculosa et supernaturalia perficere, v. g. suscitare mortuos, illuminare cæcos. Porro formatio corporis de limo terræ ad hoc operum genus spectabat.—Quemadmodum autem in ultima resurrectione ministerium quoddam *instrumentale* exercebunt colligendo pulveres, ita fieri *potuit* ut simile ministerium in illa formatione exhibe-

1—Cf. præclarissime disputata a Bossuetio in opere philosophico : *La connaissance de Dieu et de soi-même*, ch. 2.

rent, scil. congregando materiam vel elementa ad humanum corpus virtute Dei constituendum destinata.

OBJ. 2.—Nihil fit ex materia corporali nisi per aliquam materiæ transmutationem. Atqui omnis transmutatio corporalis subjicitur influxui cœlestium motuum et agentium. Ergo corpus primi hominis mediante hoc influxu efformatum est.

RESP. *C. M.—D.m* : omnis transmutatio quæ fit naturaliter, *C* ; quæ fit præter naturæ ordinem et sola virtute divina, *N.—Neg. conseq.*

OBJ. 3.—Dicit. Augustinus (7 super Gen. ad litt. c. 24) hominem factum esse quoad corpus in operibus sex dierum secundum causales rationes quas Deus creaturæ corporali inseruit ; posthac vero formatum fuisse in actu. Atqui quod præexistit in creatura corporali secundum causales rationes per aliquam virtutem corpoream produci potest. Ergo. (Non aliter ratiocinantur Transformistæ.)

RESP. *D. M* :...quas Deus inseruit secundum potentiam tum passivam tum activam, *N* ; secundum potentiam passivam tantum, *C.—C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

Aliquid dicitur secundum rationes causales in creaturis præexistere dupliciter : uno modo per potentiam *activam* et *passivam*, ita ut non solum ex materia præexistente fieri possit, sed etiam ut aliqua præexistens creatura hoc facere valeat ; alio modo per potentiam *passivam tantum*, ut scil. de materia præexistente fieri possit a solo Deo, et hoc sensu intelligendum est verbum Augustini.

ARTICULUS III.

Utrum prima mulier debuerit a Deo formari de costa viri.

Humana natura, quia generabilis et corruptibilis est, instruitur facultate conservativa speciei secundum quod indoles proprii finis postulat. Jam vero in solis viventibus corporeis ordinatis tantum ad fructificationem et *reproductionem*, i. e. in solis plantis et in quibusdam animalibus imperfectis, inve-

nitur in uno individuo tota virtus formativa alterius similis secundum speciem, nempe virtus generativa activa et passiva semper sibi conjunctæ ; in animalibus autem perfectis, quæ ad *opus vitæ nobilius* quam generatio principaliter ordinantur, virtus generativa activa et passiva separatæ inveniuntur in distinctis individuis : ex quo procedit distinctio sexuum. Multo magis id fieri debuit in homine qui ordinatur ad nobilissimum vitæ opus, quod est intelligere.—Quare duo prima individua humanæ speciei secundum sexualem distinctionem formata sunt, prouti narrat Gen. (II, 18) : *Non est bonum hominem esse solum ; faciamus ei adjutorium* (scil. principaliter ad generationem) *simile sibi.*

Quæstio autem oritur quanam de *materia* Eva formanda erat et a quonam *agente ;* quibus ut satis fiat, triplex conclusio determinabitur.

Conclusio 1ª.—CONVENIENS FUIT IN PRIMA RERUM INSTITUTIONE MULIEREM EX VIRO FORMARI.

1º *Factum* ipsum disertissimis verbis refertur (Gen. II, 18-24). At vero nonnulli, ut Origenes et Cajetanus, opinati sunt illa verba intelligenda esse non proprie, sed *metaphorice* et per quamdam parabolam.—Quæ *opinio* tanquam improbabilis *rejicienda est.* *a)* Scriptura namque, juxta vulgatam Hermeneuticæ legem, debet exponi in sensu proprio et non ad metaphoras detorqueri, maxime dum historiam narrat, nisi sufficiens ratio, scil. vel auctoris scopus aut declaratio, vel ipsa rei natura, contrarium suadeat. Atqui *ex una parte,* nedum declaratio hujusmodi habeatur, ubicumque Scriptura creationem mulieris refert, sensus proprii interpretationem confirmat. Sic legitur (Eccli. XVII, 5) : *Creavit ex ipso adjutorium simile sibi.* (Act. XVII, 26) : *Deus fecit ex uno omne genus humanum ;* quod falsum foret, si Eva ex Adamo non esset. (1 Cor. XI, 8) : *Non vir ex muliere est, sed mulier ex viro.* Quid manifestius ? *Ex altera parte,* quidquid (cum Reuss) effutiant Rationalistæ juxta quos narratio Geneseos est mythus, nihil in hoc facto impossibile deprehenditur. Cur enim qui mundum de nihilo creavit mulierem de latere viri formare non potuerit ? *b)* Quamvis sententia de sensu metaphorico numquam ab Ecclesia damnata fuerit, *communis* tamen Patrum et Doctorum interpretatio pro sensu proprio aperte militat.

2° *Convenientia* formationis Evæ ex Adamo quadruplici ratione illustratur.—*a) Prima* ratio sumitur ex *dignitate* primo homini servanda, quatenus sicuti Deus est principium totius universi, ita etiam decebat ut Adam magis quam alia animantia principium totius suæ speciei existeret.—*b) Secunda* nititur maximâ illâ, quæ esse debet in humano connubio, *dilectione*. Cum enim in humana specie mas et femina per totam vitam commanere teneantur, quod in aliis animalibus non contingit, fortissimum requiritur amoris vinculum ad hanc unionem conservandam. Jam vero pronum erat ut vir, cognoscendo mulierem ex sua substantia esse productam, magis eam diligeret atque inseparabilius ei adhæreret. Unde dicitur (Gen. II, 25) : *De viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ.*—*c) Tertia* ratio ducitur ex *ordine* conjugalis societatis ; quæ quum sit instituta non solum propter necessitatem generationis sed etiam propter vitam domesticam, in adimplendis hujus vitæ officiis femina socia est viri et quasi *cor* familiæ cujus ille est *caput* : quod formatio ex viro convenienter demonstrat.—*d) Quarta* tandem ratio *sacramentalis* est ; per hoc enim prænuntiabatur Ecclesiam a Christo initia sumpturam esse. Unde Apostolus (Eph. V, 32), post citata verba Geneseos (II, 24), subjungit : *Sacramentum hoc magnum est ; ego autem dico in Christo et in Ecclesia.*

Conclusio 2ª.—NON MINUS CONGRUUM FUIT EVAM FORMARI DE COSTA ADAMI.

1° Prob. *ex parte finis.*—Sane *ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem* (Gen. II, 22) maxime propter duo : *Primo,* ut significaretur inter virum et mulierem debere esse *socialem conjunctionem ;* neque enim mulier debet dominari in virum, sed vir in mulierem propter majorem rationis discretionem, et ideo non est formata de capite; neque debet a viro despici tanquam serviliter subjecta, et ideo non est formata de pedibus, sed de latere ejus, quasi viri socia et collateralis. *Secundo,* propter *sacramentalem significationem ;* per hoc enim præfigurabatur futura Ecclesiæ formatio de latere Christi in cruce pendentis, quatenus ex illo fluxerunt sanguis et aqua quæ sunt symbola Sacramentorum quibus nobis applicatur pretium redemptionis nostræ : quippe per aquam intelligitur baptismus qui est

Sacramentorum janua, et per sanguinem Eucharistia quæ est eorum consummatio et finis, ita ut hæc duo cætera comprehendant.

2° Conveniens ex parte finis, singularis illa primæ mulieris formatio nullum incommodum involvit *ex parte materiæ.*—*a)* Nam illa costa de qua Eva processit fuit *de perfectione Adæ*, non prout erat quoddam individuum, sed prout erat principium speciei, sicut semen est de perfectione generantis atque operatione naturali resolvitur. Unde auferri potuit quin Adam vel dolorem vel imperfectionem pateretur.—*b)* Quemadmodum autem Christus ex quinque panibus quinque millia hominum satiasse legitur, ita Deus ex una costa tanquam ex elemento fundamentali integram mulierem formasse credendus est, *addita nova materia* vel per creationem vel (quod probabilius est) per conversionem substantiæ præexistentis.

Conclusio 3ᵃ.—PRIMA MULIER IMMEDIATE A DEO FORMATA EST.

Prob. 1° *ex S. Augustino* (9 supra Gen. ad litt. c. 15): " Formare, inquit, vel ædificare costam ut mulier esset non potuit nisi Deus, a quo universa natura subsistit."

2° *Ratione.*—Uniuscujusque speciei generatio naturalis est ex determinata materia, secundum rei generandæ determinatam naturam. Atqui materia ex qua naturaliter homo generatur est parentum semen. Ergo individuum humanæ speciei nequit naturaliter ex alia quacumque materia progigni. Jam vero solus Deus, qui est naturæ institutor, potest præter naturæ ordinem res in esse producere. Ergo et solus Deus potuit, sicuti virum de limo terræ, ita et mulierem de costa viri educere.

ARTICULUS IV.

De humani generis antiquitate.

Facillime quidem, præsertim ab iis qui sententiam de diebus-periodis tenent, conceditur *mundum* esse perantiquum : quænam vero ætas atque antiquitas *hominis* agnoscenda sit non liquido constat.

1º Quum Scriptura neque in uno loco neque ex professo chronologiam tradat, factum est ut etiam *apud catholicos* jam a primis Ecclesiæ sæculis maximæ opinionum discrepentiæ invalescerent. *Potior diversitatis fons* habetur in varietate numerorum ipsius textus originalis, prouti nobis innotescit ex tribus variis lectionibus, scil. ex hebraica, samaritana et græca Septuaginta : siquidem, juxta textum hebraicum quem Vulgata sequitur, a creatione hominis usque ad Christi nativitatem computandi sunt circiter 4023 anni, juxta textum samaritanum 4324, juxta textum græcum 5389. In martyrologio quod sequitur partim versionem LXX, partim alios textus, an. 5119 numerantur. Doctores idcirco minime inter se concordant, ita ut Des Vignoles [1] plures quam 200 supputationes recensuerit quarum inferior an. 3483 ponit, superior vero 6984.

2º—*a) Increduli* elapsi sæculi cum *Voltaire* ulterius progressi sunt ; qui, ut Scripturarum veritatem perimerent, ex annalibus veterum populorum necnon ex quibusdam astronomicis experimentis aut fabulis corrogarunt quidquid biblicæ chronologiæ adversari videbatur.—*b)* Inter *cultores scientiarum naturalium* sunt qui cum *Lyell*, *Hæckel* etc, ætatem hominis ad 100,000 et amplius annorum numerum protrahere non dubitant, imo nonnulli 200,000 aut 250,000 annos admittendos esse declarant atque autumant vestigia hominis in epocha tertiaria deprehendi.

3º Quid in tanta opinionum varietate theologo sentiendum sit tribus sequentibus conclusionibus aperiemus, primum rejiciendo falsas quasdam responsiones, dein proponendo quod verius est aut saltem nobis verius esse videtur.

Conclusio 1ª.—ERRANT QUI TENENT POSSE FALSITATEM IN RE CHRONOLOGICA SCRIPTURIS SUBESSE.

Ad præcavendas incredulorum impugnationes, quidam dixerunt *a)* Auctores sacros non ex revelatione, sed ex humana traditione accepisse quæ ad chronologiam pertinent adeoque in his potuisse decipi ; eo vel magis *b)* quia chronologia nec cum scopo Moysis nec cum rebus fidei et morum intime colligatur, sed obiter tantum traditur.

1—*Chronologie de l'Hist. sainte*, Préface.

Respondemus 1° discrimen ponendum esse inter revelationem et *inspirationem*; hanc vero, Scripturæ propriam, id efficere ut quæ movente Deo scribuntur, etsi naturaliter nota, infallibili veritatis certitudine scribantur.[1] Quare potuit fieri ut Moyses nomina et annos patriarcharum ex humana traditione noverit, non vero ut in iis referendis erraverit.—Nam 2° quicumque sit valor theologicus rerum scripturalium, si semel constet aliquid, v.g. chronologiam, in aliquo libro inspirato contineri, impossibile est ut illud non sit verum: juxta enim Conciliorum decreta, libri sacri sunt canonici et inspirati *cum omnibus suis partibus*.[2] Quis autem dixerit falsitatem posse cum inspiratione divina componi?

Conclusio 2ª.—CHRONOLOGIA HUMANI GENERIS NON ITA FIXA PUTANDA EST UT INTRA LATIORES LIMITES LIBERE VAGARI PROHIBEATUR.

1° *Ecclesia* hac super re nihil unquam definivit: quod patet tum ex absentia cujuslibet documenti positivi, tum ex eo quod diversissimæ doctorum sententiæ tolerantur.—Fatemur equidem *Vulgatam* latinam, in qua brevior chronologia invenitur, fuisse declaratam a Conc. Tridentino authenticam. Verum hoc importat respectivam tantum et substantialem authentiam, non autem absolutam atque indefinitam[3]. Ergo hæc quæstio ad illud rerum biblicarum genus pertinet quæ, ut ait S. Thomas, non respiciunt fidei substantiam, quæque, dummodo Scripturæ veritas incolumis maneat, libere ab interpretibus agitari queunt.

2° Opportuna succurrunt eruditissimi viri *Petavii* verba, qui jam ante recentiores scientiarum naturalium provectus notabat[4] "annorum ab orbe condito ad hæc tempora numerum neque certa ratione compertum esse neque citra divinam significationem posse comperiri; errare proinde qui id non modo arte definire audent, sed qui alios insuper, quod ad summam suam aliquid adjecerint aut detraxerint, proterve atque arroganter insectantur." Hæc enim non solum ad orbis materialis sed et ad hominis ætatem spectant, quum Petavius veterem sententiam de diebus solaribus profiteretur.

1—Cf. Ubaldi, *Introductio in Sacram Scripturam*, P. I, th. 45.
2—Ibid. th. 46.
3—Ibid. th. 29.
4—*De doctrina temporum*, t. II, l. IX, c. 6.

3° Plurima sunt dubitandi momenta quæ vel incertitudinem chronologiæ pariunt vel antiquitatem humani generis ultra limites communius positos removere videntur.—*a)* Imprimis, ut sentit Molloy [1], improbabile non est *errorem* irrepsisse, vitio amanuensium vel alia de causa, in tres textus antiquiores, ita ut non omnes numeri dati a Moyse in scripto originario ad nos devenerint.—*b)* Immo quam plures eruditi, quibus jam olim doctissimi scriptores ut Melch. Canus præiverant, merito suspicantur in texenda patriarcharum genealogia fieri potuisse ut Genesis multos intermedios annulos *omitteret* atque præcipua tantum nomina, nempe decem ante et decem post diluvium, causa juvandæ memoriæ, recenseret. Neque hujus rei aliis in locis exempla similia desunt : sic enim in Evangelio Matthæi tria nomina certo spectantia ad Christi genealogiam suppressa inveniuntur atque vox *genuit* pro generatione *mediata* sumitur.—*c)* Accedunt *geologicæ* et *palæontologicæ observationes* quæ, propter detecta humanæ artis atque existentiæ vestigia in profundioribus stratis telluris, semotis exaggeratis supputationibus, a pluribus cordatis viris etiam catholicis habentur tanquam clara maximæ antiquitatis hominis indicia. Hinc cl. *Vigouroux* [2] : " Hoc, inquit, uti demonstratum admittere debemus, hominem antiquiorem esse quam olim, antequam studia geologica proficerent, existimabatur : id quippe palæontologia demonstrat."

Conclusio 3ª.—Nulla scientifica ratio hucusque adducta tam cogens videtur ut extremos limites ætati humani generis a Doctoribus assignatos prætergredi debeamus.—Ita Ubaldi, Mazzella aliique plures.

Revera 1° ut cogeremur omnino deserere chronologiam quam communis Doctorum traditio non sine aliqua variatione nobis transmisit, *pro certo* habendum foret eam esse falsam. Porro hæc certitudo nullatenus constat, prouti mox ex objectionum solutione patebit.

2° Præsto est *testimonium* celebriorum geologorum, præsertim cl. *De Lapparent* [3], qui inter alia hæc pronuntiat de epocha quaternaria cui homo coævus est : " In factis geolo-

1—*Géologie et Révélation*, trad. Hamard, 1881, p. 331.
2—*Les livres saints et la critique rationaliste*, t. III, p. 498-99.
3—*Traité de Géologie*, p. 115.

gicis ætatis quaternariæ nihil prorsus invenimus in quo fundari possint nimiæ supputationes quibus plurimi scriptores indulgent. "—Ipsi Bibliorum adversarii ut *Lyell* [1] idipsum fateri tandem adacti sunt.

Solv. obj. (contra 3^{am} concl.).—Obj. 1.—Arguunt imprimis increduli ex annalibus veterum populorum eorumque astronomicis experimentis.

Resp: Nihil hactenus repertum esse in documentis *historicis* atque *litterariis* sive Indorum sive Sinensium sive Ægyptiorum sive Assyriorum quod *certo* vindicet humano generi ætatem illa antiquiorem quam versio LXX tradit, uti supra laudatus Vigouroux singillatim ostendit. Aliud enim sunt fabulosæ narrationes, hypotheses et conjecturæ, computantium assertiones prorsus gratuitæ, aliud vera et proprie dicta historia.—Insuper, quæ adducunt de *astronomicis* gentium illarum documentis omni vi demonstrativa carent. Vel enim illæ observationes mundi, non hominis ætatem respiciunt; vel (ut notat La Place [2]) recentiores sunt, vel nullam cum eo quod probandum est relationem habent.

Obj. 2.—Arguunt iterum primo *a priori* ex eo quod homo, ab initio barbarus, nonnisi lento incessu ad statum civilitatis devenire potuerit; deinde a *posteriori* ex divisione trium periodorum, nempe *lapidis*, *æris* et *ferri*, quas sibi successisse tenent per longa temporum intervalla propter situm et profunditatem in qua instrumenta lapidea, ærea et ferrea inveniuntur.

Resp: 1° *Primam* assertionem gratuitam esse atque historice falsam. *a) Gratuita* quidem est, nam rationis evolutio in homine, urgente præsertim necessitate, non ita lenta esse solet; *b)* item *historice falsa* est, siquidem didicimus ex una parte primos homines ab ipsa Divinitate fuisse edoctos, ex alia vero post lapsum humani generis quosdam populos ex rudi statu, paucorum sæculorum spatio, ad summam perfectionem devenisse, uti factum est de Græcis aliisque Europæ populis.—2° *Altera* assertio arbitraria prorsus videtur. Nec enim præfata trium periodorum successivarum divisio est stabilis,

1—*L'ancienneté de l'homme*, p. 356 et 412-413.
2—*Exposition du système du monde*, l. V, ch. 1.

quum instrumenta ex quibus arguunt inventa quandoque fuerint inverso ordine vel saltem simultanee atque reapse ex historia constet usum *lapidis, æris* et *ferri* pro diverso culturæ gradu apud diversas gentes, imo et apud eamdem, simul exstitisse. Nec etiam, supposita illa, quam volunt, ætatum progressione, determinatum manet quantum annorum spatium singulis periodis conveniat.

Obj. 3.—Ducitur ex quibusdam vestigiis humanis, nempe ex vetustis *operibus* ut tumuli ex terra vel lapidibus confecti, habitationes lacustres, cumuli conchyliorum, in quibus instrumenta aut vasa fictilia rudioris formæ inventa sunt quæque situs ipse perantiqua esse docet, necnon ex *fossilibus* ossibus hominum quæ una cum ossibus animalium ad species deperditas pertinentium detecta fuerunt.

Resp: 1º Quoad *tumulos*, jam docti concedunt eos pertinere ad epocham vel totaliter vel partialiter saltem historicam; morem enim hunc talia monumenta erigendi sive ad sepulturam cadaverum sive ad factorum quorumdam commemorationem apud historicas gentes viguisse testatur Virgilius (Æn. III, v. 62; XI, v. 849 et seq.) necnon Scriptura ipsa (Gen. XXXI, 45-47; Ex. XXIV, 4; Jos. IV).—2º Quoad *habitationes lacustres* et *cumulos conchyliorum* quæ longe a præsenti lacuum situ ac superficie distant quæque grossiora instrumenta continent, dicendum est nil inde pro fabulosa hominis antiquitate concludi posse. *a)* Certum est enim similia habitacula solo artificiali super aquas innixa in epocha historica constructa esse, ut videre est in Indiis Orientalibus et in insulis Oceani meridionalis. *b)* Rudiora vero instrumenta de quibus sermo est exstare potuerunt, ut supra diximus, etiam civilitatis tempore apud incultos populos. *c)* Insuper, quum naturæ priscarum ætatum vis major atque vehementior quam nunc sit propter diversum mundi statum agnosci debeat, non tam longum temporis intervallum requirebatur ut habitationes illæ lacustres atque conchyliorum agglomerationes in præsenti situ constituerentur.—3º Quoad *fossilia hominum ossa* notare sat erit, *a)* plures negare magnam antiquitatem specierum animalium quibus illa intermixta inveniuntur; *b)* præterea potuisse ista fossilia recentius asportari, v. g. per diluvium, quin homines coævi fuerint prædictarum specierum; *c)* demum quandoque illa ossa humana vel humana opera,

quæ ex variis conjecturis putabantur esse antiquissima, simul reperta fuisse cum nummis aliisque recentioris ætatis [1].

Obj. 4.—Desumitur ex homine quem vocant *tertiarium* seu ad epocham tertiariam pertinentem, quatenus inventi quidam silices hujus epochæ esse creduntur quos aliqualiter ab homine factos dicunt.

Resp : Quæstionem hanc, quæ per aliquot annos tantas controversias excitavit, sopitam modo solutamque videri.—1° Equidem nonnulli, quorum opinationi Monsabré ipse indulsit, ut objectæ difficultati satisfacerent, probabilem habuerunt existentiam entis cujusdam medii inter hominem et animal, veluti præcursoris humanæ speciei ; quasi nempe medium esse posset inter rationale et irrationale : quod absonum est atque inutiliter ponitur.—Nam 2° inter doctos *a)* non desunt qui dubitant an illi silices reapse pertineant ad epocham tertiariam ; *b)* alii non pauci hodie existimant eos casu, non humana arte esse confectos ; *c)* plerique tandem fatentur hominis tertiarii exstantiam minime esse demonstratam [2].

ARTICULUS V.

De unitate humani generis.

1° Quæstio de *unitate* tum *specifica* tum *numerica* humanæ propaginis, quam in hoc articulo enodandam suscipimus, arcto nectitur vinculo cum doctrina de hominis elevatione, lapsu atque per Christum reparatione. Ex quo intelligitur quare catholici *Monogenismum* seu systema de hominum ortu a communi stipite tam acri studio defensent, dum ex adverso plerique increduli in adstruendum Polygenismum totas vires et artes conferunt.

1—Cf. Ubaldi, *op. cit.* th. 38.—Mazzella, *De Deo creante.*—Vigouroux, *op. cit.*, quem præsertim in hac quæstione commendatissimum volo.

2—Cf. Duilhé de Saint-Projet, *Apologie scientifique de la foi chrétienne.*—Vigouroux, *op. cit :* Lettres de l'abbé Delaunay.

2º—*a)* Duplex est *Polygenismi* forma: Præadamismus atque Coadamismus. Sæculo XVII La Peyrère e Calvinistarum secta (qui tamen errorem suum postea retractavit et ipsum Calvinismum abjuravit) docuit ante Adamum, de quo agitur Gen. II a v. 7, jam extitisse hominem cujus formatio, aiebat, narratur Gen. cap. I; hunc fuisse parentem Gentilium, Adamum vero Judæorum. Unde *Præadamitarum* systema; cui plures præsertim Americani scriptores, forte ad excusandum nigrorum commercium atque servitutem (quasi isti essent altera quædam et vilis species) temporibus nostris adhæserunt. *Coadamitæ* tenent varias hominum stirpes non ab uno pari tantum sed a pluribus paribus Dei vel naturæ virtute formatis esse derivatas.—*b) Antiquiores* quidem polygenistæ concedebant humanam speciem esse unam; *recentiores* vero a Virey usque ad Hæckel aliosque Transformistas ejusdem farinæ audacter negant, speciesque multiplicant pro opinionum lubitu.

3º Præstat hic in mentem revocare pernecessariam illam distinctionem quæ inter speciem et varietatem viget. *Species* enim (de infima, non de suprema aut media loquimur) definiri potest: natura prædicabilis æqualiter de pluribus numero differentibus, ut completa eorum essentia; *varietas* vero vocatur diversitas quædam intra speciei limites accidentalis etsi notabilis; quæ si fixa et constans generatione transmittatur, *stirpem* constituit.

Conclusio.—TOTUM HUMANUM GENUS AB ADAMO ET EVA ORIGINEM SUMPSIT, SECUNDUM SPECIEI UNITATEM.

1ª *Pars* hujus conclusionis *de fide* est, uti patet ex sequentibus.

Prob. 1º *ex Scriptura, a)* contra Præadamitas. Concedit enim La Peyrère creationem primi simpliciter hominis referri Gen. I, 27. Atqui hic homo idem est ac Adam, de quo agit Gen. II a v. 7: quippe dicitur (II, v. 5): *Et homo non erat qui operaretur terram.* (II, 18): *Non est bonum esse hominem solum; faciamus ei adjutorium* etc. Ergo.—*a)* Contra Coadamitas plura loca etiam manifeste militant. (Gen. III, 20): *Et vocavit Adam nomen uxoris suæ Evam, eo quod mater esset cunctorum viventium.* (Act. XVII, 26): *Fecitque* (Deus) *ex uno omne genus hominum habitare super universam faciem terræ.* (Rom. V, 12): *Per unum homi-*

nem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt ; quo in textu tria continentur, scil. omnes simpliciter homines labe originali esse infectos, idcirco omnes esse morti innoxios, quia omnes ex uno communi stipite vitiatam originem traxerunt.

2° Universa *traditio* [1] per *Augustinum* loquitur dicentem (Tract. 9 in Joan.) : " In ipso exordio Adam et Eva parentes omnium gentium erant, non tantummodo Judæorum." Propterea *S. Thomas* (I, Q. XCIV, a. 3), ut demonstraret quam conveniens fuerit nobilissima primi hominis conditio ejusque singularis scientia, arguit ex eo quod principium exstiterit totius humanæ speciei.

3° Præter ea quæ *Conc. Trid.* habet (Sess. V) de universalitate peccati originalis ejusque ab Adamo propagatione, *Conc. Coloniense* (Tit. 4, c. 14) damnavit Polygenismum, quem pariter proscriptum invenimus in schemate aliquo *Conc. Vatic.* (ap. Martin in *omnium Conc. Vatic. docum. collect.*).

4° *Ratio* ipsa ex ethnologia eamdem veritatem confirmat. (Cf. resp. ad 2)

2ª *Pars* conclusionis, nempe quæ versatur circa unitatem humanæ *speciei*, determinata prima parte, jam uti sufficienter probata haberi posset, eo quod non nisi una species ex uno communi stipite generari potuit.—Attamen ulterius probabitur.

1° *Extrinsece:* nam ex una parte celebriores scientiæ naturalis cultores ut Buffon, Cuvier, Blumenbach, De Quatrefages (cujus auctoritas tanti ponderis est) etc, doctrinæ propositæ plane assentiunt; ex altera vero gentium traditiones [2], prouti poetæ et historici referunt, non pauca Mosaicæ anthropogoniæ vestigia exhibent.

2° *Intrinsece.—a)* Ea enim in una eademque specie conveniunt quæ propriis signis seu characteribus hujus speciei gaudent. Atqui cunctæ hominum stirpes, pro variæ perfectionis gradu, humanæ speciei characteribus sive materialibus sive intellectualibus atque moralibus ornantur. Ergo. *Minor*

1—Cf. Mazzella, *op. cit.*
2—Cf. Dan. Huet, *Demonst. evang.* pr. 4, c. 5.

ostenditur quoad characteres *materiales:* singulæ enim stirpes secumferunt eamdem anatomicam structuram ita ut, teste De Quatrefages [1], omnia ossa etiam tenuissima veluti chirographum communis originis demonstrent ; " in singulis, ait Reusch [2], invenimus easdem partus leges, eosdem morbos, eamdem circiter vitæ durationem, " etc. Quod vero maximum est, uniones inter homines cujuscumque stirpis aut regionis omnimodam fœcunditatem habent : in quo necesse est speciei identitatem agnosci. Quoad characteres *intellectuales* et *morales*, nemo est qui neget facultatem judicandi, ratiocinandi, loquendi unde societas oritur et floret, facultatem proficiendi in artibus et scientiis, divinitatis cultum, moralitatis sensum, totidem esse claras humanæ nobilitatis notas ac prærogativas. Jamvero hæc omnia apud omnes stirpes etiam minus excultas, licet diverso gradu, exstare et vigere, viatores, exploratores maximeque Evangelii præcones testantur.— *b)* Insuper numquam contingit quod est unius speciei proprium in alia specie quacumque de causa inveniri. Atqui certo constat characteres proprios unius vel alterius stirpis in cæteris quandoque observari, uti prognatismus. Ergo diversæ stirpes varietate quidem, non specie differunt.

Solv. obj.—Obj. 1 *ex Scriptura.*—(Gen. IV, 14-17) Cain refertur, post patratum crimen, timuisse occisores, necnon civitatem ædificasse. Atqui quomodo id explicari posset, nisi supponatur jam alios extitisse homines qui timendi essent aut civitatem implerent ?

Resp : 1° *a)* Credibile est multos eo tempore, quo Cain occidit Abel, fuisse Cain fratres, filios et nepotes ; de quibus ut loqueretur, propositum sacri Scriptoris minime requirebat. Abel enim occisus esse videtur circa annum primi hominis centesimum trigesimum ; quippe hoc anno natus est Seth (Gen. V, 3) et Adamo datus in solatium mœroris pro filio mortuo (Ibid. IV, 25). *b)* Præterea nonne timor irrequieti cordis, quo Cain agitabatur, referri poterat ad proximam Adami posteritatem, ne scilicet ista ex reo ultionem peteret ?— 2° *a)* Dico nomine civitatis non esse intelligendam urbem nostris similem, sed *oppidulum* seu quemdam refugii locum

1—*L'espèce humaine*, 1879, p. 220.
2—*La Bible et la nature*, p. 481.

muro vallove munitum, pro illa nascentis mundi conditione. *b)* Cæterum doctissimi chronologici censent Henochiam, quod est illius civitatis nomen, non ante an. 400 ac fortasse 500 ab Adami creatione fuisse conditam.

Obj. 2 ex *geographia.*—Dicunt polygenistæ primævos Americæ atque Polynesiæ incolas minime potuisse, ante inventam acum magneticam, ad loca tam dissita per ignotum oceanum navigare, ideoque ibidem ex proprio stipite ortum duxisse.

Resp : Negandum esse adversariorum assumptum. Plura enim probant præfatos populos ex Veteri Mundo certo processisse. Et 1° *traditio :* siquidem, testantibus viris eruditis quos inter De Nadaillac [1], antiquæ illæ gentes memoriam suæ transmigrationis, licet fabulis involutam, servarunt. 2° *Archæologia* idem confirmat. " Exstant, inquit sæpe citatus Vigouroux, miræ analogiæ inter monumenta, inscriptiones, arma moresque priscorum Americæ incolarum atque Ægyptiorum, Etruscorum, Iberorum, Libyanorum etc. Sic apud Mexicanos vigebat circumcisionis ritus " Quamobrem censet De Quatrefages [2] Novi Mundi incolas tum ex Africanis tum ex Asiaticis tum ex Europæis efformatos esse.—Si quis autem quærat *quomodo* id contigerit, dicendum est 3° duo hemispheria, quantum ad partem septentrionalem, fere contingua esse, ita ut migratio de uno ad aliud facili negotio perfici quiverit. Præterea 4°, quemadmodum constat in recentiori ætate plures naves ex Asia in littora americana fuisse dejectas, ita nil prohibet quin credatur, disponente Deo, navigantes olim casu et vi ventorum ad remotas terras appulisse, in quibus deinceps manere coacti sint.

Obj. 3 ex *anthropologia.*—Quædam enim stirpes colore, facie, conformatione, tantopere ab aliis distant ut impossibile videatur eas ad eamdem speciem pertinere.

Resp : 1° Quanquam extremæ stirpes, puta alba et nigra, ad invicem comparatæ et seorsim a mediis, notabilem differentiam inter se exhibent, inspectis præsertim individuis magis distantibus, minuitur tamen differentiæ sensus si ratio habeatur mediorum quæ extrema jungunt.—2° Quemadmo-

1—*Les premiers hommes*, necnon l'*Amérique préhistorique.*
2—*Unité de l'espèce humaine*, ch. 22.

dum species animalium, v. g. canina, minime excludunt varietates accidentales etiam valde dissimiles, ita nec humana.—3° Qualescumque discrepantiæ vigeant inter homines diversæ stirpis, eas nequaquam esse specificas rite consideranti perspicuum est; sic enim color ex climate et solis influxu, forma faciei et cranii ex diverso vitæ genere sive exculto sive rudiori, cerebri volumen ex labore intellectuali partim saltem explicari possunt, quibus si varia naturæ accidentia atque hæreditariam transmissionem addas, plana rei intelligentia habebitur [1].—4° Adeo verum est characteres illos quibus homines ab invicem distinguuntur esse mere accidentales ut, fatente ipso De Quatrefages, nondum fixa stirpium classificatio peracta fuerit.

Obj. 4 ex *philologia*.—Linguarum enim multiplicitas maximaque diversitas diversitatem et multiplicitatem humanarum specierum, juxta Hæckel et alios, revelat.

Resp: Hoc argumentum frivolum prorsus esse. Nam 1° quam facile, temporum decursu mutatisque hominum conditionibus cum physicis tum socialibus, lingua ipsa mutetur, manifestis exemplis historia docet.—2° Genesis (XI, 7) diserte declarat quomodo ipse Deus, post diluvium, ad pedes turris babelicæ linguam filiorum Noe confuderit atque ita matrices linguas, ex quibus cæteræ gradatim derivarentur, constituerit.

1—Cf. Vigouroux, *op. cit.*, t. IV; ubi etiam plerique alii scriptores citantur.

QUÆSTIO TERTIA

DE FINE PRODUCTIONIS HOMINIS

Explorata hominis natura ejusque productione, Angelicus Magister solita methodo nos ducit ad considerandum hujus productionis finem sive terminum. Quum autem duplex sit cujusque creaturæ finis, nempe proximus et intrinsecus, extrinsecus vero et remotus, disputatio hic agenda suscipitur, non de fine remoto et *extrinseco* quem in manifestatione divinæ gloriæ situm esse jam ab exordio totius tractationis accepimus (Disp. I, Q. I, a. 4), verum de fine hominis proximo atque *intrinseco*.

Unumquodque agens ita operatur ut sui similitudinem, quantum fieri possit, effectui imprimat atque seipsum hoc modo reproducat : ex quo sequitur rem quamcumque eo majorem perfectionis gradum assequi quo proprius ad suum principium accedat. Jamvero præ aliis creaturis inferioribus hæc singularis gloria hominis est, hæc nobilitas atque excellentia ut similiorem Creatoris speciem in seipso referat atque in ipsis Sacris Eloquiis *ad imaginem Dei factus* solemniter proferatur.

Quæ igitur de hominis fine, in quantum hanc imaginis rationem sibi vindicat, sanctus Doctor nos edocet, liceat lectori brevius proponere, quærendo 1º de *esse* illius imaginis, 2º de *objecto* ejus typico seu exemplari, 3º de repræsentationis *modo*, 4º de ejus *extensione*.

ARTICULUS I.

Utrum imago Dei sit in homine.

Quædam circa titulum præmittenda sunt.—1º Deus sumi potest vel *ontologice* seu quoad naturam vel *logice* seu quoad ideales rerum rationes quas apud se habet. Porro non solum

creatura rationalis sed quælibet alia creatura dicenda est imago rationis illius exemplaris in mente divina existentis, cui per modum artificiosi operis conformata est: unde Boetius de Deo scripsit (l. 3 de Consol.):

"Mundum mente gerens similique in imagine portans".

In præsentiarum ergo quæritur de imagine Dei *ontologice accepti.*

At vero 2º imago aut *perfecta* aut *imperfecta* est: perfecta dicitur, cui non deest aliquid quod exemplari insit, v. g. imago patris in filio relucens, qua de causa ob naturæ identitatem etiam numericam Verbum divinum perfectissima est sui Patris imago; imperfecta autem vocatur, quæ inæqualis est quoad essendi genus vel modum, v. g. imago alicujus in speculo refulgens. — Propositum articuli est demonstrare *imperfectam* tantum Dei imaginem homini esse impressam; compertum enim est quam longe distet divinum exemplar, quod est esse subsistens extra omne genus, a quocumque creato exemplato.

3º Denique hominem considerabimus tum *in se*, tum *per comparationem ad Angelum* quocum in genere intellectivo convenit.

Conclusio 1ª.—HOMO PRÆ CREATURIS IRRATIONALIBUS ID PROPRIUM HABET UT AD DEI IMAGINEM CONDITUS SIT: quod est *de fide* saltem divina.

Prob. 1º *ex Scriptura.*—(Gen. I, 26) dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram,* ac (v. 27): *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum.* Ubi notare est voces *ad imaginem* adhibitas esse ut exprimeretur imperfecta repræsentatio: siquidem præpositio *ad* accessum quemdam significat qui rei distanti competit.—(Eccli. XVII, 1-10) graphice depingitur nobilitas hominis, cui Deus secundum varias prærogativas sigillum suæ similitudinis impressit: (v. 1) *Deus creavit de terra hominem et secundum imaginem suam fecit illum;* in quo autem hæc imago consistat ex sequentibus apparet: (v. 2) *secundum se vestivit illum virtute,* scil. intelligendi libereque volendi; (v. 3) *dedit illi potestatem eorum quæ sunt super terram,* si quidem imperium illud quod homo in dies tam mire explicat super omnes etiam occultissimas mate-

riæ vires supremum Dei dominium imitatur; (v. 5) *creavit ex ipso adjutorium simile sibi: consilium et linguam et oculos et aures et cor dedit illis excogitandi*, quæ cuncta pertinent ad constituendam humanam societatem vitæ corporis animæque servandæ aut evolvendæ necessariam atque divinæ ipsius societatis per utraque tum naturalia tum spiritualia vincula quodammodo repræsentativam. Finis tandem hominum assignatur: (v. 8) *ut nomen sanctificationis collaudent*, nempe cognitione divinorum operum et Dei, legisque observatione (v. 9-10) testamentum æternum impleant: quem finem si homo prosequatur, assimilabitur Creatori cujus beatitudo in sui contemplatione suæque justitiæ fruitione consistit.

Prob. 2° *ex traditione.*—Afferatur imprimis *S. Augustinus* (6 super Gen. ad litt. c. 12): "Hoc, inquit, excellit in homine quia Deus ad imaginem suam hominem fecit, propter hoc quod ei dedit mentem *intellectualem* qua præstat pecoribus." Concinit *S. Ambrosius* (l. 6 Hexaem. c. 8): "Non ergo caro potest esse ad imaginem Dei, sed anima nostra quæ *libera* est et diffusis cogitationibus atque consiliis huc atque illuc vagatur, quæ considerando *spectat omnia*". Sequitur *S. Chrysostomus*, imaginis rationem in principatu reponens (Hom. 21 in Gen.): "Sicut, ait, omnium Deus principatum habet, super omnia tam visibilia quam invisibilia, qui omnium conditor et opifex est, sic et cum formavit rationale hoc animal, voluit omnium visibilium *præfecturâ* esse insigne."

Prob. 3° *ratione.*

a) En *fundamentale* argumentum.—Imago proprie sumpta *definiri* potest: similitudo ex aliquo expressa secundum convenientiam in specie aut saltem in accidente proprio speciei. Atqui creaturæ intellectuales, ipsæque solæ, hoc modo Deo assimilantur. Ergo. *Maj.* expl: tria enim elementa notionem imaginis constituunt, quorum primum et communius est *similitudo.* Verum imago supra rationem similitudinis addit quod sit *ex alio expressa*, veluti ad ejus imitationem acta; unde ovum, licet alteri ovo simile, non dicitur imago ejus. Tertium quod requiritur tanquam ultima differentia est similitudo non secundum genus tantum vel accidens commune ut albedo, sed secundum *speciem*, v. g. imago patris in filio, aut saltem secundum aliquod *accidens speciei*

proprium ut figura, ob quam imago regis dicitur esse in cupro. *Min.* comperitur ex eo quod similitudo speciei attendi debet secundum differentiam ultimam vel secundum illam perfectionem quæ cæteris nobilior et magis propria videatur. Jamvero tres sunt perfectionis gradus juxta quos creatura Deo assimilatur: esse, vivere et intelligere; *intelligere* autem propinquius ad Dei naturam accedit qui spiritus est, dum cæteri gradus inferiores et communiores existunt. Ergo.

b) Ex hac radice prodeunt inter hominem et Deum *aliæ similitudines* quas Scripturæ vel Patrum sententiæ passim indigitant: scilicet, præter animæ *immortalitatem* quæ ens simplex magis quam intellectivum consequitur, ejusdem *libertas*, facultas conceptus *manifestandi*, necnon stupenda *potestas* quam ope intellectus in creaturas inferiores exercet.

c) Multiplex autem illa Dei participatio atque irradiatio, qua homo jure meritoque gloriatur, in hujus vultu, oculis, statura, mira claritate effulget ita ut, quemadmodum anima spiritualis imago Dei est, sic et *corpus* sensibilis quædam imago animæ seu Dei in anima esse videatur, licet stricte loquendo per modum vestigii tantum repræsentet.

Conclusio 2ª.—CONCEDENDUM EST ANGELUM MAGIS ESSE AD IMAGINEM DEI QUAM HOMO SIMPLICITER, HOMINEM VERO MAGIS DEO ASSIMILARI SECUNDUM QUID.

Prob. 1º ex verbis *Gregorii* (Hom. 34 in Evang.): "Angelus dicitur signaculum similitudinis, quia in eo similitudo divinæ imaginis magis insinuatur expressa".

2º *Ratio* idipsum demonstrat.—Inter Angelum et hominem hoc discriminis existit quod Angelus perfectiori intellectualitate pollet; sed homo est de homine sicut Deus de Deo, ejusque anima tota est in toto corpore, imo in qualibet parte ipsius, sicut Deus præsens est in omnibus mundi partibus. Atqui intellectualitas *per se primo* ad rationem divinæ imaginis pertinet; alia vero, nempe esse de principio ejusdem naturæ aut animam per totum corpus illabi secundaria sunt vel per se non spectant ad imaginem Dei in homine nisi præsupposita prima imitatione quæ est secundum intellectualem naturam: alioquin et ipsa bruta animalia divina imagine cohonestarentur. Ergo fatendum est, *simpliciter* loquendo, Angelum Deo magis assimilari quam homo, homini tamen majorem assimilationem convenire *secundum quid*.

ARTICULUS II.

Utrum in homine sit imago Dei quantum ad Trinitatem personarum.

Generatim constat Dei utcumque sumpti claram imaginem homini esse impressam. Verum natura atque perfectio hujus imaginis determinari non potest quin ejus *objectum* exemplare et typicum rite innotescat ideoque appareat quonam sub respectu Deus repræsentetur, num ut unus tantum, vel ut unus et trinus. Logicum igitur disputationis locum tenet præsens articulus.—Profecto quæ hic dicturi sumus intelligenda sunt ad normam eorum quæ jam supra constituimus (Disp. I, Q. II, a. 6-7).

Conclusio.—EST IN HOMINE DEI IMAGO ET QUANTUM AD NATURAM DIVINAM ET QUANTUM AD TRINITATEM PERSONARUM.

Prob. 1° *ex Scriptura.*—Quoad *primam* conclusionis partem nulla difficultas, post ea quæ in articulo præcedenti determinavimus.—*Altera* pars eruitur ex Gen. (I, 26) : ***Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.*** Qui textus ut plane intelligatur, duo observanda sunt : nempe *a)* quum in verbis *faciamus, nostram,* numerus pluralis adhibeatur, credendum est id fieri ad significandum colloquentem Trinitatem ; *b)* quando autem dicitur hominem factum esse ad Dei imaginem, præpositio *ad* dupliciter accipi potest : vel enim designat terminum factionis, et tunc sensus erit : Faciamus hominem taliter ut sit in eo imago nostra. Vel designat causam exemplarem, et tunc referri debet non ad solum Filium, Patris imaginem, sed ad ipsam essentiam una cum Trinitate, in quantum imago pro exemplari ponitur.

2° *Traditio* eidem doctrinæ favet.—Sic *Hilarius* (5 de Trinit.) hominem esse dicit "ad communem Trinitatis imaginem"; et clarius (4 de Trinit.) : "Per hoc quod homo dicitur ad imaginem Dei factus, ostendit pluralitatem divinarum personarum." Haud aliter sentit *Augustinus*, licet animadvertat quam longe Trinitas imaginem suam superet (15 de Trin. c. 6) : "Trinitatem quæ in nobis est videmus potiusquam credimus ; Deum vero esse Trinitatem credimus potiusquam videmus."

3° Libeat sic *ratiocinari.*—*a)* Distinctio divinarum personarum, prouti demonstratum hic supponimus, accipitur secundum originem, vel potius secundum relationes originis. Atqui non est idem originis modus in omnibus, sed rerum origo naturæ earumdem proportionatur : aliter enim producuntur animata, aliter inanimata, animalia aliter aliterque plantæ. Ergo distinctio divinarum personarum prodire non potuit nisi secundum quod divinæ naturæ convenit, veluti perfectio et complementum ejus. Atqui conceditur hominem factum esse ad naturæ Dei imaginem. Ergo id, nedum imaginem Trinitatis in homine excludat, illam potius includit.—*b)* Insuper, imago ducit in cognitionem ejus cujus est imago, perfecte si perfecta sit, imperfecte tantum si perfecta repræsentatio desit. Atqui ex disputatis in Tract. de Trinitate constat posse hominem per ea quæ in mente sua contingunt, non quidem demonstrare, sed congrua *analogiæ* luce Trinitatis mysterium illustrare. Ergo.—*c)* Revera, dum increata personarum Trinitas distinguitur secundum processionem Verbi a dicente et Amoris ab utroque, in ipsa creatura rationali *duplex* etiam reperitur *processio,* videlicet verbi secundum intellectum et amoris secundum voluntatem. Jamvero, quamvis diversus utrinque processionum modus diversaque perfectio habeatur, similitudo tamen non obscura apparet juxta quamdam formæ seu speciei repræsentationem. Concludamus igitur in homine fulgere Dei imaginem saltem *imperfectam* atque *analogam* tum quoad naturam tum quoad Trinitatem.

ARTICULUS III.

Utrum imago Dei sit in homine secundum mentem et mentis actus.

Subit jam explicanda seu specialius determinanda *ratio* propria qua homo Creatorem suum repræsentat, et quum in illo considerare sit mentem a partibus inferioribus distinctam, habitus et actus intellectuales, necnon objecta, hinc tribus sub conclusionibus proposita doctrina comprehendetur.

a) Singularis fuit *S. Epiphanii* opinio (Hær. 70), hominem ad imaginem Dei certo conditum esse, nullo tamen modo determinari posse qua in parte ista ratio imaginis collocanda sit.—*b)* Nec omittendus est turpissimus error *Anthropomorphitarum* putantium Divinitatem ad instar animæ corpore esse circumscriptam eaque de causa hominem dici factum ad Dei imaginem. — *c) Lutherani* et *Calvinisæ* contendunt[1] minime in nobis dari naturalem Dei imaginem, supernaturalem vero aliqualiter agnoscunt prouti consistat in certiori quadam notitia et fiducia Dei.

Conclusio 1ª.—DEI SIMILITUDO PER MODUM IMAGINIS IN HOMINE INVENITUR SECUNDUM MENTEM, SED SECUNDUM CÆTERA EJUS PARTES PER MODUM VESTIGII.

Prob.—1º Renovatio mentis homini præcipitur, juxta illud (Eph. IV, 23): *Renovamini spiritu mentis vestra et induite novum hominem.* Atqui ex eodem Apostolo constat hominem renovandum esse *secundum imaginem ejus qui creavit eum* (Coloss. III, 10). Ergo ratio divinæ imaginis ad mentem tantum pertinet.

2º Jam exploratum habemus Dei similitudinem in sola creatura rationali inveniri per modum *imaginis*, in aliis autem esse per modum *vestigii* (cf. Disp. I, Q. II. a. 7). Atqui id in quo creatura rationalis alias creaturas excedit est intellectus sive mens. Ergo in homine Dei imago non accipitur nisi secundum mentem, cæteræque ejus partes, non secus ac entia inferiora, solam vestigii similitudinem præseferunt.—Sane fac attendas quænam differentia vestigium inter et imaginem existat. Imago enim repræsentat secundum similitudinem speciei, vestigium autem per modum effectus ex quo non forma causæ, sed sola causalitas dignoscitur. Jamvero in mente tantum Dei *species* quodammodo effulget sive quoad naturam sive quoad Trinitatem : siquidem sola mens imitatur Deum secundum formam intellectualitatis propriasque intellectus et voluntatis operationes per quas procedunt Verbum et Amor ; cætera autem vestigium quoddam Divinitatis ferunt cujus sapientia tam apte cuncta disposuit, quin formam ipsam divini esse commonstrent. Ergo.

1—Mœhler, *Symbol.* l. I, c. 1.

Conclusio 2ª.—IMAGO DIVINÆ NATURÆ IN NOBIS ATTENDITUR IMPRIMIS SECUNDUM GRADUM INTELLECTUALEM ANIMÆ ESSENTIALITER SUMPTÆ ; IMAGO AUTEM TRINITATIS PRIMO ET PRINCIPALITER SECUNDUM MENTIS ACTUS, SECUNDARIO ET CONSEQUENTER SECUNDUM POTENTIAS ET HABITUS.

1ª *Pars* clara est : anima namque, in quantum per suam essentiam est radix intellectualitatis, directe repræsentat divinam naturam in qua radicatur ipsa Dei intellectualitas.

2ª *Pars* ostenditur.—Imago Trinitatis in anima principaliter attendi debet secundum illud quod maxime accedit (quoad fieri possit) ad repræsentandam speciem divinarum personarum. Atqui divinæ personæ distinguuntur secundum processionem Verbi a dicente et Amoris utrumque connectentis : verbum autem in anima esse non potest sine actuali cogitatione, adeoque nec amor sine actuali volitione. Ergo tenendum est *primo* et *principaliter* imaginem Trinitatis attendi in mente secundum actus, prout scilicet ex specie impressa vel habituali notitia quam habemus interius verbum cogitando formamus atque ex hoc in amorem prorumpimus.—Sed quia principia actuum sunt habitus et potentiæ, unumquodque autem virtualiter est in suo principio, hinc *secundario* et veluti *consequenter* imago Trinitatis attendi potest in anima secundum potentias et præcipue secundum habitus, quatenus in eis actus virtualiter existunt.

Ab hac doctrina nihil dissentit *S. Augustinus* quando Trinitatis imaginem reponit in *mente, notitia* et *amore* (9 de Trin. c. 4).—Quæ autem habet (10 de Trin. c. 11), ubi eamdem imaginem accipit secundum *memoriam, intelligentiam* et *voluntatem*, de actibus præsertim harum facultatum intelligenda sunt, ut ipsemet non obscure tradit (14 de Trin. c. 7).

Conclusio 3ª.—IMAGO TRINITATIS IN NOBIS ATTENDITUR SECUNDUM QUOD ANIMA PER SUOS ACTUS FERTUR VEL NATA EST FERRI IN DEUM SIVE IMMEDIATE SIVE MEDIATE.

Quum constiterit imaginem Trinitatis accipiendam esse principaliter secundum mentis actus atque in comperto sit hos actus posse respicere diversa objecta, nempe vel animam, vel corporalia, vel Deum, jam ex hoc satis conspicitur præsentis conclusionis opportunitas.

Prob. 1ª *pars.*—1º Ex *S. Augustino* (14 de Trin. c. 12) dicente : " Non propterea est Dei imago in mente, quia sui

meminit et diligit et intelligit se; sed quia potest etiam meminisse, intelligere et amare Deum, a quo facta est."

2º *Ratione.*—Novimus imaginem divinæ Trinitatis talem esse debere quæ eam repræsentet secundum id quod expressior et veluti specifica ejus similitudo habeatur. Atqui expressa illa similitudo consistere nequit nisi in Dei ipsius intellectione, quam sequatur Dei amor. Ergo. *Minor* prob: etenim Verbum Dei nascitur de Deo secundum notitiam divinæ veritatis et Amor a Deo procedit secundum quod Ipse seipsum diligit. Jamvero manifestum est, universaliter loquendo, speciem verbi et amoris ex objectorum diversitate diversificari: non enim idem specie est in corde hominis verbum conceptum de statua et de equo, nec idem specie amor. Ergo in homine divina imago attendatur oportet secundum verbum conceptum de Dei notitia et amorem exinde derivatum, seu secundum quod anima fertur vel nata est ferri in Deum, nobilissimum objectum.

2ª *Pars* manifestatur 1º ex eodem *S. Augustino* (14 de Trin. c. 8), ubi ait: "Mens meminit sui, intelligit se et diligit se. Hoc si cernimus, cernimus Trinitatem, nondum quidem Deum, sed jam imaginem Dei".—Quæ verba sub sequentium luce accipienda sunt.

Etenim 2º fertur mens in aliquid dupliciter: uno modo directe et *immediate*, alio modo indirecte et *mediate*, sicut cum aliquis videndo in speculo imaginem hominis in ipsum hominem ferri dicitur, puta motu admirationis. Atqui anima, ut sæpe declaratum est, est Dei imago. Ergo si mens, seipsam intelligendo, non in se absolute sistat sed ultra progrediens per hoc in Deum ipsum feratur, habebitur *mediate* conditio requisita ex parte objecti ad constituendam SS. Trinitatis *imaginem.*—In consideratione vero rerum temporalium et etiam animæ absolute sumptæ, sicuti in plerisque ternarii numeri perfectionibus quibus mundus abundat, non invenitur imago trium personarum, sed solum imperfectior quædam similitudo quæ ad *vestigii* rationem pertinet.

ARTICULUS IV.

Utrum imago Dei inveniatur in quolibet homine.

1° De *extensione* hujus prærogativæ, qua homo Creatorem suum tam alte repræsentat, agendum superest.—Quum vero 2° hæc imago in mente coruscans accipienda sit per comparationem ad objectum quod Deus est, quo major Dei erit cognitio et amor, eo perfectior repræsentatio illa evadet. Ex quo factum est ut triplex divinæ imaginis gradus distingueretur, videlicet *naturæ*, *gratiæ* et *gloriæ*.—3° Insuper, monentibus plerisque Patribus atque theologis, aliud est Dei *imago*, aliud *similitudo* non quidem generice sed *specifice* sumpta : quippe secundum hunc postremum sensum significare censetur perfectionem quamdam ac splendidiorem imaginis expressionem, in habitu et cultu virtutis maxime supernaturalis repositam.

Conclusio.—IMAGO DEI PER MODUM NATURÆ INVENITUR IN OMNIBUS HOMINIBUS ; IMAGO PER MODUM GRATIÆ IN JUSTIS TANTUM ; IMAGO PER MODUM GLORIÆ SOLUM IN BEATIS.

1° *Scriptura* ipsa tres illos imaginis gradus aperte designat.—*a)* Missis enim locis quæ supra de imagine generaliter dicta in medium adduximus, suppetit (Ps. IV, 7) : *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine* ; quod esse intelligitur ipsum divinum lumen, per derivationem a vultu Dei seu a divina intellectualitate omnibus impressum secundum naturalem rationem. (Ps. XXXVIII, 9) legitur : *Verumtamen in imagine pertransit homo* ; idest, bona intellectualia hujus vitæ quibus omnes gaudent æstimanda sunt veluti imago bonorum intellectualium vitæ futuræ quæ in Dei cognitione præcipue consistunt.—*b)* Secundus imaginis gradus indicatur (Rom. VIII, 29) : *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui* ; id enim sibi vult quosdam æternaliter fuisse præordinatos ad hoc ut Filio Dei conformarentur susceptione gratiæ, cujus splendor hominem facit naturæ divinæ participem Deoque similem. Unde (1 Cor. XV, 49) : *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis.*—*c)* Sancti demum in cœlis supremum imaginis gradum consequuntur secundum visionem

gloriæ ; unde dicitur (1 Joan. III, 2) : *Cum apparuerit, similes ei erimus.*

Hanc autem ascensionem de gradu ad gradum in Dei cognitione ac repræsentatione describit Apostolus (2 Cor. III, 18), ubi ait : *In eamdem imaginem transformamur de claritate in claritatem.*

2° Scripturæ consonat *traditio*, ex qua accipere est triplicem imaginis distinctionem secundum *creationem, recreationem* et *similitudinem*, non aliam a distinctione secundum naturam, gratiam et gloriam. — Quod legimus in 1 cap. Geneseos : *Creavit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam* (inquit Bellarminus [1]) communis expositio Patrum ita accipiendum esse docet ut imago ad naturam intelligentiæ et voluntatis, similitudo ad sapientiam et justitiam referatur. Ita *S. Basilius* (Hom. 10 examer.) : " Per imaginem animæ impressam meæ, obtinui rationis usum : verum Christianus effectus, utique similis efficior Deo." Quæ similitudo inchoata per gratiam consummatur per gloriam.

3° *Congruitatem* ejusdem distinctionis *ratio* de facili in lucem adducit.—Sane 1ª *pars* concl. elucet ex eo quod *natura* mentis, in qua fundatur naturalis aptitudo ad intelligendum et amandum præcipue Deum, et secundum quam attenditur primus gradus divinæ imaginis, communis est omnibus hominibus. Unde concludendum est tam in muliere quam in viro inveniri Dei imaginem quantum ad id in quo *principaliter* ratio imaginis consistit, sc. quantum ad intellectualem naturam ; licet quantum ad aliquid *secundarium*, nempe auctoritatis principatum, quidpiam imaginis sit in viro quod mulier non habeat.—2ª *pars* apparet, quia *gratia* vi cujus homo Deum fide cognoscit et super omnia diligit participatio est divinæ naturæ longe superior anima rationali, et solis justis concessa. Hunc quidem gratiæ fulgorem, per quem lucidius divina repræsentatur perfectio, obscurat et delet peccati macula.—3ª *pars* tandem evincitur ex eo quod *gloria*, gratiæ consummativa, divinam similitudinem perficit et complet, in quantum beati propinquissime ad Deum accedunt totamque ejus pulchritudinem in se quodammodo recipiunt. Similitudo gloriæ indelebiliter manet.

1—T. IV, *De grat. prim. hom.*, c. 2.

DISPUTATIO SEPTIMA

De elevatione primi hominis ad statum gratiæ et justitiæ originalis

(I, Q. XCIV–CII)

Prooemium

Id maxime Dei erga nos bonitatem ac liberalitatem cum sapientia commendat quod humanum genus ab ipsis incunabilis non solum variis donis naturalibus cumulaverit, verum etiam ad perfectionem prorsus indebitam atque supernaturalem sublimare dignatus sit. Postquam igitur catholicam doctrinam de natura, origine et fine intrinseco hominis in præcedenti disputatione exposuimus, reliquum est ut dicamus de primævo illo ac felicissimo protoparentum statu, a cujus indole universæ fere tum Mosaicæ tum Christianæ religionis intelligentia pendet.

I. Ordo naturalis et supernaturalis. — Juverit in antecessum nonnulla præmittere et primum omnium in mentem revocare quid communiter sit *ordo naturalis* et *ordo supernaturalis*. Ordo enim, prout nunc sumitur, significat dispositionem plurium per habitudinem ad certum finem. Finis autem humani generis duplex esse potest : naturalis et supernaturalis, secundum quod vel proportionatus est viribus naturæ vel naturæ vires omnino excedit. Prior quidem nonnisi in abstractiva, quantumvis perfecta, Dei cognitione residet; posterior vero in immediata atque intuitiva visione divinæ essentiæ consistit. Hinc quæcumque de se non superent priorem finem, vel totaliter vel saltem essentialiter ad ordinem naturalem pertinent ; quæcumque autem præfatum finem natura sua excedant ad ordinem supernaturalem spectare necesse est.

II. Status humani generis.—Dicendorum ratio postulat ut hic ob oculos lectorum ponamus varios *humani generis status* sive *possibiles* sive *reales* quos præstantissimus D. Thomæ interpres, Cajetanus, ad quinque reduxit.

1us status est *naturæ puræ*, i. e. qui habet quidquid principia essentialia naturæ aut efficiunt aut exigunt secundum Dei Providentiam, nil vero amplius.

2us status est *naturæ integræ* seu status consonus naturæ rationali, in quo nempe rectitudo rationis in omnibus partibus animæ servatur. Hic status præcedenti addit carentiam fomitis seu rebellionis carnis adversus spiritum, quum natura pura luctam hanc admittat.

3us status est *justitiæ originalis*, prouti hæc secluditur vel re vel ratione a gratia gratum faciente supernaturaliter: de se enim et formaliter non dicit finem supernaturalem, quamvis a natura prodire nequeat. Addit autem recensitis statibus indefectibilem ordinem et corporis sub anima et inferiorum virium sub superiori, quamdiu ratio Deo, supremo naturæ principio, subjecta manserit: unde privilegia non solum inviolabilis integritatis sine ullo veniali defectu, sed et præservationis ab omni errore et immortalitatis et indolentiæ. Secundum hunc statum homo non poterat prius peccare venialiter quam mortaliter. Dicitur etiam status *innocentiæ*.

4us status, qui est *gratiæ gratum facientis*, elevat hominem ad beatitudinem supernaturalem, secumferens omnia dona ad illam consequendam necessaria. Hic status in Adamo (ut mox dicemus) cum præcedenti conjungebatur; in nobis autem, post Adami casum, seorsim invenitur atque dici solet *naturæ reparatæ*.

5us tandem status est *naturæ lapsæ*, de quo ita Bellarminus[1]: "Non magis differt status hominis post lapsum Adæ a statu ejusdem in puris naturalibus quam differat spoliatus a nudo, neque deterior est humana natura, si culpam originalem detrahas, neque magis ignorantia et infirmitate laborat quam esset et laboraret in puris naturalibus condita. Proinde corruptio naturæ, non ex alicujus doni naturalis carentia, neque ex alicujus malæ qualitatis accessu, sed ex sola doni supernaturalis ob Adæ peccatum amissione profluxit." Verum quod in statu naturæ puræ *negatio* tantum boni fuisset, ex conditione materiæ procedens, nunc habendum est veluti *privatio* ac *pœna* peccato inflicta. Hæc sententia, post

1—*De grat. prim. hom.*, c. 5.

S. Thomam, communis est apud Scholasticos, ut ipse Bellarminus ostendit.

Primus status supra relatus mere possibilis est. Secundus autem nunquam inventus est in seipso separatus, verum aut in statu justitiæ et gratiæ originalis, aut excellentius in statu singularis gratiæ B. Virginis immaculatæ.

III. Naturale, præternaturale et supernaturale.— Ut supradicta melius intelligantur atque simul hæreticorum cavillationibus via præcludi queat, assignandum est proprium discrimen inter dona *naturalia*, *præternaturalia* et *supernaturalia*.

1° Quum natura significare possit vel nativitatem vel rei essentiam [1], *naturale* dici consuevit *uno modo* ex nativitate, cui opponitur acquisitum, *alio modo* et communius ex essentia seu principiis essentialibus rei et secundum proportionem omnium causarum quæ ad rem illam in sua specie perficiendam conspirent. Unde quæcumque rei debeantur vel *constitutive* ut anima in homine, vel *consecutive* ut intellectus ab anima profluens, vel *exigitive* ut communis Dei cooperatio in actibus nostris atque destinatio in proportionatum finem, naturalia postremo sensu et propriissime appellanda sunt.

2° Contra naturale sic dictum tria distingui debent: scil. *innaturale* seu contrarium naturæ, ut peccatum; *præternaturale*, quod nempe ratione modi, etsi non secundum se, naturam superat ideoque superiorem causam exposcit, v. g. subita sanitatis restitutio vel immortalitas in homine; *supernaturale* quod non solum nequit a causis naturalibus rei prodire vel ab ipsa re secundum propriam naturam exigi, verum etiam importat perfectionem altioris ordinis, ut est v. g. visio beatifica.

3° *Supernaturale*, communiter sumptum, dividi potest in illud quod tale est *per essentiam* seu essentialiter et illud quod tale est *per participationem* seu accidentaliter. Primum competit soli Deo, cujus excellentia omnem naturam excedens ipsi essentialis est; alterum illud est cujus excellentia, quamvis creaturam excedat, in ea tamen participatione quadam reperiri potest.

1—Cf. Sum. th., III, Q. II, a. 1.

4° Præterea, *supernaturale per participationem* aliud est *respectivum*, aliud *absolutum*, prouti vel proportionem alicujus naturæ particularis tantum, vel proportionem totius naturæ creatæ aut creabilis superet. Unde istud pertinere dicitur ad ordinem divinum seu Dei proprium.

5° Ex dictis concludere licet tum supernaturale tum etiam præternaturale *indebitum* prorsus esse creaturæ in qua ponitur, ideoque *gratuitum;* quamvis præternaturale sit aliquo modo, nempe secundum essentiam, rei commensuratum, eamque in operibus naturalibus perficiat.

IV. Errores. — Falsa nunc errantium dicta summatim recensenda sunt, quorum videtur unam eamdemque fuisse radicem, scil. confusionem naturæ cum gratia sive ordinis naturalis cum supernaturali.

1° *Pelagiani*, quibus post Socinianos et Arminianos *Rationalistæ* hodierni adstipulantur, per *defectum* errarunt: siquidem in primo homine nullum supernaturale donum sed naturales tantum facultates agnovere, rati per Adami peccatum nihil omnino homines perdidisse talemque etiamnum humanam esse naturam qualem ab initio primus homo de manu Conditoris acceperat.—*Consectaria* hujus doctrinæ sunt: nullam esse gratiæ necessitatem, nullum originale peccatum, nullam proprie dictam redemptionem et reparationem.

2° *Lutherani et Calvinistæ* [1] *per excessum* errant. Juxta eos enim protoparentes pluribus instructi erant donis quibus modo caremus, quæ non fuerunt supernaturalia, naturæ superaddita, sed naturalia, essentialia; ea vero amissa sunt per peccatum originis quo ipsum liberum arbitrium peremptum est; ideoque natura humana intrinsecus fuit corrupta. Fatendum est tamen (ut advertit Hurter [2]) posteriores Protestantes hanc doctrinam, sicut fere omnes Lutheri errores, emollire, quia nimium adversantur non solum omni revelatæ doctrinæ sed et sanæ philosophiæ.—Non dissimilem theoriam proposuit *Baius* cujus præcipua capita, ut videre est in propositionibus a S. Pio V (1567), a Gregorio XIII (1579) et Urbano VIII (1641) damnatis, ea sunt: dona omnia quibus-

1—Cf. Bellarm., *op. cit.*, c. 1.
2—*Theolog. dogmat. compend.*, Vol. II, *De homine*, c. 3.

Adam ornatus fuit quæque peccando amisit, uti consortium divinæ naturæ, adoptio, integritas seu immunitas a concupiscentia, immortalitas, deberi homini non quidem necessitate essentiæ sed *exigentiæ*, ut scil. finem proprium sibique innocenti debitum consequi posset; proinde hominem absque hisce donis seu prouti nunc nascitur creari non potuisse, atque idcirco munera illa hoc sensu *naturalia* dicenda esse. Hos errores plus minusve recoquunt *Jansenius*[1], *Quesnellus* et *Synodus Pistoriensis*, ut liquet ex prop. damnatis a Clemente XI (1713) et a Pio VI (1794).—Lutheranæ doctrinæ ad has *extremas conclusiones* ducunt: hominem lapsum destitutum esse libero arbitrio, concupiscentiam esse verum peccatum, opera bona nulla dari nec ad salutem esse necessaria.

V. Disputationis momentum et ordo.—Prospicienti indolem falsarum sententiarum quas recitavimus quæque ex una parte fundamenta jaciunt Rationalismi, ex altera vero viam aperiunt plerisque dissensionibus Protestantes inter atque Catholicos (ut Mœhler in sua Symbolica ostendit), manifeste apparet quam latum per campum pestifera illa semina venenum suum spargant quantique intersit doctrinam catholicam rite exponere, distinguere, elucidare, propriisque demonstrationibus undique munire. Quocirca, innixi thomisticis principiis atque dogmatibus, sedulam manum operi admoveamus.

Præsens disputatio ita nobis dispescenda videtur ut primum *animæ*, secundo autem *corporis* originalem conditionem, tertio *locum* ipsum primævæ felicitatis, nempe paradisum terrestrem, consideremus.—Animæ autem conditio tum quoad *intellectum* tum quoad *voluntatem* nec non *dominium* quod homo tunc in cuncta circumstantia exercebat investigari potest; pariter conditio corporis vel *individuum* vel *speciem* generatione propagandam atque conservandam respicit. Itaque sex aderunt discutiendæ quæstiones, quibus septima de statu naturæ puræ veluti complementum accedet.

1—*De* [illegible] *nat. puræ*, l. I, c. 15 et sqq.

QUÆSTIO PRIMA

De conditione primi hominis quantum ad intellectum

Argumentum ab Auctore dividitur in quatuor articulos sic distributos. Intellectus enim humanus in ordine ad suum objectum dupliciter considerari potest: nempe vel secundum *veritatem* vel secundum *falsitatem*. Quoad veritatis modum tria inquiri possunt secundum quod Adam vel Deum (art. 1) vel Angelos (art. 2) vel alia cuncta (art. 3) cognovit; quibus succedit dubium an primus homo errare potuerit (art. 4).

ARTICULUS I.

Utrum primus homo per essentiam Deum viderit.

Hic supponimus (quod probabitur in sequenti quæstione) hominem ab initio fuisse elevatum ad ordinem supernaturalem, secundum conditionem originalis justitiæ. Unde *primus homo* in titulo sumendus est juxta illum statum in quo fuit ante peccatum, præditus viribus tum naturæ tum supernæ illuminationis.—Videre autem *Deum per essentiam* sibi vult Deum quidditative contemplari, prouti hæc visio contra cognitionem ex effectibus distinguitur.

Quare duo concludenda sunt, *unum* negative de visione quidditativa, *aliud* affirmative de cognitione per effectus.

Conclusio 1ª.—Primus homo Deum per essentiam non vidit, secundum communem statum illius vitæ.—Additur *secundum communem statum illius vitæ*, i. e. habitualiter atque ordinarie; quia nihil repugnat asserere primum hominem *in raptu* ac transeunter Deum vidisse, quando *immisit Deus soporem in Adam* (Gen. II, 21).

Prob. concl. 1° *ex Scriptura.*—De Deo dicitur (1 Tim. VI, 16) : *Lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit sed nec videre potest,* id est hisce in terris et per essentiam. Ergo nec Adam etc.—(1 Cor. XV, 45-46) : *Factus est primus homo Adam in animam viventem ; novissimus Adam in spiritum vivificantem. Sed non prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale.* Unde sic arguas : status vitæ animalis ac imperfectæ præcessit in Adam statum perfectiorem ac spiritualem, debitis meritis post probationis tempus comparandum. Atqui maxime spirituale est ac perfectum videre Deum per essentiam, in quo suprema beatitudo consistit. Ergo.

Prob. 2° *ratione.*—Hoc modo se habet intellectus videntis divinam essentiam ad Deum, sicut se habet quilibet homo ad beatitudinem communiter sumptam. Atqui manifestum est nullum hominem posse per voluntatem a beatitudine averti : naturaliter enim et ex necessitate homo vult beatitudinem et miseriam fugit. Ergo nullus videns Deum per essentiam potest voluntarie sese a Deo avertere, quod est peccare ; sed quicumque illa felicitate gaudent adeo in amore Summi Boni stabiliuntur ut ipsi in æternum adhæreant. Atque Adam reapse peccavit. Ergo Deum per essentiam non vidit.

Conclusio 2ª.—COGNITIO DEI IN PRIMO HOMINE MEDIA QUODAMMODO ERAT INTER COGNITIONEM PRÆSENTIS STATUS ET COGNITIONEM PATRIÆ ; ita ut nempe primus homo altiori quam nos tum naturæ tum fidei cognitione Deum apprehenderet.

1° *Scriptura* id clare innuit (Eccli. XVII), ubi inter alia de protoparentibus dicitur (v. 5-7) : *Disciplina intellectus replevit illos. Creavit illis scientiam spiritus... Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum ;* quæ verba principaliter ad scientiam Dei pertinent eamque admodum singularem fuisse per emphasim quamdam ostendunt.

2° Digna sunt quæ referantur *D. Bonaventuræ* eloquia (2, Dist. XXIII, a. 2, q. 2), ubi ait : " Cognitio hominis in statu innocentiæ media erat inter cognitionem status gloriæ et status miseriæ : sicut etiam locus paradisi medius erat inter hanc vallem miseriæ et patriam cœlestem... In solo statu gloriæ videbitur Deus immediate et in sua substantia, ita ut

nulla sit ibi obscuritas ; in statu vero innocentiæ et naturæ lapsæ, videtur Deus mediante speculo, sed differenter. Nam in statu innocentiæ videbatur Deus per speculum clarum, nulla enim in anima erat peccati nebula : in statu vero miseriæ videtur per speculum obscuratum, propter peccatum primi hominis."

3° Cum *S. Thoma* sic discurrendum est.—Liquet Deum multo clarius et eminentius videri per intelligibiles effectus quam per sensibiles et corporeos : quanto quippe aliqua creatura est altior et Deo similior, tanto Deus per ipsam expressius repræsentatur. Atqui a consideratione plena et lucida intelligibilium effectuum impeditur homo in statu præsenti per hoc quod a sensibilibus distrahitur et circa illa occupatur dum primus parens non eo conditionis vitio laboraret. Ergo *Min.* quoad *primam* partem experientiâ constat ; quoad *alteram* vero facile ostenditur. *a)* Legimus (Eccl. VII. 30) : *Hoc inveni quod fecerit Deus hominem rectum.* Porro hæc fuit rectitudo hominis divinitus instituti ut inferiora superioribus subderentur et superiora ab inferioribus non impedirentur. Ergo primus homo non impediebatur per res exteriores a clara et firma contemplatione intelligibilium effectuum quos ex irradiatione primæ veritatis, sive naturali sive gratuita et supernaturali cognitione, percipiebat. Unde *b)* dicit *Augustinus* (11 super Gen. ad litt. c. 33) : "Fortassis Deus primis hominibus antea loquebatur, sicut cum Angelis loquitur, ipsa incommutabili veritate illustrans mentes eorum, etsi non tanta participatione divinæ essentiæ quantam capiunt Angeli". Sic igitur per hujusmodi intelligibiles Dei effectus poterant protoparentes clarius quam nos Divinitatem cognoscere.

Solv. obj. (contra 1^{am} concl.).—Obj. 1.—Beatitudo hominis in visione divinæ essentiæ consistit. Atqui primus homo in paradiso conversans "beatam et omnium divitem habuit vitam," ut ait Damascenus (2 l. de Orth. Fid. c. 11). Ergo

Resp. *D. M :* Beatitudo perfecta totaliter... *C*;... perfecta secundum quemdam modum integritatis ac perfectionis naturalis, *N.*—*C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

Obj. 2.—Juxta Augustinum (14 de Civ. Dei, c. 10) "primo homini non aberat quidquam quod bona voluntas adipis-

ceretur." Atqui bona voluntas nihil melius adipisci potest quam divinæ essentiæ visionem. Ergo.

Resp. *D. M* :... quod bona voluntas i. e. ordinata adipisceretur, *C* ;... voluntas quomodocumque bonum appetens, *N*.—*D.m* :... quam visionem divinæ essentiæ suo tempore habendam, *C* ; quocumque tempore obtinendam, *N*.—*Neg. conseq.*

Bona voluntas est voluntas ordinata. Non autem fuisset primi hominis ordinata appetitio, si in statu meriti consequi oluisset quod ei promittebatur pro præmio.

Obj. 3.—Visio Dei per essentiam ea est qua videtur Deus sine medio. Atqui homo in statu innocentiæ vidit Deum sine medio, ut Magister dicit (1 Dist. 4 lib. Sent.). Ergo.

Resp. *D. M* :...sine medio tum demonstrationis tum repræsentationis, *C* ; sine medio demonstrationis tantum, *N*.—*C.d.m* :...sine medio demonstrativo, *C* ; sine medio repræsentativo, *N*.—*Neg. conseq.*

Duplex est medium : *unum* in quo simul videtur quod per medium videri dicitur, sicut cum homo cernitur per speculum et simul cum speculo ; *aliud* per cujus notitiam in aliquid ignotum devenimus, sicut est medium demonstrationis. Jamvero sine hoc medio Deus ab Adamo videbatur ; non tamen sine primo. Non enim oportebat primum hominem pervenire in Dei cognitionem per demonstrationem seu discursum de effectu prius noto ad causam ignotam, quod laborem mentisque defectum importat ; sed, illustrante scientia sibi concessa seu a Deo infusa, simul in effectibus præcipue intelligibilibus divinum Auctorem uno conspectu deprehendebat.

Obj. 4.—Visio Dei sine ænigmatis obscuritate est visio intuitiva. Atqui obscuritas, utpote per peccatum introducta, non offuscabat mentem primi hominis. Ergo.

Resp. *D. M* :... sine ulla ænigmatis obscuritate, *C* ; sine aliqua tantum, *N*.—*C.d.m* : obscuritas illa quæ ex peccato oritur... *C* ; quin medium cognoscendi per creaturas quodammodo obscurum fuerit, *N*.—*Neg. conseq.*

Ænigmatis obscuritas dupliciter accipi potest : *uno modo* in quantum ex peccato procedit, prout scilicet impeditur homo a consideratione intelligibilium per sensibilium occupationem, et secundum hoc Adam non videbat Deum in ænigmate : *alio*

modo accipitur secundum quod quælibet creatura quoddam obscurum est, si comparetur ad immensitatem divinæ claritatis, et sic Adam cognoscebat Deum in ænigmate, nempe per effectum creatum.

ARTICULUS II.

Utrum Adam in statu innocentiæ Angelos per essentiam viderit.

Angeli medium locum tenent inter Deum et creaturas corporeas, quumque ex ipsis Sacris Litteris acceperimus intellectum primi hominis veritatis lumine fuisse perfusum, dubitandi ratio offertur num de illis angelicis spiritibus perfecta cognitio in Adamo admittenda sit.—Cognitio enim Angelorum duplex esse potest: una *superior*, perfecta et adæquata, quæ eorum essentiam propriam attingat; *inferior* altera, quæ per viam *genericæ similitudinis* ac *remotionis* necnon per *analogiam* quamdam ex anima præsertim desumptam nonnulla de eis prædicanda colligat.

Conclusio 1ª.—PRIMUS HOMO IN STATU INNOCENTIÆ NON POTERAT VIDERE ANGELOS PER ESSENTIAM.

Prob. 1º arg. *a pari.*—Anima Adami, quantacumque virium perfectione adaucta, ejusdem naturæ fuit cum animabus nostris. Atqui animæ nostræ non possunt nunc intelligere, adæquata cognitione, angelicas substantias [1]. Ergo nec anima primi hominis id potuit.

Prob. 2º *ratione* intimiori.—*Præmittendum* est autem statum animæ humanæ dupliciter distingui posse: *primo* secundum diversum modum esse naturalis, et sic distinguitur status animæ separatæ a statu animæ corpori conjunctæ; *secundo* quantum ad integritatem vel corruptionem, manente eodem existendi modo, et sic status innocentiæ distinguitur a statu hominis lapsi.—Quibus præjactis, jam *argumentemur*. Anima hominis in statu innocentiæ erat, sicut et nunc, corpori perfi-

1—Cf. I, Q. LXXXVIII, a. 1-2.

ciendo et gubernando accommodata: siquidem Adam factus fuisse legitur in *animam viventem*, i. e. corpori vitam dantem, integritate tamen et rectitudine adjecta. Atqui ex hoc quod anima est accommodata ad corporis gubernationem et perfectionem secundum animalem vitam, competit ei modus intelligendi per conversionem ad phantasmata [1]. Ergo primo homini talis tribuenda est intelligendi ratio quæ conversioni ad phantasmata congrueret. Jamvero hanc triplex processio intellectus consequitur: prima est per modum *aggregationis* ad seipsum, in quantum, cognoscens exteriora et materialia objecta ad quæ naturaliter ordinatur, per ea adæquate cognoscit actum intellectualem, per actum potentiam, per potentiam ipsam animam [2]; secunda est *ascensio* quædam ad superiores mentes, nempe angelicas, quæ quum non intelligant per conversionem ad phantasmata, sed longe eminentiori modo, prædictus cognoscendi modus quo anima seipsam apprehendit non sufficienter ducit in Angeli cognitionem; tertia demum processio est *manuductio* in Deum, cujus summa bonitas infinite excedit quodcumque creatum bonum. Ergo primo homini talis cognoscendi modus competebat ut seipsum et circumstantia perfecte intelligeret, deficienter autem Angelos et multo deficientius Deum.

Conclusio 2ª.—PRIMUS PARENS EXCELLENTIOREM COGNITIONEM HABEBAT DE ANGELIS QUAM NOS HABEAMUS.

Id quidem facile comperitur ex eo quod cognitio Adæ tum naturalis tum gratuita, favente virium internarum harmonia, certius et subtilius attingere poterat interiora præsertim intelligibilia quam cognitio nostra: ex his quippe intelligibilibus, scilicet ex intellectu et anima animæque donis, humana mens assurgit ad aliquam notitiam sibi de Angelis efformandam.—*Conf.* auctoritate *S. Gregorii* dicentis (4 Dial. c. 1): "In paradiso assueverat homo verbis Dei perfrui, bonorum Angelorum spiritibus cordis munditia et celsitudine visionis interesse:" quasi nempe propter tantam cognitionis eminentiam speciali quodam Dei et Angelorum consortio frueretur.

Solv. obj. (contra 1ᵃᵐ concl.).—OBJ. 1.—In statu præsenti ideo anima impeditur a cognitione Angelorum quia

1—Cf. I, Q. LXXXIV, a. 7.
2—Cf. I, Q. LXXXVII, a. 1.

corpus spiritum aggravat. Atqui anima primi hominis non aggravabatur a corpore, quod erat incorruptibile. Ergo.

Resp. *D. M* :...unice quia corpus spiritum aggravat, *N* ; etiam ob defectum objecti connaturalis, *C*. — *C.m.*—*Neg. conseq.*

Duo sunt quæ nos a perfecto intellectu angelicarum mentium prohibent : aggravatio corporis, atque deficientia connaturalis objecti in quo illarum excellentia sufficienter repræsentari non potest. Deerat in Adamo primum impedimentum : aderat vero secundum.

Obj. 2.—Una susbtantia intellectualis, cognoscendo seipsam, aliam cognoscit. Atqui anima Adæ, intellectualis creatura, cognoscebat seipsam. Ergo.

Resp. *D. M* : ... per modum sui ipsius, *C*; supra hunc modum, *N*.—*D.m* :...et anima convenit cum Angelis in genere remoto intellectualitatis, *C* ; in specie aut etiam in genere proximo, *N*.—*Neg. conseq.*

1° Quemadmodum unus Angelus alium superiorem Angelum cognoscit per modum sui ipsius, i. e. quin adæquet naturaliter cognoscibilitatem ejus saltem intensivam, ita et multo magis cognitio Adæ circa Angelos deficiens erat, utpote quæ commensurabatur cognitioni animæ *specie generеque proximo* longe ab illis distantis.—2° Hujus rei *signum* colligitur, quod nec animæ separatæ a corpore, licet liberiores sint ad intelligendum, perfecte intelligunt per similitudines divinitus impressas naturam Angelorum [1].

ARTICULUS III.

Utrum primus homo habuerit scientiam omnium.

In titulo tria advertenda sunt.—1° Quæritur de cognitione *omnium* tum naturalium (præter Deum et Angelos) tum supernaturalium.—2° Non modus, sed *objectum* scientiæ investigandum suscipitur. Quod enim ad *modum* attinet,

1—Cf. I, Q. LXXXIX, a. 2.



excellentia ingenii, specierum et phantasmatum apta ordinatio, temperatissima corporis complexio, tandem perfecta virium inferiorum subjectio id certe in Adamo efficiebant ut optima ratione intelligeret quidquid mente apprehenderet.—3° Scientia alia est *infusa per se*, alia *infusa per accidens*. Prior habetur quando notitia quæ infunditur nequit per solas naturæ vires acquiri, ut est notitia fidei de mysteriis supernaturalibus; posterior ea dicitur quæ continet notitiam de se acquisibilem per vires naturæ, sed quæ de facto a Deo infunditur, non acquiritur. Hæc quidem supernaturalis est *origine* et *modo, in se* autem naturalis. Utraque scientia pro objectorum diversitate Adamo vindicanda est.

Doctrina hujus articuli e diametro adversatur *Rationalistarum* positioni qui, ut suam theoriam de evolutione historica ac progressiva humanæ mentis suaderent, infantiam quamdam humani generis imaginati sunt in qua vix prima rationis rudimenta apparuissent.

Conclusio.—PRIMUS HOMO SCIENTIAM HABUIT OMNIUM NATURALITER SCIBILIUM; SUPERNATURALIUM VERO, QUANTUM OPUS ERAT AD VITÆ REGIMEN; CÆTERA AUTEM NESCIVIT.

Prob. *generaliter*.

1° *Ex Scriptura.*—(Gen. II, 19-20) legitur: *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ et universis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam ut videret quid vocaret ea: omne enim quod vocavit Adam animæ viventis ipsum est nomen ejus. Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia, et universa volatilia cœli et omnes bestias terræ.* Jam vero nomina debent naturis rerum congruere. Ergo Adam scivit naturas omnium animalium, et pari ratione omnium aliorum. Ad rem *Augustinus* (Op. Imperf. l. 5, c. 1): " Ipse Pythagoras, a quo philosophiæ nomen exortum est, dixisse fertur illum fuisse omnium sapientissimum, qui vocabula primus indidit rebus. "—Insuper verba (Eccli. XVII, 5-6): *Disciplina intellectus replevit illos; creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum; et mala et bona ostendit illis*, haud immerito intelliguntur de quatuor donis *intellectus* et *sapientiæ, consilii* et *scientiæ* plenitudine quadam Adamo et Evæ collatis. Ergo.

2° *Ex Patribus.*—Ita *Augustinus* (op. cit. l. 4, c. 75) : " Omnes (nunc vividi et acutissimi ingenio) ipsi paucissimi, si hominis qui primus est factus comparentur ingenio, plumbei judicantur." Quibus annuit *Cyrillus Alex.* (In Joan. l. I, c. 9) : " Auctor ille nostri generis Adam non in tempore sicuti nos sapientiam videtur esse consecutus, sed a primo statim ortus sui initio perfecta intelligentia præditus cernitur."

3° *Ratione.*—Cum ea quæ sunt in potentia non reducantur ad actum nisi per aliquod ens actu, naturali ordine perfectum præcedit imperfectum, sicut et actus potentiam. Atqui res primitus a Deo institutæ sunt non solum ut in seipsis essent, sed etiam ut essent aliorum principia. Ergo tenendum est eas productas esse in eo statu in quo convenientius esse possent principia aliorum secundum Dei creantis et gubernantis intentionem. Atqui primus homo caput exstitit humani generis non solum *physice* per generationem corporalem, sed etiam *moraliter* per institutionem intellectivam et socialem. Ergo sicuti conveniens fuit eum condi in statu perfecto quantum ad corpus ut statim posset generare, ita non minus decuit ipsum institui in statu perfecto quantum ad animam, idest utraque scientia tum speculativa tum practica apprime paratum, unde melius posset alios instruere et gubernare.

Concl. eadem confirmatur *specialiter* seu per partes.

1ª *Pars* sibi vult Adamum sic a Deo fuisse institutum ut haberet omnium scientiam in quibus homo natus est instrui. Atqui hæc sunt omnia illa quæ virtualiter existunt in primis principiis per se notis quæque naturaliter homines cognoscere possunt. Ergo de his omnibus notitiam accepit.—Quærenti igitur utrum scientia Adæ *Salomonis* scientiam superaverit, respondendum videtur cum Billuart aliisque, secundum principia superius jacta, *affirmative*. Etenim *a)* Adam, utpote caput et magister totius posteritatis, singularem prorsus scientiam callere debuit. Quæ vero *b)* in Scripturis de Salomone dicuntur (3 Reg. III, 12) : *Dedi tibi cor sapiens et intelligens, in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit nec post te surrecturus sit*, intelligenda sunt tantum respectu doctorum virorum vel qui in Jerusalem floruerunt, juxta ipsius Salomonis testimonium (Eccl. I, 16) : *Præcessi omnes sapientia qui fuerunt ante me in Jerusalem*, vel qui communi modo procreati sunt.

2ª *Pars* manifestatur.—Heic enim primi hominis vitam ordinatam supponimus ad finem supernaturalem. Jamvero ad gubernationem vitæ propriæ et aliorum secundum hujus finis exigentiam non solum requiritur cognitio eorum quæ naturaliter sciri possunt, sed etiam cognitio eorum quæ naturalem virtutem excedunt. Ergo de supernaturalibus fide tenendis tantam cognitionem primus homo accepit quanta necessaria erat ad gubernationem humanæ vitæ secundum illum statum.—Idcirco ante peccatum "homo habuit explicitam fidem de Christi *Incarnatione*, secundum quod ordinabatur ad consummationem gloriæ, non autem secundum quod ordinabatur ad liberationem a peccato per passionem et resurrectionem; quia homo præscius non fuit peccati futuri" (II-IIæ, Q. II, a. 7). Porro Incarnatio nequit explicite credi sine fide explicita *Trinitatis*. Ergo.

3ª *Pars* negativa est; scil. quæ nec naturali hominis studio cognosci possunt nec sunt necessaria ad gubernationem humanæ vitæ primus homo non cognovit; sicut sunt *a)* cogitationes hominum, *b)* futura contingentia, et *c)* quædam singularia, puta quot lapilli jaceant in flumine. Ratio est quia, quemadmodum Deus non deficit in necessariis, ita non abundat superfluis.

Solv. obj.—OBJ. 1.—Scientiam omnium, si talem habuit, sortitus est Adam non quidem per species connaturales, quum anima nostra sit veluti "tabula in qua nihil est scriptum," neque per species acquisitas, quia non fuerat omnia expertus, sed per species infusas. Atqui talis scientia non esset ejusdem rationis cum scientia nostra; quod inconveniens est. Ergo.

RESP. *D. M :...* per species infusas *per accidens* de rebus naturalibus et infusas *per se* de mysteriis, *C;* per species infusas *per se* tantum, *N.—C.d.m :* scientia infusa *per se* specie differt a scientia nostra naturali, *C;* scientia infusa *per accidens*, *N.—Neg. conseq.*

Species scientiæ determinanda est maxime secundum *formale* objectum; unde, quia objectum scientiæ in anima separata a corpore altius et universalius est quam objectum scientiæ nostræ, ideo hæc ab illa specie discrepat. Jam vero primus homo naturalia cognovit secundum scientiam infusam *per accidens* seu de se naturaliter acquisibilem. Igitur talis scientia non fuit alterius rationis a scientia nostra: sicut nec

oculi quos cæco nato Christi potentia dedit fuerunt alterius rationis ab oculis quos natura producit.

Obj. 2.—In omnibus individuis ejusdem speciei est idem modus consequendi perfectionem. Atqui alii homines non statim in suo principio habent omnium scientiam, sed eam modo suo per temporis successionem acquirunt. Ergo.

Resp. *D. M :* In omnibus individuis communiter sumptis... *C ;* non excepto individuo primo, ratione prioritatis secundum naturam et influxum, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

Obj. 3.—Qui potest proficere quantum ad cognitionem non habet omnium rerum scientiam. Atqui primus homo proficere potuit quantum ad cognitionem, sicuti proficere poterat quantum ad meritum. Ergo.

Resp. *D. M :*...quantum ad cognitionem, i. e. quantum ad numerum scitorum, *C ;* quantum ad modum sciendi tantum, *N. — D.m :* in supernaturalibus, *C ;* in naturalibus, *S.d :* quoad sciendi modum, *C ;* quoad numerum scitorum, *N.— Neg. conseq.*

1° Adam in scientia *naturalium* scibilium non profecisset quantum ad *numerum scitorum*, sed quantum ad *modum sciendi ;* quia quæ noverat intellectualiter scivisset postmodum experimentaliter. Qua de re scite notat *S. Thomas* [1]: " Aliquis experitur aliquid dupliciter. Vel ut ex sensibilibus, quorum experientiâ habitum cognitionis acquirit ; sicut in nobis fit, qui ex multis experimentis unum universale colligimus quod est principium artis vel scientiæ : et sic Adam experimento non indigebat. Alio modo, ut id quod aliquis per habitum cognitionis tenet etiam in rebus videat ; hoc enim scienti delectabile est : et sic Adam experimenta de naturis sumpsisset." — 2° Quantum ad *supernaturalia* cognita, profecisset etiam quoad numerum veritatum per novas revelationes; sicut et Angeli proficiunt per novas illuminationes.—3° Nec *paritas* de profectu meriti et scientiæ habetur, ut objectio supponit : unus homo enim non potest alteri esse merendi principium, sicut et sciendi.

1—2, Dist. XXIII, a. 2 ad 2.

ARTICULUS IV.

Utrum homo in primo statu decipi potuisset.

Præsens quæstio non solum de *Adamo* sed et de *Eva* instituitur, ita ut *immunitas ab errore* utrique tribuenda concludatur.

Nonnulli dixerunt in nomine deceptionis duo intelligi posse : scil. qualemcumque levem existimationem adhærentis falso tanquam vero sine credulitatis assensu, ac firmam credulitatem temere judicantis. Quapropter (aiunt) Adam ante peccatum neutro modo decipi poterat respectu eorum quæ sciebat ; verum quantum ad ea quæ nesciebat, leviter errare potuit, semota omni judicii temeritate. Quod ideo dicunt, quia talis error nec homini noxius, nec culpabilis est.—Hanc sententiam abjicit *S. Thomas*, quem *communiter* cæteri theologi sequuntur.

Conclusio.—PRIMUS HOMO NULLO MODO DECIPI POTUIT.

Prob. 1° ex verbis *Augustini* (l. 3 de Lib. Arb. c. 18) : "Approbare vera pro falsis non est natura instituti hominis, sed pœna damnati."

2° *Ratione*, duplici ex capite.

Primo ex *integritate* primi status.—Nam, ut *Augustinus* dicit (14. de Civ. Dei, c. 10), in illo statu "erat devitatio tranquilla peccati, qua manente nullum omnino aliunde malum, quod contristaret, irruebat." Atqui, sicut verum est bonum intellectus, ita falsum est malum ejus. Ergo non poterat esse quod, innocentia manente, intellectus hominis alicui falso quasi vero acquiesceret.—*Conf :* sicut enim in membris corporis primi hominis erat quidem carentia perfectionis alicujus, puta claritatis, nihil autem mali ; ita in intellectu poterat notitia alicujus rei abesse, nulla tamen irrepere falsi existimatio.

Secundo ex *rectitudine* status justitiæ.—Enimvero talis erat hujus status conditio ut, quamdiu anima subdita Deo maneret, tamdiu inferiora superioribus obsequerentur nec illa utcumque impedirent. Atqui, juxta legem sibi a natura præfixam, intellectus noster, prout exercet supremum intelligendi officium circa proprium objectum, semper est verus, ita ut ex

seipso nunquam decipiatur; verum omnis deceptio in eo accidit ex aliquo inferiori [1] non bene dispositio, scil ex judicio atque discursu quæ primæ intellectus operationi idest apprehensioni famulantur, quæque non *per se* sed *per accidens*, influente nempe phantasia, passione aliave causa extrinseca, errorem continere possunt. Ergo rectitudo primi status, in quo ratio judicativa et discursiva perfectissime intellectui deserviebat, nec tenuem mentis deceptionem compatiebatur.

Sol. obj.—Obj. 1.—Dicit Apostolus (1 Tim. II, 14): *Mulier autem seducta in prævaricatione fuit.* Ergo.

Resp. *Dist. antec:* et illa seductio præcessit peccatum operis, *C*; præcessit quoque peccatum internæ elationis, *N.*—*Neg. conseq.*

Audi *S. Augustinum* (11 super Gen. ad litt. c. 30): "Mulier verbis serpentis non crederet, nisi jam inesset menti ejus amor propriæ potestatis et quædam de se superba præsumptio" [2].

Obj. 2.—Ideo mulier non horruit serpentem loquentem, quia existimavit eum loqui virtute divina. Atqui hoc falsum erat. Ergo.

Resp. *D. M:*... partim quia bestiæ erant homini subditæ, partim quia putavit serpentem loqui virtute quadam superiori, non reflectens an hoc esset a bono vel a malo spiritu, *C*; quia putavit hanc virtutem esse a Deo ipso, *N.*—*C.d.m:* falsum erat virtutem illam esse ab ipso Deo, *C;* esse ab aliquo ente superiori, nempe a diabolo, *N.*—*Neg. conseq.*

Obj. 3.—In statu innocentiæ, sicuti et in nostro, quanto aliquid remotius videbatur, tanto minus apparebat. Atqui id deceptio est circa quantitatem rei visæ. Ergo.

Resp. *C. M.*—*D.m:*...supposito simul erroneo mentis judicio, *C;* intellectu recte judicante, *N.*—*Neg. conseq.*

Si in primo statu aliquid repræsentatum fuisset sensui vel phantasiæ hominis aliter quam sit in rerum natura, non tamen deciperetur neque quantum ad *sensum* cujus est percipere secundum proportionem suam ad sensibilia, neque quantum ad *intellectum* qui poterat veritatem judicare.

1—Cf. Cajet. *Comt.* in hunc art.
2—Cf. II-IIæ, Q. CLXIII, a. 1.

Obj. 4.—In somno anima similitudini adhæret tanquam ipsi rei. Atqui homo in statu innocentiæ, propter comestionem et consequentem dormitionem, somniasset. Ergo.

Resp. *D. M :* et hoc homini imputabile est, *N ;* non imputatur ob defectum usus rationis, qui est proprius hominis actus, *C.—Transeat min.—Neg. conseq.*

Obj. 5.—De iis quæ nesciebat primus homo inductus esset ad credendum ex testimonio vel auctoritate aliorum. Atqui isti potuissent falsum dicere. Ergo.

Resp. *C. M.—D.m :* quo in casu credidisset Adam hoc esse verum, *N ;* credidisset hoc esse possibile vel verisimile, providente Deo ne deciperetur, *C.—Neg. conseq.*

1° Alicui dicenti falsum, puta de contingentibus futuris vel cogitationibus cordium, homo in statu innocentiæ non adhæsisset credendo ita esse ; sed credidisset hoc esse possibile vel verisimile, quod non est errare.—2° Eo vel magis, quia divinitus ei subventum fuisset ne deciperetur in his quorum scientiam non habebat.—3° Nec dicatur auxilium illud non fuisse ei in tentatione præstitum, licet tunc maxime indigeret ; jam enim præcesserat peccatum in animo, et ad divinam opem recursum non habuit.

QUÆSTIO SECUNDA

De gratia et justitia primi hominis

Determinatis iis quæ ad intellectum primi hominis pertinent, considerandum venit de his quæ spectant ad ejus *voluntatem*. Hæc autem vel ordinant hominem in seipso et respectu Dei, vel eum disponunt secundum habitudinem ad alias creaturas. Unde duo disputanda se offerunt, unum de *gratia* et *justitia* primi hominis, aliud de usu ejusdem justitiæ quantum ad *dominium* exterius exercendum.

Prima quæstio dispescitur in quatuor articulos, quorum hæc est logica complexio.—Gratia enim et justitia, qua primus homo insignitus erat, considerari debet primo in se et in ratione *radicalis* principii perficientis animam tum principaliter quoad partem *rationalem* (art. 1), tum secundario et sub specie doni integritatis quoad partem *sensitivam* (art. 2) ; considerari insuper potest in ratione principii *proximi* secundum habitus *virtutum* (art. 3), atque secundum proprium suum effectum, nempe secundum *actus* meritorios (art. 4).

ARTICULUS I.

Utrum primus homo fuerit creatus in gratia.

1° Titulus duo ab invicem distinguenda præsefert : siquidem *aliud* est quærere, an primus homo gratiam sanctificantem ante peccatum acceperit, et *aliud*, an fuerit in ipsa creationis hora tanto beneficio donatus.

Præterea 2° jam relatum est quid in hac parte *Pelagiani* senserint, quidve *Lutherani* ac *Baiani* contra quos ex professo demonstrare præstabit quam gratuitum atque indebitum fuerit gratiæ donum, divinitus Adamo collatum.

Verum 3° ad intelligentiam totius doctrinæ, prænotare opus est quid proprie sit gratia et justitia originalis.—*a) Gratia* enim, simpliciter dicta et prout dividitur contra naturam, describitur principium naturæ superadditum quo creatura intellectualis ordinatur ad finem essentialiter supernaturalem, scil. ad intuitivam Dei visionem. *Justitia* vero nunc sumenda est, neque pro speciali virtute quam moralistæ considerant, neque etiam in particulari pro uno alterove donorum præternaturalium quæ justitiæ status complectebatur et de quibus expediet singillatim dicere, sed generice pro communi illa et interna virium hominis dispositione qua efficiebatur maxime justus et rectus.—*b)* Porro quænam inter istam justitiam atque gratiam gratum facientem habitudo vigeat, non est apud theologos ratum ac definitum. Mens *S. Thomæ* est (ut patet ex hoc articulo et ex Q. C, a. 1 ad 2) justitiam se habere ad gratiam ut effectus ad causam seu consequentia ad radicem, ideoque *stricte* loquendo illam ab ista reapse distingui, *lato* sensu tamen utramque sub uno nomine justitiæ merito comprehendi posse.—*c)* Quanti faciendum sit præsens doctrinæ caput nemo non viderit, semel perspecto primum hominem, divitiis omnibus locupletatum, per donum gratiæ sublevatum fuisse ad dignitatem *ordinis* omnino superioris, id est *supernaturalis.*

Conclusio 1ᵃ.—DOGMA EST CATHOLICUM PRIMOS PARENTES FUISSE A DEO CONSTITUTOS IN STATU GRATIÆ SANCTIFICANTIS.

Id *fide* tenendum est contra hæreticos ac Rationalitas, tum antiquos, tum recentiores, inter quos *Hermesius* docens sanctitatem primi hominis contineri moralitate mere naturali. *Conc.* enim *Arausicanum II* (can. 19) hæc habet : " Natura humana, etiamsi in illa integritate in qua est condita permaneret, nullo modo seipsam, Creatore non adjuvante, servaret. Unde cum sine Dei *gratia* salutem non possit custodire quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit " ? Accedit *Conc. Trident.* (Sess. V. c. 1) : " Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim *sanctitatem* et *justitiam* in qua constitutus fuerat amisisse, etc, A. S."

Prob. concl. 1° ex *Scriptura.*

a) Didicimus ex Gen. I Deum hominem fecisse *ad imaginem et similitudinem suam.* Jam vero (ut alias dictum

est) sat communis Patrum sententia docet *similitudinem* exponendam esse de decore gratiæ. Sic *S. Basilius* (Serm. ascet. n. 1): "Homo ad imaginem et similitudinem Dei factus est; sed per peccatum anima ad vitiosas cupiditates impulsa deformavit imaginis pulchritudinem... Revertamur igitur ad gratiam initio nobis concessam, ex qua excidimus per peccatum... imitantes divinæ naturæ ab affectibus vacuitatem et ita vitæ similitudinem adepti et perpetuo in æterna illa beatitudine mansuri." Et *S. Eucherius* (l. 1 in Gen.): "Inter similitudinem et imaginem hoc interest. Imago Dei omnium; similitudo paucorum... Illa creata est per naturam; hæc dabitur conformari per gratiam."

b) Legitur (Eccl. VII, 30) quod "fecerit Deus hominem *rectum*." Itaque primus homo constitutus est in ea rectitudine quam Scripturæ et ecclesiastica traditio intelligere solent. Atqui rectitudo illa non modo est justitiæ moralis, sed et gratiæ habitualiter inhærentis, qua operamur merita vitæ æternæ condigna, juxta illud (Ps. CXXXIX, 14): *Et habitabunt recti cum vultu tuo.* Ergo [1].

c) Iterum, succurrit argumentum ex verbis Apost. (Eph. IV, 23-24): *Renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* Etenim qui renovari jubetur deponendo veterascentem hominem fuit aliquando novus. Atqui renovatio consistit in eo ut induamus hominem Christo similem, creatum secundum Deum in justitia et sanctitate veritatis. Igitur fuimus aliquando, videlicet in primo nostro parente, homines novi, conditi secundum Deum in pari justitia et sanctitate. Dicit autem B. Paulus: renovamini *spiritu mentis vestræ*, quia non renovamur in hoc mundo ad eam innocentiam quæ fuit in carne primi hominis, sed solum ad eam quæ fuit in mente.

Prob. 2º ex *traditione*.—Patrum mentem aperit *S. Augustinus* (l. de Corr. et Gr. c. 11): "Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Immo vero habuit magnam, sed disparem". Consentit *S. Cyrillus* (l. 2 in Joan. c. 3): "Fuit, inquit, Adam in paradiso, quousque gratiam creatoris Spiritu Sancto inhabitante servavit". Et *S. Leo* (Serm. 1 de jejun.

1—Cf. Mazzella, *De Deo creante*, Disp. IV, art. 3.

dec. mensis) : " Ad quam quotidie nos utique reparat gratia Salvatoris, dum quod cecidit in Adam primo erigitur in secundo ".

3° *Ratio* idipsum suadet.—*a)* Decebat enim Dei bonitatem summamque liberalitatem ut gratiæ donis, licet indebitis, creaturam rationalem ad instar Angelorum ornaret.—*b)* Decebat quoque Dei sapientiam ut non minorem perfectionem protoparentibus conferret quam posteris concessurus erat.—*c)* Totum vero Incarnationis et gratiæ Christi mysterium, quia *reparatio, renovatio, redemptio* nuncupatur, aperte ostendit primævum Adami statum fuisse gratiæ sanctificantis.

Conclusio 2ᵃ.—PROBABILIUS, IMO CERTUM VIDETUR PRIMOS PARENTES IN IPSO CREATIONIS INSTANTI GRATIAM ACCEPISSE.

Non defuere olim theologi, uti *S. Bonaventura, Scotus, Alex. Halensis*, qui opinarentur primum hominem habuisse quidem ab initio rectitudinem quamdam tum animæ tum corporis per donum justitiæ originalis, sed nonnisi post aliquod tempus accepisse gratiam sanctificantem qua ad finem supernaturalem disponeretur. — Patres *Tridentini*, hanc quæstionem dirimere nolentes, decreverunt Adamum in sanctitate fuisse constitutum, quin verbo *creatum* uterentur.—Modo *cunctis* una mens et sententia est, solidis rationibus innixa, quam in conclusione protulimus.

Prob. hæc concl. 1° ex ipsis *Divinis Litteris*, prouti textus supra citati (Gen. I, 26 et Eccl. VII, 30) fidem faciunt seu saltem manifeste innuunt.

2° Inter *Patres* ita loquitur *S. Hieronymus* (adv. Jovin. l. I, c. 29) : " Cum boni *creati* simus et recti a Deo, ipsi vitio nostro sumus ad pejora delapsi." Et *S. Joan. Damascenus* (de Fide, l. 2, c. 12) : " *Creavit* Deus hominem innocentem, rectum, probum, omni virtutum genere ornatum, Angelum alterum, adoratorem mixtum...spiritum simul et carnem, spiritum ob gratiam."

3° Accedunt *rationes* theologicæ ; quarum *prima* a *pari* procedit. Homo enim et Angelus æqualiter ordinantur ad gratiam. Atqui Angelus creatus est in gratia secundum illud *Augustini* (12 de Civ. Dei, c. 9) : " Deus simul erat in eis condens naturam et largiens gratiam."(Cf. Disp. III, Q.VI, a.3). Ergo et homo in gratia conditus est.

Secunda ratio validior est, ex natura rei seu ex *rectitudine* primi status desumpta.—Sane primus homo in statu justitiæ creatus est. Atqui radix originalis justitiæ erat ipsa gratia gratum faciens. Ergo. *Major* innotescit ex Eccl. VII, 30, necnon ex plerisque auctoritatibus Patrum, præsertim Hieronymi et Damasceni quorum verba recitavimus ; atque ipsi dissentientes theologi in hoc nobiscum conveniunt. *Minor* prob. tum a priori tum a posteriori.

A priori quidem, secundum duplex genus causæ *effectivæ* et *finalis*.—*a)* Nam justitia seu rectitudo originalis, teste *Augustino* (l. I, de Remiss. pecc. c. 16), in hoc erat quod, quamdiu ratio Deo subjecta maneret, tamdiu posset aureo quodam freno inferiores vires sibi subjicere et anima corpus perfecte dispositum tenere. Igitur prima subjectio, nempe rationis ad Deum, causa erat et secundæ et tertiæ, scil. virium inferiorum ad rationem et corporis ad animam. Atqui utraque subjectio corporis ad animam et sensuum ad rationem non erat naturalis, propterea quod secus post peccatum mansisset ; aliunde autem effectus potior esse nequit quam sua causa. Ergo subjectio illa secunda et tertia efficiebatur a vi quadam essentialiter supernaturali divinitus indita ; seu, aliis verbis, subjectio prima et cæterarum causa, qua ratio ab ipso creationis momento Deo obtemperabat, non erat solum secundum naturam, sed etiam secundum supernaturale donum gratiæ speciali et perfectiori modo quam nunc animam informantis [1].—*b)* Insuper, cuncta dona quibus constabat perfectio justitiæ originalis ad gratiam se habebant veluti adjumenta et dispositiones, aut complementum atque ornamentum. Ergo censendum est illa fuisse intuitu et ratione gratiæ collata ideoque in gratia ipsa radices sumpsisse.

A posteriori idem suadetur : siquidem, ut habet S. *Augustinus* (13 de Civ. Dei, c. 15), semel ac gratia, commisso peccato, protoparentes deseruit, soluta est obedientia carnis ad animam ; ex quo deducitur per gratiam in anima existentem inferiora fuisse ei subordinata.—Concludamus itaque Deum simul primum hominem instituisse in statu justitiæ et gratiæ sanctificantis.

1—Cf. Gonet, *De homine*, Disp. I, a. 5.

Conclusio 3ª.—GRATIA ADAMO CONCESSA FUIT SIMPLICITER SUPERNATURALIS ATQUE CREATÆ CUILIBET NATURÆ PRORSUS INDEBITA.

Quamvis hæc veritas jam ex prædictis clara supponatur, tamen quum hæretici, scil. *Lutherus*, *Baius*, *Jansenius*, *Quesnellus*, contenderint illa gratiæ dona fuisse primo homini aut *naturalia* aut saltem *debita*, utile visum est breviter quidem at propriis rationibus catholicam doctrinam in tuto collocare.—Thesis dici potest *fidei proxima* ob damnatas propositiones *Baii* (21, 23, 24) et *Quesnelli* (35).

Prob. 1º ex *natura* et *effectibus formalibus* gratiæ.—Gratia enim, prouti colligitur tum ex Scriptura tum ex universa traditione, tantæ dignitatis est ut hominem efficiat *consortem divinæ naturæ*, singularem *Dei amicum*, *filiumque adoptivum*, *Spiritu Sancto inhabitante* justorum animam. Atqui creatura, quantumvis perfecta, non potest sibi ex se vindicare neque quod proprium Dei est divinique ordinis, neque intimam Dei amicitiam in bonorum communicatione immediate fundatam, neque adoptivam illam filiationem, non naturâ sed gratiâ adoptantis effectam, neque demum speciale donum inhabitantis Spiritus Sancti. Ergo gratia gratuita prorsus est atque indebita, immo creaturam in supernaturali ordine constituit. (Cf. I, Q. XII de *visione beatifica*, necnon I-IIæ, Q. CX de *essentia gratiæ*.)

2º Ex *traditionis* thesauro pauca depromam.—En quæ habet *S. Athanasius* (Orat. 2 cont. Arian) : "Est, inquit, Dei *benevolentia* quod, quorum sit conditor, horum postea per benevolentiam Patrem se faciat, quod tum contingit, quum creati homines, ut ait Apostolus, Spiritum Filii ejus clamantem Abba Pater in suis cordibus suscipiunt." Non impar claritudine loquitur *S. Augustinus* (l. 2 c. Maximinum, c. 15). "Homo nempe ad Dei similitudinem factus est; tamen quia non est unius ejusdemque substantiæ, non est verus filius ; et ideo fit *gratiâ* filius, quia non est naturâ." Et *S. Cyrillus Alex.* (Dial. de Trin. l. 3) : "Nunquam concipietur natura deifica : verum id soli Deo tribuendum est, qui sanctorum animabus immittit suæ proprietatis participationem illam per Spiritum, per quem etiam conformes facti naturali Filio, dii secundum ipsum et filii vocati sumus."

Solv. obj. (contra 1am concl.).—OBJ. 1.—Apostolus (1 Cor. XV, 45) distinguens Adam a Christo dicit: *Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus autem in spiritum vivificantem.* Atqui vivificatio spiritus fit per gratiam. Ergo.

RESP. *D. M*:... et ibi fit oppositio quantum ad vitam animæ, *N*; quantum ad vitam corporis, animalis in Adamo et spiritualis in Christo per gloriam resurrectionis, *C*.—*D.m*: vivificatio animæ fit per gratiam gratum facientem, *C*; nec datur vivificatio corporis per quamdam spiritualitatem, *N*.—*Neg. conseq.*

Apostolus illa verba inducit ad ostendendum esse corpus spirituale, sicut corpus animale; si quidem vita spiritualis corporis incœpit in Christo qui est *primogenitus ex mortuis*, sicut vita corporis animalis ex Adam ortum duxit. Non ergo inferri potest primum hominem non fuisse spiritualem secundum animam, sed solummodo non habuisse corpus spirituale.

OBJ. 2.—Juxta Augustinum (l. de Quæst. V. et N. Test. q. 123) Adam non habuit Spiritum Sanctum. Atqui non habere Sp. S. idem est ac carere gratia. Ergo.

RESP. *D. M*:...non habuit absolute, *N*; eo modo quo nunc fideles habent, *C*.—*C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

Ante peccatum, Adam non fuisset mortuus sed tempore opportuno in vitam æternam translatus; post peccatum vero, de morte translatus est in lymbum Sanctorum Patrum indeque post Christi mortem in cœlos. Nunc autem fideles taliter a Spiritu Dei moventur ut statim post mortem percipere possint æternam hæreditatem.

OBJ. 3. (contra 2am concl.).—Augustinus dicit (l. de corr. et gr. c. 10): "Deus sic ordinavit Angelorum et hominum vitam ut prius in eis ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium, deinde *quid posset suæ gratiæ beneficium* justitiæque judicium". Ergo.

RESP. *Disp. antec*:...ut ostenderet quid posset liberum arbitrium cum gratia justificante, deinde quid posset gratiæ confirmantis beneficium, *C*;...quid posset liberum arbitrium sine gratia justificante, *N*.—*Neg. conseq.*

Cum gratia non perimat liberum arbitrium, potuit primus homo, ab ipso creationis ortu in statu probationis positus, divinum illud munus pro placito voluntatis custodire vel abjicere, et ita potestatem liberi arbitrii manifestare.

Obj. 4.—Dicit Magister (24 dist. l. 2 Sent.): "Homini in creatione datum est auxilium per quod stare poterat, sed non poterat proficere." Atqui quicumque gratiam habet merito potest proficere. Ergo.

Resp. *D. M* :... secundum eos qui posuerunt hominem creatum esse in naturalibus tantum, *Transeat;* secundum rei veritatem, *S.d* :...non poterat proficere, scil. per meritum vitæ æternæ, ex creatione naturæ, *C;* neque ex superadditione gratiæ, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

Obj. 5.—Gratia, qua contrahitur spirituale quoddam connubium inter Deum et animam, requirit consensum ex parte recipientis. Atqui consensus in gratiam esse non potest nisi prius existentis. Ergo.

Resp. *C. M.—D.m* :...nisi prius existentis prioritate naturæ, *C;* prioritate temporis, *N.—Neg. conseq.*

Cum motus voluntatis non sit continuus, nihil prohibet quin etiam in primo instanti suæ creationis, Deo efficaciter et intime movente, primus homo gratiæ consenserit.

Obj. 6.—Natura plus distat a gratia quam gratia a gloria. Atqui in homine gratia præcessit gloriam. Ergo.

Resp. *D. M* :...distantiâ secundum meritum, *C;* distantiâ secundum tempus, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

Possunt simul tempore dari natura et gratia, quia non præexigitur quod naturæ actus mereatur gratiam; nec enim potest. Gloriam vero meremur per actum gratiæ, quæ ideo illam præcedere debet.

ARTICULUS II.

Utrum in primo homine fuerint animæ passiones.

1° Determinanda subit habitudo gratiæ originalis ad partem inferiorem seu sensitivam hominis, quæ per *animæ passiones* vim suam exerit. Passio enim *definiri* potest: motus appetitus sensitivi cum transmutatione corporali, ex apprehensione seu imaginatione boni vel mali procedens.—Appetitus autem sensitivus duplex est: concupiscibilis et

irascibilis, prouti respicit bonum et malum vel absolute, vel sub ratione ardui seu adipiscibilis ac fugibilis cum aliqua difficultate. Hinc et ipsæ passiones pertinent aliæ ad vim *concupiscibilem* ut amor et odium, concupiscentia et fuga, delectatio et tristitia, aliæ ad vim *irascibilem* ut spes et desperatio, timor et audacia, atque ira.—Porro, licet passiones secundum se sumptæ non sint moralitatis capaces, tamen in quantum subsunt moderamini rationis cui obedire vel repugnare natæ sunt, jam ad bonum vel malum *morale* respectum induunt. (Cf. I-IIæ, Q. XXII, XXIII, XXIV)

2° *Concupiscentia* (de ea enim quæstio mox habebitur) tripliciter sumi potest : primo et *stricto* sensu pro ea passione qua vis concupiscibilis bonum sensibile ut absens appetit, et sic ab amore et delectatione distinguitur; secundo et *lato* sensu pro omni actu seu passione appetitus sensitivi; tertio et *latissime* per quamdam similitudinem pro appetitu cujuslibet boni etiam spiritualis. In secundo sensu nos hic de concupiscentia loquemur. — Præterea alia est concupiscentia objecti rationi conformis, alia objecti a ratione dissoni, et, quamvis philosophice utraque significatio vera sit, communis tamen loquendi usus obtinuit ut concupiscentiæ vox in *malam partem* adhiberetur.

3° Quum *integritatis* donum, quo primi parentes ornati erant, importaret subjectionem virium inferiorum ad rationem secundum *immunitatem a concupiscentia*, dicendum est sub hac immunitatis ratione comprehendendam esse, non quidem carentiam potentiæ sensitivæ absolute sumptæ, neque carentiam actuum qui morali legi consonant, sed exemptionem ab illis sensitivis motibus qui ad malum inclinant vel a bono retardant, quique, citra voluntatis consensum, *materialem* quamdam, etsi non *formalem*, inordinationem ac malitiam secumferunt.

4° Tria modo investigationi subjiciemus : 1m est an *fuerint* in Adam animæ passiones; 2m *quomodo*, si quæ fuerint, in eo exstiterint et an secundum integritatis donum seu immunitatem a concupiscentia; 3m utrum præfata integritas dicenda sit *præternaturalis* atque indebita, secus ac hæretici sentiunt.

Conclusio 1a.—NON ERANT IN STATU INNOCENTIÆ PASSIONES CIRCA MALUM NEC CIRCA BONUM ABSENS TUNC DEBI-

TUM, SED SOLUMMODO CIRCA BONUM HABITUM AUT TEMPORE SUO HABENDUM.

1ª *Pars* negativa prob. 1º *ex Scriptura.*—(Gen. II, 8 et 15) homo dicitur fuisse a Deo positus *in paradiso voluptatis;* quæ verba considerans *S. Joan. Chrysostomus* (Hom. 14 in Gen.) ait: " Non simpliciter dixit in *horto*, sed apposuit *voluptatis*, ut excellentem voluptatem qua fruiturus esset inhabitando nobis declararet."—*Multitudo bonorum* quibus protoparentes affluebant, ut ex cap. I et II Gen. constat, idipsum evincit.

Prob. 2º ex *S. Augustino* (de Civ. Dei, l. 14, c. 10): " Quid timere vel dolere poterant homines illi in tantorum tanta affluentia bonorum, ubi nec mors metuebatur nec ulla corporis mala valetudo nec aberat quidquam quod bona voluntas concupisceret, nec inerat quod carnem animumve hominis feliciter viventis offenderet ".

Credendum est igitur omnes illas passiones quæ respiciunt malum, ut dolor, timor et hujusmodi, in Adamo non fuisse; similiter nec fuisse illas passiones quæ respiciunt bonum non habitum et tunc habendum, ut æstuans cupiditas.

2ª *Pars* concl. affirmat passiones quæ possunt esse boni præsentis, ut amor et gaudium, vel quæ sunt futuri boni suo tempore habendi, ut desiderium et spes non affligens, fuisse in statu innocentiæ.—Ostenditur 1º ex verbis *Augustini* (op. et loc. cit.) dicentis: " Amor erat imperturbatus in Deum atque inter se conjugum fida et sincera societate viventium, et ex hoc amore grande gaudium, non desistente quod amabatur ad fruendum."—2º Ex *ratione propria primi status*: siquidem passiones de quibus loquimur, cum sine malo esse possint, certe pertinebant ad perfectionem atque integritatem naturæ qua pollebat Adam.

Conclusio 2ª.—PROTOPARENTIBUS COMPETEBAT IMMUNITAS A CONCUPISCENTIA SEU INTEGRITAS QUA SENSATIONES ET PASSIONES TUM ACTU TUM HABITU RATIONI PERFECTE SUBDEBANTUR.

Hæc veritas *proxima fidei* esse videtur: *Concilium* enim *Trid.* (Sess. V, c. 5) decernit a Christo restitutum esse quod perdiderant primi parentes, " remanere tamen in baptizatis concupiscentiam vel fomitem...quæ, quum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus sed viriliter per Christi gratiam

repugnantibus non valet"; quibus verbis clare significat illam concupiscentiam in protoparentibus non exstitisse.

Prob. concl. 1° *ex Scriptura* (Gen. II, 25; III, 7; III, 10-11); ubi narratur Adamum et Evam ante peccatum, quamvis essent nudi, nullam passos esse erubescentiam; quam tamen experti sunt statim post peccatum. Jam vero erubescentia, de qua hic agitur, effectus est concupiscentiæ. Ergo ante peccatum a concupiscentia erant immunes.—Præterea, Apostolus (Rom. VII, 19-20 et 25) concupiscentiam vocat *peccatum*, dicens: *Si autem quod nolo illud facio, jam non ego operor illud sed quod habitat in me peccatum... Igitur ego ipse mente servio legi Dei; carne autem legi peccati.* Atqui non est sermo de peccato formali, quum desit voluntatis consensus. Ergo, ut ait Conc. Trid., ita concupiscentia appellatur quia "*ex peccato est* et ad peccatum inclinat"; adeoque ante peccatum primi hominis minime exstitisset.

Prob. 2° ex *Patrum* et *Doctorum* consensione.—*S. Fulgentius* (de Ver. Præd. et Grat. l. 3, c. 16) scribit: "Hæ necessitates (inter quas numerabat quod caro concupiscit adversus spiritum) non desinunt in hoc corpore mortis hujus mortaliter viventibus Sanctis, quibus miserabiliter quidem concutiuntur, ut agnoscant se illam gratiam sanctæ libertatis et pacis primæ in primo peccati merito perdidisse". Et *S. Joan. Damasc.* (Hom. in ficum arefact.): "Protoparentes, etsi corpore nudi erant, divina tamen gratia tegebantur. Corporale nullum ipsis indumentum erat, sed incorruptela vestiebantur". — *Catech. Trid.* de primo homine loquens idem docet (p. I, a. 1, n. 22): "Omnes præterea motus animi atque appetitiones ita in eo temperavit (Deus) ut rationis imperio numquam non parerent".—Recte igitur concludit S. Thomas, quod in nobis motus sensuales non raro præveniunt judicium rationis ac ei resistunt; in statu vero innocentiæ pars inferior totaliter subjecta erat rationi, ita ut passiones animæ solum ex mentis judicio consequerentur.

3° *Duplici modo* censendum est cum *Suarezio*[1] Deum primis contulisse parentibus perfectum illud imperium in vires sensitivas: nempe *a)* per *extrinsecam* suam Providen-

1—*De opere sex dierum*, l. III, c. 12.

tiam quæ cuncta secundum præstitutum ordinem regulabat, necnon *b)* per *intrinsecos* et proprios habitus, potentiarum dispositivos, ex quibus istæ juxta rationis normam gratiæque impulsum in actus debitos inclinarentur. Hi habitus profecto erant superadditæ quædam perfectiones præsertim virtutis prudentiæ quæ auriga virtutum est, atque temperantiæ et fortitudinis quibus passiones reguntur.

Conclusio 3ª.—INTEGRITATIS DONUM, QUOD ADÆ PROXIME VINDICAVIMUS, PRÆTERNATURALE ERAT IDEOQUE GRATUITUM.

Post quæstionem *facti* solvenda nunc est quæstio *juris* contra adversarios superius recensitos, scil. *Lutherum*, *Baium* et *Jansenium*.—Doctrina catholica aperte eruitur ex damnata proposit. *Baii* 26, videlicet : " Integritas primæ conditionis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio." Contradictoria enim pro vera habenda est.

Prob. 1º ex *parabola* Christi de eo qui incidit in latrones (Luc. X, 30) ; primum enim *despoliaverunt eum*, deinde *plagis impositis abierunt semivivo relicto.* Ubi, ait Bellarminus [1], non solum intelligimus ex nomine vestium, quæ extrinsecum quid significant, colligi posse donis supernaturalibus privatum fuisse primum hominem, sed etiam animadvertimus plagas naturæ humanæ ex despoliatione consecutas esse. Parabolam istam communi consensu exponunt Patres de jactura virtutum et donorum, quam primus homo peccando passus est.

2º Ex *traditione* tum Patrum tum Doctorum.—*S. Augustinus* (l. 4 in Julian. c. ult.) : " *Gratia* Dei, inquit, magna ibi erat, ubi terrenum et animale corpus bestialem libidinem non habebat ". Et *S. Joan. Chrysost.* (Hom. 16 in c. 11 Gen.) : " Nudati propter peccatum supernæ gratiæ amictu, sensibilis suæ spoliationis sensum acceperunt. Veste illa nova et admirabili gloriæ ac supernæ benevolentiæ expoliatos Deus sentire fecit quæ ante, ob *singularem* illius in se *benevolentiam*, non sentiebant ".—Mens *S. Thomæ* perspicua est tum ex art. præcedenti, tum ex variis aliis locis. (Cf. I-IIæ, Q. LXXXII, a. 1 ad 3 ; C. G. l. IV, c. 52 ; 2 Sent. Dist. XXXI, Q. I, a. 1). (De Ver., Q. XXV, a. 7) ita loquitur : " Sensualitas in hac vita curari non potest nisi per miraculum. Quia id quod est

1—*De gratia prim. hom.*, c. 6.

naturale non potest permutari nisi virtute supernaturali. Hujusmodi autem corruptio, qua partes animæ dicuntur corruptæ, sequitur quodammodo inclinationem naturæ. Quod enim in primo statu collatum fuit, ut ratio totaliter inferiores vires contineret et anima corpus, *non fuit ex virtute principiorum naturalium*, sed ex virtute originalis justitiæ, ex divina liberalitate superadditæ". Consentiunt alii *Scholastici* cum veteres tum recentiores.

3° Propria hujus veritatis *ratio* manifestissima est.—Quemadmodum enim naturale est spiritui rationali prosequi bonum spirituale, ita naturale est corpori, animali sensu et appetitu prædito, concupiscere bonum sensibile. Atqui, inter bona sensibilia, talia non desunt quorum appetitio legibus rationis bonisque spiritualibus contrarietur. Ergo natura nostra ex spiritu rationali et animali corpore conflata, nisi vis quædam superior accedat ad refrænandam omnem rebellionem, diversas et inter se pugnantes propensiones experiatur oportet : ex quo consequitur talem ac tantam humanarum virium consonantiam, qualis in Adamo erat, fuisse omnino præternaturalem atque indebitam.—Plura de hac re alias disputabuntur præcipuisque dubiis solutio dabitur, quando nempe ostendetur *statum naturæ puræ possibilem esse.*

Solv. obj. (contra 2^{am} part. $1^{æ}$ concl.).—OBJ. 1.—Secundum passiones animæ contingit quod *caro concupiscit adversus spiritum* (Gal. V, 17). Atqui hoc non erat in statu innocentiæ. Ergo.

RESP. *D. M :* Secundum passiones animæ rationi repugnantes...*C ;*...rationi subjectas, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

OBJ. 2.—Anima Adæ nobilior erat quam ejus corpus. Atqui corpus Adæ fuit impassibile. Ergo nec in anima ejus fuerunt passiones.

RESP. *C. M.—D.m :*...quantum ad omne passionis genus,*N ;* quantum ad passiones quæ removent dispositionem naturalem seu convenientem, *C.—Neg. conseq.*

OBJ. 3.—Per virtutem moralem comprimuntur animæ passiones. Atqui in Adam fuit virtus moralis perfecta. Ergo.

RESP. *D. M :*...totaliter auferuntur, *N ;* ordinantur ita ut anima concupiscat quæ oportet et sicut oportet, *C.—C.m.—Neg. conseq.*

ARTICULUS III.

Utrum Adam habuerit omnes virtutes.

Post ea quæ hactenus de protoparentibus determinata sunt superflua videri posset quæstio hic posita, nisi primi status peculiaris conditio quidpiam contrarium nonnullis virtutibus apparenter saltem objiceret: cujus solvendæ oppositionis ratio S. Doctorem movit; præterquam quod *Trinitarii* falso docuerunt hominem in statu innocentiæ numquam habuisse unde stare posset et peccato resistere.—Insuper, in illa felici conditione, vigente et operante justitia originali, tam alta tamque constans cunctarum virtutum perfectio ac subordinatio fuit ut Adam *immunis* prorsus extiterit *ab omni veniali peccato.* Quare de hoc immunitatis dono pauca adjicere inopportunum non erit.

Conclusio 1ᵃ.—HOMO IN STATU INNOCENTIÆ ALIQUALITER HABUIT OMNES VIRTUTES. Dico *aliqualiter,* ut insinuetur duas partes in hac propositione distinguendas esse, unam de *re,* alteram de *modo.* —Hæc est, uti aiunt, *conclusio theologica,* scil. innixa principiis fidei ex quibus veluti ex germine quodam rationali discursu deducitur.

1ᵃ *Pars* prob. 1º ex verbis *S. Augustini* (Hom. in Conc. ad Catech. c. Jud. Pag. et Arian. c. 2): " Princeps vitiorum vidit Adam de luto terræ ad imaginem Dei factum, pudicitia ornatum, temperantia compositum, claritate circumdatum."

2º *Ratione.—a)* Primus homo creatus fuit in gratia sanctificante. Atqui gratia sanctificans est radix omnium virtutum quæ ab ipsa tanquam proprietates ab essentia fluunt. Ergo.—*b)* Præterea, ut supra dictum est, talis erat rectitudo primi status ut ratio obediret Deo, inferiores autem vires rationi. Atqui virtutes nihil aliud sunt quam perfectiones quædam quibus ratio ordinatur in Deum et inferiores vires disponuntur secundum rationis normam, ut in Tract. de virtutibus ostenditur. Ergo.

2ᵃ *Pars* de *modo existendi* virtutum nunc declaratur.—1º Virtutes quæ de sui ratione nullam imperfectionem important, ut *charitas* et *justitia,* simpliciter fuerunt in statu

innocentiæ et quantum ad *habitum* et quantum ad *actum*.— 2° Idem tenendum est de illis virtutibus quæ, quamvis defectum importent sive ex parte actus sive ex parte materiæ, tamen non repugnabant perfectioni primi status, quales sunt *fides* de non visis et *spes* de non habitis. Perfectio enim primi status non se extendebat ad hoc ut homo videret Deum per essentiam, neque ut Summo Bono statim et immediate possesso frueretur.—3° Quæ virtutes ob suum defectum perfectioni primi status adversabantur in eo erant secundum *habitum*, non vero secundum actum, uti *pœnitentia* et *misericordia*. Pœnitentia enim est dolor de peccato commisso, misericordia etiam dolor est de miseria aliena. Atqui tam dolor quam culpa et miseria felicitati primi status contrariantur. Ergo illæ virtutes in primo homine erant tantummodo secundum habitum, quatenus ita dispositus esset ut, adveniente peccato, tristaretur, atque si miseriam in alio videret eam pro posse repelleret.

Conclusio 2ª.—ADAM IMMUNIS ERAT A PECCATO VENIALI, SEU NON POTERAT PRIUS PECCARE VENIALITER QUAM MORTALITER.—Ita S. Thomas [1] et cum eo plerique Doctores contra *Scotum* et *Altisiodorensem*.

Prob. 1° ex *pœna peccati*.— Cuilibet peccato debetur aliqua pœna. Sed nihil pœnale esse potuit in statu innocentiæ, ut *Augustinus* dicit (14 de Civ. Dei, c. 10). Ergo primus homo non potuit peccare aliquo peccato quo non ejiceretur ab illo integritatis statu. Atqui peccatum veniale non mutat statum hominis. Ergo Adam non potuit peccare venialiter.

Prob. 2° ex *ipsa peccati venialis natura*. — Peccatum veniale in nobis contingit vel propter imperfectionem actus et ex *surreptione*, sicut subiti motus in genere peccatorum mortalium, vel cum *perfecta deliberatione* et propter inordinationem existentem circa ea quæ sunt ad finem, servato debito ordine ad finem, nempe circa levem materiam. Atqui neutro modo Adam peccare potuit. Ergo. *Minor* ostenditur. Re sane vera utrumque peccati venialis genus provenit ex aliquo defectu ordinis, seu ex eo quod inferius non continetur firmiter sub superiori. Quod enim in nobis subitus sensualitatis

1—I-IIæ, Q. LXXXIX, a. 3.

motus insurgat, oritur ex hoc quod sensualitas non est omnino subdita rationi ; quod vero subitus motus in ratione ipsa irrepat, ex eo contingit quod executio actus rationis non regulatur per plenam deliberationem ex altiori bono petitam. Item quod humanus animus inordinetur circa media ad finem in levi materia seu salva debita finis intentione, provenit ex hoc quod ea quæ sunt ad finem non ordinantur infallibiliter sub fine, qui summum locum tenet veluti principium in appetibilibus. Atqui in statu innocentiæ tanta erat ordinis firmitas ut semper et infallibiliter inferius contineretur sub superiori, quamdiu summum hominis contineretur sub Deo, quemadmodum *Augustinus* docet (14 de Civ. Dei, c. 13). Ergo oportebat in primo homine inordinationem fieri non posse, nisi inciperet ab ipsa ratione sese Deo subducente in supremo suo officio. Atqui hoc est peccare mortaliter. Ergo primus homo non potuit peccatum veniale committere, antequam integritatem primi status lethaliter peccando amitteret.

Solv. obj. (contra 1am concl.).—Obj. 1. — Quædam virtutes ordinantur ad refrænandam immoderantiam passionum, sicut per temperantiam refrænatur immoderata concupiscentia et per fortitudinem immoderatus timor. Atqui immoderantia passionum non erat in statu innocentiæ. Ergo nec dictæ virtutes.

Resp. *D. M* :...per accidens, *C;* per se, *N.*—*C.m.*—*Neg. conseq.*

Accidit temperantiæ et fortitudini quod, passionibus superabundantibus, harum immoderantiam cohibeant. *Per se* enim convenit hujusmodi virtutibus passiones moderari.

Obj. 2.—Quædam virtutes sunt circa passiones respicientes malum, ut mansuetudo circa iras, fortitudo circa timores. Atqui tales passiones non afficiebant statum innocentiæ. Ergo.

Resp. *D. M* :...prædictæ virtutes sunt circa illas passiones tantum, *N* ; etiam circa alias, *C.*—*D.m* : passiones respicientes malum in eo qui passione afficitur...*C* ; in altero, *N.* —*Neg. conseq.*

1° Quum passiones ad malum ordinatæ possint respicere malum vel in eo qui passione afficitur, ut timor et dolor, vel in altero, ut odium malitiæ dæmonis, priores, non posteriores repugnabant perfectioni primi status ; ideoque, circa istas,

virtutes in Adamo esse poterant tum *habitu* tum *actu*.— 2º Virtutes ordinatæ ad prohibendum malum in humano subjecto vel illud solum respiciunt uti pœnitentia et misericordia, vel etiam ordinantur ad prosequendum bonum uti temperantia quæ tum circa tristitias tum circa delectationes versatur necnon fortitudo quæ est et circa timorem et circa audaciam ac spem. Quare virtutes primi generis non erant in statu innocentiæ nisi secundum *habitum;* aliæ vero, respectu quidem mali, *habitu tantum*, respectu autem boni tum *habitu* tum *actu* esse poterant.

OBJ. 3.—Perseverantia est quædam virtus. Atqui hanc Adam non habuit, ut eventus ostendit. Ergo.

RESP. *D. M :*...est virtus vel circumstantia virtutis, *C;* virtus tantum, *N.—C.d.m :* non habuit virtutem ipsam, *N;* non habuit modum seu continuationem non interruptam virtutis, *C.—Neg. conseq.*

Perseverantia dupliciter sumitur: uno modo, prout est quædam *virtus*, et sic significat quemdam habitum quo quis eligit perseverare in bono; quo sensu Adam perseverantiam habuit. Alio modo accipitur prout est *circumstantia virtutis*, et sic significat continuationem quamdam virtutis absque interruptione; et hæc perseverantia in Adamo non fuit.

ARTICULUS IV.

Utrum opera primi hominis fuerint minus efficacia ad merendum quam opera nostra.

1º Felicitas primævæ conditionis dijudicanda est non solum ex copia gratiarum, donorum atque virtutum quibus protoparentes a Deo cumulati erant, verum etiam et maxime ex summa *operum* excellentia ac dignitate qua præstantiorem in cœlis gloriam consequi poterant, quæque quanto magis operum nostrorum merita superare videbitur, tanto manifestius Dei liberalitas erga humanum genus in Adamo institutum apparebit.

Porro 2º *prænotandum* est quantitatem meriti ex duobus pensari posse: uno modo ex *radice charitatis* et *gratiæ*, et talis quantitas meriti respondet *præmio essentiali* quod in Dei fruitione consistit; qui enim ex majori charitate aliquid facit perfectius Deo fruitur. Alio modo pensari potest ex *quantitate operis;* quæ quidem est duplex, *absoluta* et *proportionalis.* Vidua enim quæ misit duo æra minuta in gazophylacium minus opus fecit quantitate absoluta quam illi qui magna munera posuerunt; sed quantitate proportionali vidua plus fecit secundum sententiam Domini, eo quod id magis ejus facultatem superabat. Utraque tamen meriti quantitas, utpote commensurata creatæ rei, respondet *præmio accidentali* quod est gaudium de bono creato.

3º Comparatio instituitur inter primum hominem et hominem lapsum *communiter* et quantum ad statum, quin negetur ex speciali Dei consilio *aliquem* nunc dari majoris gratiæ et meriti [1].

Conclusio.—OPERA HOMINIS EFFICACIORA ERANT AD MERENDUM IN STATU INNOCENTIÆ QUAM POST PECCATUM, CONSIDERATA QUANTITATE MERITI EX PARTE GRATIÆ, NECNON EX PARTE OPERIS ABSOLUTE SUMPTI; NON VERO SI OPUS PROPORTIONALITER INSPICIATUR.

Prob. 1º *generaliter.*—Nisi opera Adæ majorem merendi vim simpliciter habuissent quam opera nostra, homo esset melioris conditionis post peccatum. Hoc vero videtur inconveniens et contrarium verbis (Eccli. VI, 2-3): *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ... ne forte elidatur virtus tua per stultitiam, et folia tua comedat, et fructus tuos perdat, et relinquaris velut lignum aridum in eremo;* quasi dicatur: Ex peccato præsertim superbiæ nullus reportatur fructus, nulla utilitas, sed vacuitas quædam et miseria. Ergo.

Prob. 2º *per partes.*—1ª *Pars* evincitur ex eo quod principium meriti est gratia cum charitate, quæ tanto copiosius in anima participatur quanto subjectum melius dispositum est. Atqui in statu innocentiæ nihil obstabat susceptioni gratiæ, dum in nobis pleraque obstacula tum interna tum externa existunt. Ergo.

1—Cf. II Sent. Dist. XXIX, Q. I, a. 3.

2ª *Pars* liquet ; *absoluta* enim operis quantitas pendet ex absoluta perfectione virtutis operativæ. Atqui primus homo, vigore naturalium præstans et abundantiori gratia munitus, præditus erat majori virtute. Ergo et majora opera fecisset.

3ª *Pars* respicit quantitatem *proportionalem* operis ; quo sub respectu major invenitur ratio meriti post peccatum propter hominis imbecillitatem. Magis enim excedit parvum opus potestatem ejus qui cum difficultate illud operatur quam opus magnum facultatem ejus qui sine difficultate illud perficit. Idcirco nobis dictum est : *Qui seminant in lacrymis in exultatione metent.*

Solv. obj.—OBJ. 1.—Gratia, ex misericordia Dei data, magis indigentibus magis subvenit. Atqui nos magis gratia indigemus quam primus homo in statu innocentiæ. Ergo majorem gratiam majusque meritum habemus.

RESP. *Transeat Maj.* — *D.m* : gratia magis indigemus extensive seu ad plura, *C* ; intensive, *N.*—*Neg. conseq.*

Homo post peccatum *ad plura* indiget auxilio gratiæ quam ante, non autem magis *intensive* ; nam etiam ante lapsum gratia necessaria erat ad vitam æternam consequendam, propter quod principaliter requiritur ; verum post lapsum requiritur etiam ad peccati remissionem et infirmitatis sustentationem.

OBJ. 2.—Ad meritum maxime concurrit pugna et difficultas, juxta illud (2 Tim. II, 5) : *Non coronatur nisi qui legitime certaverit.* Atqui nunc est major pugna et difficultas quam in Adamo fuit. Ergo et major efficacia ad merendum.

RESP. *D. M* :...simpliciter et directe, *N* ; secumdum quid et indirecte, *C.*—*C.m.*—*Neg. conseq.*

1º Difficultas et pugna pertinent ad perfectionem meriti *non simpliciter*,sed secundum quantitatem operis proportionalem. Quod autem homo difficultatem aggrediatur et vincat, *signum* est promptitudinis voluntatis quæ ex magnitudine charitatis causatur.—Verum 2º contingere potest quod aliquis opus facile faciat ita prompta voluntate sicut alius difficile, in quantum et ipse paratus esset ardua suscipere : quo criterio meritum primi status perpendendum est.—3º Tamen actualis difficultas quam experimur, prouti pœnalis est, habet etiam quod sit *satisfactoria* pro peccato.

QUÆSTIO TERTIA

DE DOMINIO QUOD HOMINI IN STATU INNOCENTIÆ COMPETEBAT

Grandis illa justitiæ dignitas qua primus homo decoratus erat considerari debet non solum quoad statum interiorem animæ, sed etiam quoad *relationem ad mundum* in tam insigni perfectione ac nobilitate rationalis creaturæ fundatam. Hinc anteactis disceptationibus logice hæc altera succedit de dominio quod homini primævo competebat in cæteras creaturas.

Creaturæ autem quibus homo dominari potest triplicis generis sunt : bruta animalia (art. 1), alia inferiora (art. 2) ipsique homines. De hominibus vero, in statu innocentiæ futuris, duo præsertim quoad propositum investiganda sunt, unum fundamentaliter de eorum inæqualitate (art. 3), aliud formaliter de sociali conditione (art. 4). Jam inde clarescit quæstionis ordo.

ARTICULUS I.

Utrum Adam in statu innocentiæ animalibus dominaretur.

Dominium hominis in animalia dupliciter sumi potest : vel quoad *potestatem* vel quoad potestatis *usum*.—Potestas vero ipsa aut *imperfecta* aut *perfecta* est, quatenus involvat ex parte subditorum vel radicalem tantum subjectionem cum tendentia ad frequentem repugnantiam sicuti in nobis sensualitas rationi subjacet, vel plenam facilemque obedientiam secundum quam sensualitas in primo homine rationi obsequebatur.

Duo sub titulo præsentis articuli, post factas distinctiones, demonstrare aggredimur.

Conclusio 1ª.—HOMO IN STATU INNOCENTIÆ PERFECTE DOMINABATUR OMNIBUS ANIMALIBUS.

Prob. 1° ex Gen. (I, 26 et 28) : *Præsit piscibus maris et volatilibus cœli, et bestiis universæque terræ ; omnique reptili quod movetur in terra... Dominamini piscibus maris et volatilibus cœli et universis animalibus quæ moventur super terram.* Quod autem ibi agatur de *perfecta* dominatione cui animalia peculiari lege et instinctu subjicerentur, patet tum ex Patrum expositione, tum ex Gen. II quando Deus adduxit cuncta animantia ad Adam ut singulis nomina imponeret, quasi tradens illi possessionem eorum quorum dominium jam contulerat ipsisque animantibus quodammodo præbens singularem sui domini cognitionem, ut eleganter expendit *Chrysostomus* (Hom. 14 in Gen.).

Prob. 2° *ratione.*—Inobedientia ad hominem eorum quæ debent ei esse subjecta consecuta est in pœnam ejus, eo quod ipse inobediens fuit Deo ; ideoque ante peccatum, mediante vi præternaturali originalis justitiæ, nihil actu vel etiam habitu ei repugnabat quod secundum naturalem seu fundamentalem suam conditionem eidem subjacet. Atqui ex naturali sua conditione cuncta animalia fundamentaliter saltem homini subjecta sunt. Ergo. *Minor* ostenditur triplici ex capite : *primo* ex ipso naturæ processu. Sicut enim in generatione entium intelligitur quidam ordo quo proceditur de imperfecto ad perfectum, ita et in usu rerum naturalium imperfectiora perfectis deserviunt : plantæ namque utuntur terra ad sui nutrimentum, animalia vero plantis, et homines plantis et animalibus. Atqui quod cedit in usum alterius ei naturaliter subjectum est. Ergo. *Conf.* ex Aristotele dicente (1 Polit. c. 5) : " Venatio sylvestrium animalium est justa et naturalis : quia per eam homo vindicat sibi quod est naturaliter suum. " *Secundo* idem apparet ex ordine divinæ Providentiæ. Providentia enim hanc legem observat ut inferiora per superiora regantur. Atqui homo, utpote ad imaginem Dei factus, cæteris animalibus præcellit. Ergo convenienter ejus gubernationi alia animalia subduntur. *Tertio* arguimus ex proprietate hominis aliorumque animantium. In brutis enim animalibus invenitur secundum æstimationem naturalem quædam participatio prudentiæ ad aliquos particulares actus ; in homine autem universalis

prudentia, quæ est ratio omnium agibilium. Atqui omne quod est per participationem subditur ei quod est per essentiam et universaliter. Ergo naturalis, id est, naturæ consentanea dici debet aliorum animalium ad hominem subjectio, quæ in primo statu, procurante Deo per specialem virtutem, secundum obedientiam perfectam exhibebatur.

Conclusio 2ª.—DOMINIUM HOMINIS SUPER ANIMANTIA, QUANTUM AD USUM, NOBILIUS FUISSET ANTE QUAM POST PECCATUM ; QUAMVIS NUNC AD PLURA SE EXTENDAT.

Prob.—Homines in statu innocentiæ non indigebant animalibus ad necessitatem corporalem : neque enim ad tegumentum, quia nudi erant et non erubescebant, nullo incitante inordinatæ concupiscentiæ motu ; neque ad cibum, quia lignis paradisi vescebantur ; neque ad vehiculum propter corporis robur. Indigebant tamen eis vel ad experimentalem usum scientiæ, vel ad elevandam mentem in Deum ipsumque laudandum ex illorum cognitione, vel ad honestam animi recreationem et jucunditatem. Atqui triplex iste usus ex suo genere nobilior est et in illo statu altiori modo exerceretur. Ergo.

Solv. obj. (contra 1ᵃᵐ concl.).—OBJ. 1.—Juxta Augustinum (9 super Gen. ad litt. c. 14), " ministerio Angelorum animalia sunt adducta ad Adam, ut eis nomina imponeret." Atqui in hypothesi perfecti dominii Adæ super animalia superfluum ibi fuisset Angelorum ministerium. Non ergo etc.

RESP. *C.M.—D.m :* posito quod Adam statim et sine mora potuerit cuncta animalia congregare, *C ;* secus, *N.—Neg. conseq.*

In subjectos multa facere potest superior potestas quæ non potest facere inferior. Angelus autem naturaliter superior est homine. Unde aliquis effectus poterat circa animalia fieri virtute angelica qui non poterat potestate humana, scil. quod *statim* cuncta animalia congregarentur.

OBJ. 2.—Ea quæ ab invicem discordant non recte sub uno dominio congregantur. Atqui multa animalia ab invicem naturaliter discordant, sicut ovis et lupus. Ergo non omnia sub hominis dominio continebantur.

RESP. *D. M :*...spectato bono particulari tantum, *C ;*...bono generali, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

1° Quidam dixere animalia quæ nunc sunt ferocia et carnivora fuisse in statu innocentiæ omnino mansueta non solum circa hominem, sed et circa alia animalia. Id vero irrationabile videtur: non enim per peccatum hominis animalium natura mutata est, quasi ea quibus nunc convenit comedere aliorum carnes, sicut leones et falcones, tunc de herbis vixissent; verum etiam in illo statu fuisset naturalis discordia inter quædam animalia.—Nec tamen 2° propter hoc subtraherentur dominio hominis, sicut neque nunc prætergrediuntur dominium Dei, cujus Providentiâ totum hoc dispensatur. Sed hujus Providentiæ homo executor fuisset, prouti etiam nunc contingit: falconibus enim domesticis gallinæ in cibum per homines ministrantur.

Obj. 3.—Proprium domini esse videtur præcipere. Atqui præceptum non recte fertur nisi ad habentem rationem. Ergo homo non dominabatur animalibus irrationalibus.

Resp. *C. M.—D. m* :...nisi ad habentem rationem vel essentialiter vel participative, *C*; essentialiter tantum, *S.d* : præceptum ligans moraliter, *C*; ligans æstimatione naturali, *N.—Neg. conseq.*

Omnia animalia gaudent quadam prudentiæ et rationis participatione secundum *æstimationem naturalem* : ex qua provenit quod grues sequuntur ducem et apes reginæ obediunt. Hoc pacto igitur cuncta animantia, naturali instinctu perfectissime instructa, per seipsa homini obedivissent, sicuti nunc quædam domestica ei obsequuntur.

ARTICULUS II

Utrum homo dominium habuisset super omnes alias creaturas.

Soli quidem Deo competere potest *supremum jus proprietatis* in ipsas rerum naturas, at vero homini divinitus conceditur *jus utendi* illis seu *dependens* quoddam dominium. [1]—

1—Cf. II-IIæ, Q. LXVI, a. 1.

Duo simul hic demonstranda sunt, scil. *dominium* Adæ super inferiora et dominii *modus* atque perfectio.—Quantum vero ad *usum* hujus potestatis, unum obiter breviterque tangemus.

Conclusio 1ª.—PRIMUS HOMO DOMINIUM HABUIT, NON QUIDEM SUPER ANGELOS, SED SUPER ANIMALIA FACILI IMPERIO, SUPER PLANTAS ET INANIMATA CONVENIENTI USU, QUIN EXERCITIUM HUJUS DOMINII ULLUM LABOREM ET DIFFICULTATEM IMPORTARET.

1ª *Pars* prob. 1º *ex Scriptura* (Gen. I, 28-29) : *Crescite et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam... Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam.*

2º *Ratione.*—In homine quodammodo sunt omnia. Atqui prout homo se habet ad suî partes, eo proportionaliter se habet ad alia exteriora. Ergo secundum modum quo dominatur his quæ in seipso sunt, competit ei aliis quoque dominari. Atqui in homine quatuor considerantur : nempe *ratio* quam communem habet cum Angelis, vires *sensitivæ* quibus convenit cum animalibus, vires *naturales* quibus convenit cum plantis, et ipsum *corpus* quo cum rebus inanimatis assimilatur ; ita tamen ut ratio locum dominantis teneat, viribus sensitivis sibi aliqualiter obsequentibus imperet, et naturalibus ipsique corpori utendo dominetur. Ergo primus homo non Angelis quidem, sed cæteris creaturis sic dominabatur ut animantia sub se ad nutum contineret, et rerum insensatarum ministerio uteretur.

2ª *Pars* habet, usum illarum rerum fuisse absque ullo molestiæ et laboris impedimento.—Id 1º eruitur ex *pœnis* quibus homo prævaricator a Deo mulctatus est (Gen. III, 17-19) : *Maledicta terra in opere tuo ; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas et tribulos germinabit tibi... In sudore vultus tui vesceris pane.* Quæ *Suarez* [1] commentans ait : " Quid ergo contulit terræ illa maledictio, aut quo bono illam privavit ? Respondeo, sicut de doloribus et ærumnis diximus secundum se quidem esse naturales, nunc vero esse peccati pœnam, ita de sterilitate

1—*De op. sex dierum*, l. IV. c. 7. n. 17.

terræ dicendum esse, per se spectatam naturalem esse seu ex cursu naturalium causarum consequi, nunc autem esse pœnam peccati. Quia si status innocentiæ duraret, homines non sentirent defectum sterilitatis terræ, quia vel ad suam sustentationem peculiari terræ cultura non indigerent, sed ex spontaneis arborum fructibus sufficienter alerentur : vel si aliquid operis in cultu terræ ponerent, et illud sine labore aut defatigatione perficerent et ex illo abundantes fructus sine ullo sterilitatis incommodo perciperent. Quia vel intra Paradisum habitarent, cujus tota terra fœcundissima erat, vel si aliqui extra Paradisum viverent, ita per divinam Providentiam gubernarentur ut nullibi sterilitatem terræ sentirent [1]."

Hinc 2° perpulchre Em^us^ *Pecci* (modo Leo XIII) in Ep. ad diœcesanos Perusiæ catholicam *de Ecclesia et civilitate* doctrinam exponens dicit : " Vox quæ ab ipso creationis ortu personuit : *Subjicite terram et dominamini ei*, nunquam revocata est. Si homo in statu gratiæ et innocentiæ perseverasset, imperium suum absque ullo conatu exercuisset ; spontanea fuisset creaturarum subjectio, quum nunc dominatio in eas laboriosa sit neque se domari sinant nisi violenta manu cogantur ".

Conclusio 2ª.—PROBABILIUS EST IN STATU INNOCENTIÆ FUTURAM NON FUISSE, SALTEM NECESSARIO ET QUOAD IMMOBILIA, BONORUM DIVISIONEM SECUNDUM PRIVATA DOMINIA.

1° Huic sententiæ favent auctores et Patres non pauci, maxime qui asserunt communem rerum usum per se hominibus convenire, divisionem autem occasione peccati esse introductam. Unde *S. Chrysost.* (Orat. de S. Philog.) *meum* et *tuum* frigidum verbum et malorum omnium incentivum appellat.—2° Rationes quibus *S. Thomas* (II-II^æ^, Q. LXVI, a. 2) necessitatem dividendarum possessionum demonstrat procedunt *ex suppositione peccati* originalis ; ex quo factum est ut promovendæ humanæ activitati stimuli per privatum dominium adjiciendi essent seduloque removendus omnis fons sive confusionis sive dissensionum quibus homines obnoxii sunt.—3° In se et absolute bonorum communitas, sub debita præsidum auctoritate, caritatem fovet mentesque sinit a rerum sensibilium sollicitudine distrahi ut liberius

1—Cf. II-II^æ^, Q. CLXIV, a. 2 ad 1.

colendo et contemplando Deo vacare possint. Unde *Angelicus* (I, Q. XCVIII, a. 1 ad 3): "In statu innocentiæ fuissent voluntates hominum sic ordinatæ quod absque omni periculo discordiæ communiter usi fuissent, secundum quod unicuique eorum competeret, rebus quæ eorum dominio subdebantur; cum hoc etiam modo apud multos bonos viros (nempe in congregationibus religiosis) observetur."

In conclusione dixi: *saltem necessario* et *quoad immobilia.* *a)* (Nam, ut notat *Suarez* [1], non videtur in illo statu datum esse præceptum, nec positivum, nec etiam naturale, prohibens rerum divisionem; *b) mobilia* autem bona magis dividi postulant, quia eo ipso quod occupantur seu capiuntur, puta fructus arboris, accipientis fiunt; *c)* potuissent etiam homines, quin tamen urgeret necessitas, terræ partem colere, quam tunc sub aliquo privati dominii usu concludi conveniens ordo et ratio fortassis exegisset.

ARTICULUS III.

Utrum homines in statu innocentiæ fuissent æquales.

Quæstio de dominatu quem homo in hominem exerceat penitus definiri non potest, nisi prius constiterit vigere inter homines quamdam inæqualitatem. Hæc enim veluti *naturalis hierarchia* merito consideratur quasi fundamentum hierarchiæ socialis atque juridicæ.—Fuit *Almarici* erronea positio quod, si Adam et Eva in justitia permansissent, nulla fuisset sexuum differentia, sed hominum multiplicatio æque ac Angelorum fieret.

Conclusio.—DISPARITAS ALIQUA IN PRIMO STATU FUTURA FUISSET TUM QUOAD SEXUM ET ÆTATEM, TUM QUOAD DISPOSITIONES ANIMÆ ET CORPORIS, ABSQUE TAMEN DEFECTU AUT MALI LABE.

Prob. 1° *communiter.*—*Quæ a Deo sunt ordinata sunt* (Rom. XIII, 1). Atqui ordo maxime videtur in disparitate

1—*Op. cit.*, l. V, c. 7, n. 18.

consistere, juxta illud *Augustini* (19 de Civ. Dei, c. 13): " Ordo est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio." Ergo in primo statu, qui decentissimus fuisset, disparitas inveniretur.

Prob. 2° *per partes.*—1° Quoad *sexum*, nullus esse videtur ambigendi locus. *a)* Ita enim natura processisset in generando, sicut eam Deus instituit. Atqui Deus (Gen. I, 27) *masculum et feminam creavit eos.* Ergo.—*b)* Item, nihil eorum quæ ad complementum humanæ naturæ pertinent in statu innocentiæ defuisset. Atqui, quemadmodum ad perfectionem universi pertinent diversi rerum gradus, ita diversitas sexus ad perfectionem humanæ naturæ, generatione propagandæ debitisque rationibus in singulis individuis evolvendæ, ex intentione divinæ Providentiæ ordinatur. Ergo.

2° Quoad *ætatem*, inæqualitas patet; alii enim ex aliis generarentur et geniti alios generarent.

3° Secundum *animam* diversitas fuisset et quantum ad justitiam et quantum ad scientiam. Non enim ex necessitate homo operabatur, sed per liberum arbitrium. Atqui ex libero voluntatis arbitrio id homo sortitur quod possit magis minusve animum applicare ad aliquid faciendum, vel volendum, vel cognoscendum. Ergo quidam magis profecissent in justitia et scientia quam alii.

4° Ex parte etiam *corporis* poterat esse disparitas. Siquidem corpus humanum non erat totaliter a legibus naturæ exemptum, sed cibo utens ac diversæ aeris dispositioni diversæque siderum actioni subjectum quidpiam commodi aut subsidii ex illis exterioribus agentibus secundum varios gradus recepisset. Atqui quod aliqui robustiores corpore, et majores, et pulchriores, et melius complexionati quam alii generentur, causarum naturalium influxui maxime tribuendum est. Ergo multiplex illa corporum disparitas, perdurante innocentiæ statu, locum habuisset.

Notandum tamen est ex illa inæqualitate nullum defectum, malum aut peccatum sive circa animam sive circa corpus secuturum fuisse in illis qui excederentur.

Solv. obj.—Obj. 1.—Gregorius (l. past. curæ, p. 2, c. 6) ait: " Ubi non deliquimus, omnes pares sumus." Atqui in statu innocentiæ non erat delictum. Ergo.

Resp. *D. M* :...ad excludendam quamlibet disparitatem, *N* ;...disparitatem quæ est secundum differentiam justitiæ et peccati, meriti et pœnæ, *C.—C.m.—Neg. conseq.*

Obj. 2.—Similitudo et æqualitas sunt ratio mutuæ dilectionis, secundum illud (Eccli. XIII, 19): *Omne animal diligit simile sibi : sic et omnis homo proximum sibi.* Atqui in illo statu abundasset inter homines dilectio quæ est vinculum pacis. Ergo.

Resp. *D. M* :... requiruntur ad mutuam dilectionem æqualem, *C* ; ad quamlibet mutuam dilectionem, *N.—C.d.m* :... abundasset dilectio sive æqualis sive inæqualis, *C* ; æqualis tantum, *N.—Neg. conseq.*

Æqualitas est causa quod dilectio mutua sit æqualis. Sed tamen inter inæquales potest esse major dilectio quam inter æquales, licet non æqualiter utrinque habeatur ; pater enim plus naturaliter diligit filium quam frater fratrem, quamvis filius non tantum patrem diligat quantum ab eo diligitur.

Obj. 3.—Remota causa, removetur effectus. Atqui, in statu innocentiæ, inæqualitas inter homines neque ex justo Deo neque ex natura viribus perfecta repeti poterat. Ergo.

Resp. *C. M.—D.m* :...sub ratione pœnæ aut defectus, *C* ; sub ratione medii ad ordinis pulchritudinem manifestandam, *N.—Neg. conseq.*

Causa disparitatis poterat esse *ex parte Dei* : non quidem ut puniret quosdam et quosdam præmiaret, sed ut, alios plus, alios minus sublimando, varietatem harmoniæ plenam inter homines constitueret.—Etiam *ex parte naturæ*, sub divinæ Providentiæ ductu, poterat disparitas causari secundum modum superius descriptum absque aliquo virium naturalium defectu.

ARTICULUS IV.

Utrum homo in statu innocentiæ homini dominabatur.

1° Dominium duplex esse potest : unum *proprietatis*, servituti oppositum, et aliud *gubernationis*, quod ad subditum qualitercumque refertur. Prius quidem de se ordinatur in utilitatem domini, posterius vero, saltem principaliter, in utilitatem subditi.

2° Servitus, ad quam dominium proprietatis habitudinem dicit, tripliciter distinguitur : siquidem *a)* vel domino tradit ipsam servi *personam* ita ut ea veluti re sua pro lubitu utatur, et hæc est *mancipatio stricte dicta*, dignitati humanæ prorsus contraria, qualis olim apud ethnicas gentes vigebat; *b)* vel domino tradit servi *libertatem*, salvis tamen inalienabilibus humanæ personæ juribus, et hæc simpliciter vocatur *servitus* quæ aut emptitia aut legalis aut nativa est pro triplici titulo emptionis, juridicæ possessionis ex bello vel justa condemnatione, atque nativitatis in servili conditione. Tandem *c)* si sola servi *operatio* sub certa mercede domino locetur, habebitur *famulatus*.

3° Dominium *gubernationis* pro diverso societatis genere diversimode accipitur ; nunc vero sat esto distingui in *domesticum*, *civile* ac *religiosum*.

4° De utroque scil. proprietatis et gubernationis dominio dubium modo proponitur in duabus conclusionibus enucleandum.

Conclusio 1ª.—NON FUISSET IN STATU INNOCENTIÆ DOMINIUM HOMINIS IN HOMINEM PER MODUM PROPRIETATIS SEU SECUNDUM QUOD SERVITUTEM IMPONIT.

Prob. 1° ex *S. Augustino* dicente (19 de Civ. Dei, c. 15): " Conditio servitutis jure intelligitur imposita peccatori."

2° *Ratio* manifeste id suadet.—*a)* Libertas enim est homini naturalis et magna ejus perfectio : unde illa privari magna pœna et miseria est. Atqui *quæcumque servitus*, etiam quæ proprie *famulatus* dicitur, libertatis bono hominem privat; status vero innocentiæ immunis esset ab omni miseria et pœna. Ergo.—*b)* Rursus, quodlibet proprietatis dominium servum refert ad dominantis utilitatem. Jamvero unicuique

appetibile est proprium bonum ideoque contristabile quod illud bonum, quod deberet esse suum, in alterius commodum cedat. Ergo tale dominium incompossibile erat cum felicitate status innocentiæ.

Conclusio 2ª.—DOMINIUM GUBERNATIONIS TUM DOMESTICUM TUM CIVILE ATQUE RELIGIOSUM, NEDUM CONDITIONI PRIMI STATUS REPUGNET, OMNINO EI CONVENIT; QUAMVIS AD PAUCIORES USUS QUAM NUNC EXTENDERETUR.

Non repugnat quidem: nam *a)* conditio hominum in statu innocentiæ dignior non erat quam conditio Angelorum. Atqui inter Angelos quidam aliis dominantur; unde et unus ordo *Dominationum* vocatur. Ergo.—*b)* Et sane officium gubernandi liberos sive in familia sive in societate ordinatur ad proprium bonum ejus qui dirigitur vel ad bonum commune. Porro id nihil defectivum dicit, verum potius perfectivam libertatis rationem importat. Ergo.

Convenit immo præfatum dominium statui innocentiæ propter duo. — 1° Propter *sociabilitatem hominis.* Homo quippe naturaliter est animal sociabile tum domestice tum civice; unde in primævo statu homines socialiter vixissent. Atqui impossibile est socialem vitam multorum haberi, nisi quis præsit et bono communi consulat: multi enim per se intendunt ad multa, unus vero ad unum. Ergo in statu illo exstitisset caput directivum atque gubernativum non solum familiæ, sed et societatis.

2° Propter *diversos gradus scientiæ* et *justitiæ* in diversis hominibus.—Ordo enim postulat ut qui supereminentia scientiæ et justitiæ dona possident eis in aliorum bonum utantur, juxta illud (1 Petr. IV, 10): *Unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes.* Unde in primo statu quidam doctiores alios minus doctos de scientiis rationalibus vel experimentalibus instruxissent, virtute ferventiores minus perfectos verbo et exemplo excitassent, communisque fidei regula exterius proposita cunctas mentes in una doctrina continuisset. Atqui hæc omnia, ut bene succedant, societatem requirunt sive domesticam sive civicam atque religiosam, in qua sit præses debita auctoritate munitus. Ergo in statu innocentiæ non defuisset gubernativa potestas. Quare *S. Augustinus* loquens de justis (19 de Civ. Dei, c. 14, in fin.) ait: “ Neque enim dominandi cupi-

ditate imperant, sed officio consulendi; nec principandi superbia, sed providendi misericordia." Et prosequitur (c. 15, in princ.): "Hoc naturalis ordo præscribit; ita Deus hominem condidit."

Tamen in illo statu potestas dominativa in alios *ad pauciores usus* extenderetur quam in præsenti conditione. Nunc enim necessaria est non solum ad instruendos et dirigendos subditos in iis quæ agenda sunt, sed etiam ad supplendos plerosque defectus, defensione ab hostibus, proscriptione errorum, correctione morum, qua mali puniuntur coacteque ad virtutum exercitia inducuntur: quorum nihil primo statui contigisset.

QUÆSTIO QUARTA

DE STATU PRIMI HOMINIS QUANTUM AD VITAM CORPORIS INDIVIDUALEM

Post compertum Adæ statum quantum ad animam, nempe secundum quod scientiæ, gratiæ justitiæque donis necnon et potestatis laude præcelleret, considerandum est de his quæ pertinent ad conditionem ejus corporis.

In re autem præsenti corpus primi hominis duplici considerationi subesse potest, videlicet tum quoad *individui conservationem* tum quoad *conservationem speciei* secundum carnalem generationem.—Sermonem jam ordimur de statu primi parentis quantum ad primum seu quantum ad vitam *individualem* corporis,quod immortalitatis beneficio gaudebat.

Porro immortalitas investiganda est tum *in se* (art. 1), tum quoad *media* quibus in specie homo tunc seipsum valebat a corruptione præservare. Cum autem mortis corruptio alia sit *violenta, naturalis* vero alia, media assignanda sunt primum contra mortem violentam, cui obstabat impassibilitas (art. 2), deinde contra mortem naturalem quæ sive ex defectu cibi (art. 3), sive ex senio prodire potuisset, nisi per lignum vitæ prohiberetur (art. 4). Manifestum jam habes articulorum ordinem.

ARTICULUS I.

Utrum homo in statu innocentiæ esset immortalis.

1° Utile erit statum quæstionis plane delineare, ideoque distinguere multiplicem immortalitatis seu incorruptibilitatis sensum.—*Incorruptibilitas* enim dicitur vel secundum genus causæ intrinsecæ vel secundum genus causæ extrinsecæ atque efficientis. In genere *causæ intrinsecæ*, duplex incorrup-

tibile invenitur : *a)* primum *secundum naturam*, quia vel non habet materiam sicut Angelus, vel (si quod tale fingatur) materiam habet quæ non sit in potentia nisi ad unam formam ; *b)* aliud dicitur incorruptibile *secundum gloriam*, quatenus rei corruptibili per naturam inhæret aliqua dispositio per quam totaliter a corruptione prohibetur ; nam, ut dicit *Augustinus* (Ep. ad Dioscorum), "tam potenti natura Deus fecit animam ut ex beatitudine redundet in corpus plenitudo sanitatis et incorruptionis vigor." *c)* Tertio modo aliquid dicitur incorruptibile ex parte *causæ efficientis, secundum gratiam*, et hoc modo demonstrandum est hominem in statu innocentiæ futurum fuisse incorruptibilem et immortalem.

2° *Duo extremi errores*, quemadmodum de gratia et integritate originali, ita etiam et de corporis immortalitate repe-riuntur.—Prior fuit *Pelagianorum* qui affirmabant hominem fuisse moriturum, etiam si non peccasset. Posterior vero habetur *Baii* et *Quesnelli*, qui non solum docuerunt hominem, nisi peccasset, non moriturum, sed etiam arbitrati sunt immortalitatem ejus naturalem dicendam esse, non præternaturalem.

Nos igitur, doctrinam S. Thomæ duplici sub thesi concludentes, utrumque errantium genus validis argumentis confutabimus.

Conclusio 1ª.—PRIMI PARENTES MORTUI NUNQUAM FUISSENT, SI IN ACCEPTA JUSTITIA PERSEVERASSENT.

Hoc est *de fide*, prout colligitur ex Conciliorum definitionibus. Decretum est enim contra Pelagianos in *Conc. Milevitano II* (Carthagin. univers. juxta alios) can. 1 : "Placuit ut quicumque dicit Adam primum hominem mortalem factum ita ut, sive peccaret sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit." Idem sancitum fuit in *Conc. Diospolitano, Carthaginensi IV, Arausicano II* ac demum in *Conc. Tridentino*, Sess. V. c. 1.

Prob. concl. 1° ex *Sacris Litteris*.

a) Legitur (Gen. II, 17) : *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*. Quorsum autem, inquit *Bellarminus*, [1]

1—*De gratia primi hominis*, c. 8.

mortis comminatio in prævaricationis pœnam, si Adam etiam non peccando moriturus erat?—Respondebant olim *Pelagiani* hunc locum de morte animæ, non de morte corporis intelligendum esse. Sed refellit *S. Augustinus* (l. I de pecc. mer. et rem. c. 2) hanc explicationem ex verbis illis (Gen. III, 19): *Pulvis es et in pulverem reverteris.* Dominus enim his verbis Adamum damnat ad eam pœnam quam illi antea fuerat comminatus. Certum autem est corpus, non animam, ex pulvere factum esse et per mortem in pulverem rediturum.—Neque his repugnat quod *S. Gregorius* (l. 5 Epist. 14) exponat hunc locum de morte animæ. Nam de utraque morte intelligi potest, et plenus commentarius erit, si explicationem Augustini et Gregorii conjungentes dicamus Deum minatum esse Adamo mortem animæ et consequenter necessitatem moriendi etiam corporaliter, cum immortalitas corporis ex vita animæ seu ex Dei gratia dependeret.

b) Sed præter hunc locum suppetunt alia multa eaque tam perspicua ut nullo modo in aliam sententiam detorqueri valeant. Quid enim apertius illis verbis? (Sap. I, 13): *Deus mortem non fecit;* (Sap. II, 23-24): *Deus creavit hominem inexterminabilem... Invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Et (Rom. V, 12): *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors.* (Rom. VIII, 10): *Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem.*

Prob. 2° ex *SS. Patribus*, quorum vox una eademque est.—Ita *S. Cyprianus* (Serm. de Bono Pat.): "In illa prima transgressione præcepti firmitas corporis cum immortalitate discessit." Et *S. Ambrosius* (l. de Bono Mort. c. 4): "Deus mortem non fecit, sed postquam homo lapsus in flagitium est, prævaricationis et fraudis sententiam tulit, ut terra in terram suam remearet."

3° Ex *ratione* unum subjiciamus.—Non potest homo vita defungi nisi aliquo ex his quatuor modis, ut scil. aut externa vi opprimatur, aut fame sitive deficiat, aut morbis ex interna humorum intemperie extinguatur, aut tandem senio contabescat. Atqui Adam, uti mox videbimus, apprime noverat atque poterat multiplici ratione omnia noxia et mala illa vitare. Ergo immortalitatis dono potiebatur.

Conclusio 2ª.—PRIMORUM PARENTUM IMMORTALITAS NEQUE NATURALIS NEQUE DEBITA ILLIS ERAT, VERUM COMPETEBAT SECUNDUM SPECIALEM GRATIÆ EFFICIENTIAM.—Duæ sunt partes singillatim probandæ.

1ª *Pars* 1º declarata est ab ipsa *Ecclesia* in condemnatione prop. 78 *Baii* : " Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio "; necnon prop. 17 *Synodi Pistoriensis.*

2º Audiendi sunt *Patres*, idipsum sentientes. — *S. Augustinus*, de Adamo disserens, concludit (l. 6 de Gen. ad litt. c. 25) : " Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem *beneficio* Conditoris." *S. Athanasius* (de Incarn. Verbi. n. 5) : Homines, inquit, sibi ipsis causa mortis extiterunt, ex natura quidem mortales, sed *gratia*, qua Verbi erant participes, naturæ conditionem, si boni permansissent, effugientes." Et *S. Cyrill. Alex.* (l. 1 in Joan. I, 14) : " Est homo quidem rationale animal sed compositum ex anima nimirum et hac fragili atque terrena carne. Cum autem factus esset a Deo et ad ortum productus, non habens ex propria natura incorruptibilitatem et immortalitatem," etc.

3º *Ratio* Angelici voce (II-IIæ, Q. CLXIV, a. 1 ad 1) sic eloquitur : " Naturale dicitur quod ex principiis naturæ causatur. Naturæ autem per se principia sunt forma et materia. Forma autem hominis est anima rationalis, quæ est de se immortalis ; et ideo *mors non est naturalis homini ex parte suæ formæ*. Materia autem hominis est corpus tale quod est ex contrariis compositum ad quod sequitur ex necessitate corruptibilitas : et *quantum ad hoc mors est homini naturalis.*" Licet igitur, ut etiam alibi docet S. Doctor (de Malo, Q. V, a. 5), secundum rationem formæ *conveniens* homini esset immortalitas, tamen ex conditione materiæ necesse est sequi corruptibilitatem. Siquidem ex una parte, maxime propter organum tactus quod fundamentale est atque medium esse debet inter extrema tangibilia ut ista percipiat, oportet corpus hominis esse ex contrariis compositum medieque complexionatum ; ex altera vero parte, omissis causis *extrinsecis* et accidentalibus quæ multipliciter possunt vinculum humani organismi solvere, cum omnis virtus continue agens in corpore passibili per reactionem debilitetur (I, Q. CXIX, a. 1 ad 4), pronum est ut virtus conversiva seu assi-

milativa alimentorum paulatim deficiat; imminuta autem organorum vi ex textilium alteratione, vis ipsa animæ prouti se exserit per illa organa gradatim minuitur nec tandem functiones vitales efficaciter implere neque etiam contraria corporis elementa in debito æquilibrio continere valet. (Cf. dicenda in art. 4).

Explicatio hæc, a Scholasticis accepta, nequaquam dissonat ab iis quæ recentiores probabilius statuunt [1] de causa mortis naturalis.

2ª *Pars* concl. *modum* asserit quo immortalitas præternaturaliter homini competebat, nempe secundum *specialem* atque *effectivum gratiæ influxum*.

Dico 1º secundum *specialem* influxum; gratia enim ut sic non se necessario extendit ad effectum immortalitatis causandum: patet hoc in nobis.

Dico 2º per modum *efficientiæ;* in quo differebat immortalitas primi status ab immortalitate gloriæ, quæ est secundum internum quemdam corporis vigorem formalemque dispositionem. Nam, *a)* ut *Augustinus* dicit (l. de QQ. N. et V. Test. q. 19), " Deus hominem fecit qui, quamdiu non peccator immortalitate vigeret, ipse sibi auctor esset aut ad vitam aut ad mortem ".—Quapropter *b)* juxta præfixam legem originalis justitiæ, poterat anima, quamdiu ipsa Deo subjecta maneret, per media sibi divinitus concessa præservare corpus ab omni corruptione; et in hoc erat causa efficiens immortalitatis.—Quod quidem *c)* rationabiliter factum esse judicatur: cum enim anima rationalis excedat proportionem corporalis materiæ, conveniens erat ut ei in principio virtus daretur per quam, sui corporis sorti consulens, illud posset supra naturalem corporum conditionem conservare atque ad propriæ immortalitatis consortium evehere.

Solv. obj. (contra 1ᵃᵐ concl.).—Obj. 1.—Mortale ponitur in definitione hominis. Atqui, remota definitione, aufertur definitum. Ergo si homo erat, non poterat esse immortalis.

Resp. *D. M*: Mortale per naturam... *C;* mortale quocumque sub respectu, *N.*—*C.m.*—*Neg. conseq.*

Obj. 2.—Corruptibile et incorruptibile genere differunt. Atqui eorum quæ differunt genere non est transmutatio in

1—Cf. *Etudes religieuses* etc. mai 1893.

invicem. Ergo si primus homo fuit incorruptibilis, non posset homo in statu isto esse corruptibilis: quod falsum est.

RESP. *D. M:* Corruptibile et incorruptibile per naturam... *C;* corruptibile per naturam et incorruptibile per gratiam, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

OBJ. 3.—Primus homo non potuit esse immortalis nisi per gratiam. Atqui gratia, quam pœnitendo recuperavit, minime sortita est tantum effectum. Ergo.

RESP. *D. M:..* per gratiam comprehensive sumptam, *C;* ...præcise spectatam, *N.—D.m:* et recuperavit gratiam secundum omnem vim, *N;* secundum vim remittendi culpam et merendi gloriam, *C.—Neg. conseq.*

Primus homo, e statu innocentiæ in peccatum lapsus, gratiam recuperavit ad remissionem culpæ et meritum gloriæ, non tamen ad amissæ immortalitatis effectum: hoc enim reservabatur Christo per quem naturæ defectus, secundum gloriosam corporum resurrectionem, in melius reparandus erat.

OBJ. 4.—Immortalitas promittitur homini in præmium, juxta illud (Apoc. XXI, 4): *Mors ultra non erit.* Atqui homo non fuit conditus in statu præmii, sed ut præmium mereretur. Ergo.

RESP. *D. M:* Immortalitas gloriæ...*C;*...gratiæ efficienter causantis illam, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

OBJ. 5.—Qui in se habet cuncta corruptionis principia simpliciter mortalis est. Atqui in primo homine vigebant principia corruptionis et mortis. Ergo.

RESP. *D. M:*...principia corruptionis non impedita per causam internam, *C;*...prohibita per talem causam ne in actum erumpant, *N.—C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

"Primus homo, inquit *D. Thomas* (2, Dist. XIX, Q. I, a. 2), quodammodo erat mortalis, in quantum poterat mori, et quodammodo immortalis, in quantum poterat non mori. Sed potentia moriendi non poterat reduci statim in actum, nisi præcedente immutatione animæ secundum actum peccati: et ideo *simpliciter* dicendus erat homo in statu illo immortalis, et mortalis nonnisi *secundum quid*, scil. si peccaret."—Hoc sensu intelligendi sunt *Patres* aut *Doctores*, quando v. g. dicunt Adamum fuisse mortalem, sed non moriturum, similesve adhibent loquendi formulas.

Obj. 6 (contra 2^am^ concl.). — Conc. Arausic. II can. 2 dicit " injustitiam Deo dare, qui asserunt homines morituros fuisse, quamvis non peccassent." Atqui si mors homini naturalis esset, sine ulla Dei injustitia homines mori possent. Ergo.

Resp. *D. M* :... et Concilium supponit gratuitam Dei Providentiam seu œconomiam circa innocentiæ statum, *C*; ab illa præscindit, *N*.—*C.d.m* :... inspecto solo ordine naturali, *C*; supposita gratuita Providentiæ dispositione de prohibenda morte, homine non peccante, *N*.—*Neg. conseq.*

Quamvis primus homo naturaliter mortalis esset, tamen secundum ordinem Providentiæ tunc vigentis circa innocentiæ statum immortalitas vi illius divinæ œconomiæ quodammodo *debita* erat, quamdiu peccatum in adversum non occurreret.

Obj. 7.—Nisi immortalitas homini esset debita, ipse non posset ex naturæ viribus beatitudinem, vel naturalem, consequi : siquidem ad hanc tum anima tum corpore ordinatur. Atqui hoc absurdum videtur. Ergo.

Resp. *D. M* :... non posset consequi beatitudinem animæ, *N* ;... corporis, *S.d* : beatitudinem æternam, ad quam corpus ex se jus non habet, *C*; præmium temporale temporali existentiæ corporis proportionatum, *N*.—*C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

Homo, constans ex anima et corpore, secundum utrumque potest mereri atque in ordine mere naturali quamdam sibi beatitudinem vindicare.—Porro 1° cum *anima* sit forma subsistens, immaterialis atque immortalis, adveniente separatione a corpore, totam illam felicitatem quam natura sua exigit potest per species a Deo infusas naturaliter assequi eaque æternaliter gaudere. Imo, in illo separationis statu "quodammodo est liberior ad intelligendum, in quantum per gravedinem et occupationem corporis a puritate intelligentiæ impeditur" (I, Q. LXXXIX, a. 2 ad 1). Quantum vero ad *corpus*, quia ex se mortale est, ex se etiam nihil aliud postulare videtur nisi temporale quoddam præmium, prout justi sub præsenti lege non raro consequuntur vel secundum virtutis decus vel secundum sensuum quietem plenamque totius partis inferioris rectitudinem ac obeditionem ad normam rationis.—Equidem 2° ex hoc inferri potest

animam in hac vita, propter conjunctionem cum corpore, perfectiorem esse *secundum quid* nempe per respectum ad humanam speciem quam in termino, ubi a corpore separata supponitur; non tamen *simpliciter:* siquidem potissima hominis perfectio in operatione animæ consistit quæ in hypothesi æternæ separationis a corpore excellentior esset quam in corpore saltem *intensive*, etsi *non extensive* propter virium sensitivarum defectum[1].—Igitur 3° etiam si homo relictus fuisset in ordine naturali, moriturus corpore et nunquam resurrecturus, illud tamen beatitudinis genus comparare posset quod principia naturæ exigunt.

ARTICULUS II.

Utrum homo in statu innocentiæ fuisset passibilis.

1° Expedit *notionem impassibilitatis* ex passione tradere. *a)* Passio enim dupliciter dicitur: *uno modo* communiter secundum quamcumque mutationem, etiamsi pertineat ad perfectionem naturæ, et sic intelligere vel sentire dicitur quoddam pati; *alio modo* proprie, secundum quod sequitur alterationem qua aliquid de suo naturali seu convenienti statu transmutatur: passio enim est effectus actionis. In rebus autem naturalibus contraria ultro citroque agunt et patiuntur, ita ut unum alterum removeat a propria dispositione.—Jamvero *b)* si passio *communiter* sumatur, dubium esse non potest quin homo in statu innocentiæ passibilis esset atque pateretur et secundum animam et secundum corpus. A tali enim passibilitate nihil absolvitur nisi quod est actus purus, videlicet Deus.—At *c)* quæstio in præsens movetur de passione *proprie* accepta.

2° *Errores* in proposito duplicis generis sunt. Dum enim ex una parte *Rationalistæ*, iis ducti argumentis quibus

1—Cf. Mazzella, *De Deo creante*, Disp. IV, a. 5.

quidquid supernaturale est inficiantur, primitium felicitatis statum negant, ex alia parte novimus sensum fuisse *Baii*, *Jansenii* et *Quesnelli*, quod status ille homini innocenti debitus esset ideoque afflictiones quas nunc patimur *nonnisi pœnæ* rationem habeant.

3° Igitur utroque sub adspectu tum *realitatis* tum *gratuitatis* impassibilitas Adæ adstruenda est, per quam ex singulari Dei beneficio *violentæ* interitioni via præcludebatur.

Conclusio 1ª.— SUMPTA PASSIONE IN PROPRIO SENSU, PRIMUS HOMO ET SECUNDUM ANIMAM ET SECUNDUM CORPUS IMPASSIBILIS ERAT, SEU IMMUNIS A QUIBUSLIBET ÆRUMNIS ET DOLORIBUS.

Prob. 1° *ex Scriptura :* nimirum *a)* tum ex loco *voluptatis* in quo collocati sunt protoparentes (Gen. II, 8 et 15); *b)* tum ex magna *bonorum copia* illis elargita, ac dominio super omnes bestias, imo in omnia quæ sunt super terram (Gen. II, 8, 9, 17; I, 26; Eccli. XVII, 3); *c)* tum ex laboribus atque doloribus quibus *propter culpam* dein subjecti sunt (Gen. III, 16, 17, 18, 19).

Prob. 2° ex *S. Augustino* qui (14 de Civ. Dei, c. 26) graphice describit felicitatem primi hominis. " Vivebat homo in paradiso sicut volebat, quamdiu volebat quod Deus jusserat...vivebat sine ulla egestate, ita semper vivere habens in potestate... Nihil corruptionis in corpore vel ex corpore ullas molestias ullis ejus sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas... Nihil omnino triste, nihil erat inaniter lætum... Non lassitudo fatigabat otiosum, non somnus premebat invitum ".—Accedunt *Catech. Tridentini* verba (I P. a. 1, n. 22): " Deus ex limo terræ hominem sic corpore affectum, constitutum effinxit, ut non quidem naturæ ipsius vi, sed divino beneficio immortalis esset et impassibilis ".

Prob. 3° ex *humani generis consensu*, quatenus nempe primigeniam protoparentum felicitatem *gentium traditiones* confirmant. Communis enim apud omnes nationes extitit opinio de sæculo quodam aureo, seu de prisca vita ab ærumnis, quibus nunc premimur, libera proindeque beatissima; etsi hanc ideam quisque pro suo ingenio ac sensu informa-

verit. Felicitatem illam cecinit *Virgilius* (Georg. l. I), cecinit et *Ovidius* (Metamorph. l. I) hisce carminibus :

"Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo,
Sponte sua, sine lege, fidem rectumque colebat.
Pœna metusque aberant..................................
Ver erat æternum ; placidique tepentibus auris
Mulcebant zephyri natos sine semine flores.
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat :
Nec renovatus ager gravidis canebat aristis.
Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant ;
Flavaque de viridi stillabant ilice mella".

Prob. 4° ex *immortalitate.*—Ægritudines et dolores sunt quædam vestigia mortis et viæ ad interitum. Atqui homo in statu innocentiæ non erat morti obnoxius, ut supra demonstratum est. Ergo nec morbis aut doloribus.

Prob. 5° ex *conceptu rectitudinis originalis*, quæ importabat ut inferiora superioribus subderentur corpusque animæ, quamdiu anima subjecta Deo maneret. Idcirco nulla passio cor Adæ turbabat (cf. supra, Q. II, a. 2), nulla ægritudo nullave læsio corpus ejus afficiebat ; verum partim per *internam virtutem* qua prudentissimus nociva quæque vitare summeque temperatus passiones moderari poterat, partim per *divinam Providentiam* quæ ipsum ab omnibus tuebatur adversis, plena fruebatur dominatione super universas vires materialis creationis.

Conclusio 2ª.—IMPASSIBILITAS, QUA PRIMUS HOMO GAUDEBAT, DICENDA EST PRÆTERNATURALIS ATQUE INDEBITA.

Id 1° constat ex damnatis propositionibus tum *Baii* 72, tum *Quesnelli* 70 quæ ita se habet : "Nunquam Deus affligit innocentes : et afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum vel ad purificandum peccatorem."

2° Sancti *Patres* disertissime docent miserias hujus vitæ certo componi posse cum statu innocentis naturæ, neque hunc impassibilitatem exigere : siquidem illas dicunt non solum in peccati pœnam infligi, sed etiam ob meriti laudem permitti, quin imo habendas esse veluti quoddam Dei donum. Pulchre *S. Gregorius* (Mor. in Job, Præf. c. 9) : Percussionum, inquit, diversa sunt genera. Alia namque est percussio,

qua peccator percutitur ut sine retractatione puniatur; alia qua peccator percutitur ut corrigatur; alia qua nonnumquam quisque percutitur non ut præterita corrigat sed ne futura committat; alia qua plerumque percutitur, per quam nec præterita culpa corrigitur nec futura prohibetur, sed ut, dum inopinata salus percussionem sequitur, salvantis virtus cognita ardentius ametur, cumque innoxius flagellis atteritur, ei per patientiam meritorum summa conferatur. " Et *S. Fulgentius* (Ep. 2 ad Gallam) : " Beatus fuit Job, quum in divitiis juste viveret, sed beatior, quum in paupertate justior extitisset." Quare *S. Augustinus*, cujus nomine abusi sunt adversarii, asserere non veretur (Ep. 210) : " Res prospera donum est consolantis, res autem adversa donum est admonentis Dei [1]."

3°—*a)* Quum constiterit naturalem esse homini interitum, de morte ad reliqua humanæ vitæ mala et discrimina argumentum *a fortiori* rectissime procedit. " Si enim Adam, ut scribit Casini (in op. *Quid est homo ?* etc), sine ulla sævitiæ aut injustitiæ nota a Deo condi potuit morti obnoxius, quæ omnium terribilium ultimum est ; cur non etiam subjectus ceteris malis, quæ cum multo leviora sunt, tum gravius nihil habent ac tristius quam quod indicia futuræ mortis quædam atque adeo initia et causæ sunt ? "—*b)* Sane quemadmodum ultro mors ex naturæ principiis prodit, ita et pleraque, quibus affligimur, mala et incommoda in ipsa sive hominis sive rerum circumstantium communi conditione radicem et fontem naturalem habent.

Solv. obj. (contra 1^{am} concl.).—Obj. 1.—Somnus passio quædam est. Atqui homo in statu innocentiæ dormivisset, secundum illud (Gen. II, 21): *Immisit Deus soporem in Adam.* Ergo.

Resp. *D. M :...* passio communiter sumpta, *C;* proprie dicta, *S.d :* somnus irrequietus, *C;* regularis, *N.—C.d.m :* dormivisset somno placido, *C;* somno irrequieto, *N.—Neg. conseq.*

Obj. 2.—Ille cui pars abscinditur proprie passibilis est. Atqui Deus tulit unam de costis Adæ. Ergo.

1.—De iis quæ circa *Augustini* mentem objiciuntur cfr. Palmieri, *De Deo creante et elevante*, p. 395-401.

Resp. *D. M* :...cui pars suî integralis absciuditur...*C* ; pars destinata ad alterius productionem, *N.—C.d.m* :... quæ costa destinabatur ad formandam mulierem, *C*; ad perficiendum Adamum personaliter sumptum, *N.—Neg. conseq.*

Res plane manifestatur per exemplum humani seminis, quod deciditur quin generantem a naturali dispositione removeat eique dolorem inferat.

Obj. 3.—Corpus primi hominis molle fuit. Atqui pronum est ut molle corpus a duris objectis patiatur. Ergo.

Resp. *C. M.—D.m* :...nisi prudens ratio et providens Deus læsionem prohibeant, *C*; stantibus hisce causis præservativis, *N.—Neg. conseq.*

Obj. 4.—Quod proprium est gloriosi corporis nec corpori primi hominis tribuendum est. Atqui impassibilitas dos est propria gloriosi corporis. Ergo.

Resp. *C.M.—D.m* : impassibilitas per modum formalis proprietatis... *C*; impassibilitas quæ tota sit ab efficientia animæ Deique custodientis, *N.—Neg. conseq.*

Sicuti immortalitas, ita et impassibilitas alia distinguitur secundum *gratiam innocentiæ*, alia vero secundum *donum gloriæ*. In primo quidem statu talis erat victoria animæ super corpus ut nihil in corpore fieri posset quod animæ adversaretur; sed in statu gloriæ victoria illa multo excelsior et perfectior erit, quatenus proprietates animæ quodammodo in corpus redundabunt per formalem quemdam vigorem ac dispositionem qua ipsa patiendi potentia intrinsecus ligabitur.

ARTICULUS III.

Utrum homo in statu innocentiæ indigebat cibis.

Præter mortem *violentam* a qua primus homo firma impassibilitatis lege custodiebatur, datur etiam mors, uti aiunt, *naturalis*, scil. proveniens vel ex defectu convenientis alimenti per quod quotidianæ humani corporis consumptioni subveniatur vel ex debilitate progredientis senectutis. Itaque dubium est modo enodandum, an impassibilitas ciborum

usum in Adamo prohiberet vel utrum istud medium sustentandæ vitæ et ipsi primo statui conveniret.—Quæstio solvenda est tum quoad usum ciborum *in genere*, tum *in specie* quoad usum carnium eorumque omnium quæ arte parari solent.

Conclusio 1ª.—HOMO IN STATU INNOCENTIÆ HABUIT VITAM ANIMALEM CIBIS INDIGENTEM ; POST RESURRECTIONEM VERO DUCET SINE CIBIS VITAM SPIRITUALEM.

Prob. 1º ex Genesi (II, 16) : *Ex omni ligno paradisi comede ;* ubi non solum licite comedendi facultas sed etiam præceptiva quædam necessitas colligenda videtur.

2º Ex *S. Augustino* (14 de Civ. Dei, c. 26) ; " Cibus aderat ne esuriret, potus ne sitiret ".

3º *Ratione.*—In statu innocentiæ *factus est homo in animam viventem* (Gen. II, 7), id est, ut traditio explicat, dantem corpori vitam animalem ; in ultimo vero statu post resurrectionem anima dabit corpori esse quoddam spirituale, juxta illud (1 Cor. XV, 44) : *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* Atqui corpus animale cibis indiget, non autem spirituale. Ergo. *Major* innotescit ex eo quod anima rationalis et anima et spiritus est. Dicitur autem esse *anima* secundum illud quod est ipsi et aliis animabus commune : nimirum dare vitam corpori. Sed *spiritus* appellatur secundum illud quod est proprium ipsi et non aliis animabus, scil. quod habeat virtutem intellectivam immaterialem, ex cujus influxu corpus spirituale vocatur. *Minor* ostenditur : quia primum principium vitæ in istis inferioribus est anima vegetabilis, cujus functiones sunt alimento uti, generare et augeri ; et ideo hæc opera homini in primo statu competebant. In statu vero resurrectionis anima corpori quodammodo communicabit quæ sunt sibi propria in quantum est spiritus : immortalitatem quidem quantum ad omnes ; impassibilitatem vero et gloriam et virtutem quantum ad bonos quorum corpora, ab animali conditione soluta, spiritualia dicentur. Unde post resurrectionem homines cibis non indigebunt ; indigebant tamen eis in statu innocentiæ.

Conclusio 2ª.—IN PRIMO ILLO STATU NEC ERAT NEC FUTURUS ERAT USUS CARNIUM ALIORUMQUE OMNIUM QUÆ ARTE PARARI DEBENT.—Hæc est, teste *Suarezio,* sententia *com-*

munis antiquorum Patrum, quibus consentit *S. Thomas* cum plerisque theologis.

1° *Prob.* ex Gen. (I 29 et II, 16): ibi enim exhibetur Deus hominibus in cibum concedens herbas terræ et fructus arborum; tacens vero de carnibus aliisque, ista excludere videtur.

2° *Conf.* ex vetusta populorum *traditione*, quam eleganter expressit *Ovidius* (Metamorph. l. XV):

> " At vetus illa ætas non polluit ora cruore.
> Tunc et aves tute movere per aera pennas,
> Et lepus impavidus mediis erravit in agris,
> Nec sua crudelitas piscem suspenderat hamo ".

3° Placet verba ipsa *Angelici Præceptoris* [1] heic referre: " Esus plantarum et aliorum terræ nascentium fuit apud homines etiam ante diluvium; sed esus carnium videtur esse post diluvium introductus: dicitur enim (Gen. IX, 3): *Quasi olera virentia dedi vobis omnem carnem.* Et hoc ideo quia esus terræ nascentium magis pertinet ad quamdam simplicitatem vitæ, esus autem carnium ad quasdam delicias et curiositatem vivendi; sponte enim terra herbam germinat, vel cum modico studio hujusmodi terræ nascentia in magna copia procurantur: oportet autem cum magno studio animalia nutrire vel etiam capere. Et ideo volens Dominus populum suum (Hebræos) reducere ad simpliciorem victum, multa in genere animalium eis prohibuit, non autem in genere terræ nascentium ".

Inde *tria rationis momenta* facile depromuntur. Et vero *a)* cum fructus paradisi, de quibus Scriptura dicit (Gen. II, 9): *Omne lignum pulchrum visu et ad vescendum suave*, ab ipso Deo præstarentur veluti cibus simplicior et convenientior amœnitati loci et climatis necnon perfecto corporum temperamento, *superfluum* ideoque inordinatum fuisset in illo statu carnes animalium aliave arte confecta in alimentum quærere.—*b)* Immo, non deesset quædam *indecentia*, dignitati tam excellentis status opposita, in procurandis comparandisque ad esum carnibus, dum e contra terræ arborumque

1—I-IIæ, Q. CII, a. 6 ad 2.

fructus sine impuritate et incommodo haberi poterant.—*c)* Tandem finis illius status præcipuus erat ut homines contemplationi Dei divinorumque operum et acquisitioni meritorum ac scientiarum vacarent: cui *fini contrarium* esset circa cibos industria parandos, sine ulla corporis necessitate et cum magna animi distractione, occupari.

Solv. obj. (contra 1^{am} concl.).—Obj. 1.—Cibus necessarius est ad restaurationem deperditi. Atqui in corpore Adæ nulla fiebat deperditio, eo quod incorruptibile erat. Ergo.

Resp. *C. M.*—*N.m.* et *D. prob:* incorruptibile erat secundum dispositionem sibi inhærentem, *N;* secundum vim quamdam supernaturalem in anima residentem, *S.d:* et hæc vis prohibebat corruptionem totius, *C;* corruptionem partis quæ sine totius detrimento accidere poterat, *N.*—*Neg. conseq.*

1° Jam notatum est corpus primi hominis immunitatem a morte duxisse, non ex *formali* aliqua dispositione, sed ex vi *effectiva* animæ cui Deus providam opem ferebat. Unde per phænomenon dissolutionis seu, uti aiunt, *desassimilationis* organicæ quæ ex oxydatione idest combustione elementorum anatomicorum provenit aliquid de illius corpore poterat deperdi, sicut in nobis contingit.—2° Tamen hæc deperditio non erat nisi consumptio *partialis* ex ipsa naturæ lege procedens et sine malo totius; *totalis* enim corruptio corporis impediri poterat atque debebat per cibi assumptionem.

Obj. 2.—Nutritio ex cibo non est sine passione. Atqui corpus primi hominis impassibile erat. Ergo.

Resp. *D. M:*...sine passione communiter dicta, *C;* proprie sumpta, *S.d:* ex parte alimenti quod convertitur, *C;* ex parte ipsius corporis, speciali virtute adjuti, *N.*—*C.m.*—*Neg. conseq.*

1° In nutritione datur quædam alteratio et passio proprie sumpta *ex parte alimenti* quod in substantiam organicam transformatur, quamvis tamen hæc passio ad perfectionem nobilioris naturæ, scil. viventis, concurrit.—2° Quoad *corpus* ipsum nutritum, distinguendum est: si enim corpus illud sibi seu solis naturæ legibus relictum supponatur, prouti res in nobis se habet, certissime non potest quin in opere nutritionis alterationi subsit, quandoquidem omne agens corporale per reactionem repatitur; si vero corpus speciali quadam

virtute, qualis erat in Adam, contra reactionis effectum protegatur, tunc nutritio nihil prorsus ejus impassibilitati officit.

Obj. 3.—Cibus dicitur esse nobis necessarius ad vitæ conservationem. Atqui Adam aliter vitam conservare poterat; quia si non peccaret, non moreretur. Ergo.

Resp. *C. M.—N.m ; D. prob :* et abstinens a cibo peccasset, *C;* potuisset sine peccato a cibo abstinere, *N.—Neg. conseq.*

Statuerat Deus ut Adam incorruptibilem vitam servaret mediantibus certis conditionibus, quas adhibere omnino tenebatur; inter quas erat convenientis cibi assumptio. Simul enim ei præceptum fuerat ut a ligno scientiæ boni et mali abstineret et ut de omni alio ligno paradisi vesceretur. Ergo non se cibando peccasset homo, sicut peccavit sumendo cibum vetitum.

ARTICULUS IV.

Utrum homo in statu innocentiæ per lignum vitæ immortalitatem consecutus fuisset.

1º Humanum corpus *duplici defectu* intrinsecus laborat: *primus* est deperditio quædam substantiæ de qua jam locuti sumus (art. præc. ad 1), et contra hunc defectum, uti ostensum est, primo homini subveniebatur per esum communium lignorum paradisi, quemadmodum et nunc nobis subvenitur per cibos quos sumimus. *Secundus* defectus in eo situs est, " quia (sunt verba S. Doctoris scientiæ physiologicæ apprime conformia) illud quod generatur ex aliquo extraneo, adjunctum ei quod prius erat, imminuit virtutem activam speciei; sicut aqua adjuncta vino primo quidem convertitur in saporem vini, sed secundum quod magis et minus additur, diminuit vini fortitudinem, et tandem vinum fit aquosum. Sic igitur videmus quod in principio virtus activa speciei est adeo fortis quod potest convertere de alimento non solum quod sufficit ad restaurationem deperditi, sed etiam quod sufficit ad augmentum; postmodum vero quod aggeneratur non

sufficit ad augmentum, sed solum ad restaurationem deperditi; tandem vero in statu senectutis nec ad hoc sufficit; unde sequitur decrementum et finaliter dissolutio corporis".—Quæritur itaque *de ligno vitæ*, an præservaret ab hac corruptione senescentis corporis.

2° *Origenes*, historiam de paradiso ad metaphoras traducens, censuit lignum vitæ metaphorice esse intelligendum quasi non fuerit vera seu sensibilis arbor. *Rationalistæ* autem cum Renan in illa narratione nihil aliud vident nisi mythum quemdam, ex persica traditione depromptum.

3° Duo hic cum Auctore demonstrabimus, nempe *realem extantiam* saluberrimæ illius arboris ordinatæ ad causandam immortalitatem atque proprium hujus *causalitatis modum*: quæ simul in una conclusione bimembri comprehendentur.

Conclusio.—LIGNUM VITÆ QUODAMMODO IMMORTALITATEM CAUSABAT; NON AUTEM SIMPLICITER.

1ª *Pars prob.* 1° *ex Scriptura*.—Legitur enim (Gen. II, 9): *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave, lignumque vitæ in medio paradisi et lignum scientiæ boni et mali.* Sicut ergo cætera ligna et lignum etiam scientiæ arbores sensibiles fuerunt, ita et lignum vitæ.—Porro quinam fuerit ligni vitæ effectus, ex sequentibus apparet (Gen. III, 22-23): *Nunc ergo ne forte mittat manum suam, et sumat de ligno vitæ, et comedat, et vivat in æternum. Et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis.*

2° Ex *traditione*: quam *Augustini* verbis (13 de Civ. Dei, c. 20) testificantem audimus: " De ligno vitæ propterea gustabant ne mors undecumque subreperet, vel senectute confecti, decursis temporum spatiis, interirent"; et cap. 23, postquam dixerat, " quod ligno vitæ corpus a mortis necessitate prohibebatur atque in juventutis flore tenebatur", subdit de homine post peccatum: " Et alimentis extra paradisum non negatis, a ligno tamen vitæ prohibitus, traditus est tempori vetustatique finiendus, in ea duntaxat vita quam...posset in paradiso, nisi peccasset, habere perpetuam."

3° *Conf.* ex consona, licet fabulis admixta, antiquorum *populorum persuasione*, v. g. Persarum in Zend-Avesta; quæ quidem persuasio nihil aliud esse potest quam vestigium primævæ traditionis. Hanc vero Hebræi, veluti patriæ

religionis bonum, integerrimam servarunt, quin ex alieno fonte derivaverint [1].

4° Igitur concludendum est efficaciam ligni vitæ in hoc fuisse positam, ut fortificaret virtutem naturæ contra debilitatem ex admixtione atque reactione elementorum extraneorum in nutritione provenientem, seu ut homini subveniret " ne senectus eum dissolveret " (14 de Civ. Dei, c. 26). Hic enim defectus speciale remedium expostulabat ; unde " vitæ arbor *medicinæ modo* (ut ait auctor QQ. V. et N. Test. q. 19) corruptionem omnem prohibebat. " — *Notanda* autem est sapiens Cajetani animadversio, lignum vitæ defectui senectutis subvenisse non quidem *restaurando*, quod passionem proprie dictam ex parte corporis supponeret, sed magis *præveniendo*.

2ª *Pars* concl. habet, lignum vitæ causam fuisse immortalitatis *non simpliciter*, sed *usque ad determinatum tempus*.

Prob. 1° Quia non erat causa adæquata : siquidem immortalitas etiam pendebat tum ex virtute quæ inerat animæ ad conservandum corpus, tum ex singulari Dei Providentia.— 2° Non poterat corpori præstare eam dispositionem ut nunquam dissolveretur. Nam virtus naturalis ideoque finita necnon corruptibilis nequit producere effectum duratione infinitum seu perpetuam incorruptionem. Atqui virtus ligni vitæ naturalis erat, cum Scriptura ipsa testetur (Gen. III, 22) eam mansisse post peccatum ; item, lignum illud, utpote nutriendi capax, convertibile erat propterea que corruptibile. Ergo virtus ligni vitæ non poterat ad hoc se extendere ut corpori daret facultatem durandi tempore infinito ; sed semel sumptum præservabat a corruptione *usque ad determinatum tempus :* quo elapso, vel homo translatus fuisset ad spiritualem vitam, vel indiguisset de eodem cibo iterum sumere.

Solv. obj. (contra 1ªᵐ part. concl.).— Obj. 1.—Lignum vitæ, ut cæteri cibi, sumi non poterat quin debilitaret virtutem activam naturæ. Atqui quod debilitat nequit esse immortalitatis principium. Ergo.

Resp. *D. M :*...quantum erat de se, *C ;* supposita vi animæ per quam corpus a reactione nutrimenti præservaretur, *N.*—*C.m.*—*Neg. conseq.*

1—Cf. Vigouroux, *Les livres saints* etc., t. IV, p. 151-156.

Duplex *immortalitatis causa* admittenda est, *altera* ex parte animæ, ex parte corporis *altera*. Ex parte quidem animæ vis singularis erat divinitus indita, qua prohibente, corpus agendo in nutrimentum haudquaquam ab eo repatiebatur; ex parte vero corporis, lignum vitæ conservare poterat ad certum longum tempus: quarum causarum hic erat ordo ut prima, utpote essentialiter supernaturalis, nonnisi in supplendum defectum secundæ, essentiâ naturalis, conferret. Unde, simul adjunctis duabus hisce causis, ex sumptione ligni vitæ nulla in Adamo poterat deterioratio consequi, quamvis ex ligno illo debilitatio aliqua in nobis obveniret, immortalitatem impediens. — Hæc, *Cajetani* commentario consona, Auctori etiam conformiora videntur.

Obj. 2.—Virtus naturalis, qualis erat lignum vitæ, non producit nisi effectus naturales. Atqui immortalitas primi status non debet dici naturalis. Ergo.

Resp. *D. M* :...naturales in se, *C* ; etiam quoad modum, *N*.—*C.d.m* :...quoad modum, *C*; quoad substantiam, *N*.—*Neg. conseq*.

1° Adæ immortalitas, etsi naturalis in se et *quoad substantiam*, tamen supernaturalis erat *quoad modum* seu præternaturalis, quippe proveniens ex plerisque causis gratuitis.—2° Etiam ex ea parte qua a ligno vitæ pendebat, præternaturalitatis speciem habebat; siquidem beneficium illius ligni *non erat* humanæ naturæ *debitum*, sed peculiari ratione concessum quasi in præmium obedientiæ, si in ea homo perseveraret.

Obj. 3 (contra 2^{am} part. concl.).—(Gen. III. 22) tribuitur ligno vitæ virtus producendi vitam æternam. Ergo.

Resp. *Dist. antec* : et æternum sumitur pro diuturno, *C* ; pro infinita duratione, *N*.—*Neg. conseq*.

QUÆSTIO QUINTA

De pertinentibus ad conservationem speciei in statu innocentiæ

Sub hac quæstione duo imprimis consideranda se præbent, unum de ipso generationis opere (art. 1), aliud de conditione prolis generandæ. Conditio autem haec respicere potest vel statum corporis (art. 2), vel statum animæ sive quoad justitiam (art. 3) sive quoad scientiam (art. 4). Quatuor itaque articuli instituentur.

ARTICULUS I.

Utrum in statu innocentiæ fuisset generatio.

Dubitandi motivum præsertim ducitur ex summa vitæ puritate atque incorruptione in qua primi parentes versabantur: qua ratione moti quidam Patres, ut *Gregorius Nyssenus*, *Chrysostomus* et *Damascenus*, negarunt futuram fuisse in statu innocentiæ carnalem generationem.

Hanc autem sententiam falsam esse, cuique intelligenti propriam generationis indolem nullo negotio suadebitur.

Conclusio.—In statu innocentiæ fuisset generatio ad multiplicationem humani generis.—*Certa* nobis videtur theologica hæc propositio, maxime post damnatum ab Innocentio III articulum *Almarici*: " Si homo non peccasset, in duplicem sexum partitus non fuisset nec generatus; sed eo modo quo Angeli sancti, multiplicati fuissent homines."

Prob. 1° *ex Scriptura*.—(Gen. I, 28) Deus dixit protoparentibus: *Crescite et multiplicamini et replete terram.* Atqui multiplicatio hæc, generatione perficienda, respiciebat humanum genus, præcisione facta a futuro peccato; tum quia

per se spectabat ad universi complementum, tum etiam quia de ipsis brutis similia prolata sunt: *crescite et multiplicamini*. Ergo.—(Gen. II, 18) legitur: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi*, et quidem secundum sexuum distinctionem, ut patet ex cap. I: *Masculum et fœminam creavit eos.* Atqui adjutorium illud, in naturali sexus diversitate fundatum, suapte natura et citra peccati hypothesim principaliter ordinatur ad procreandos filios. Ergo.—Accedunt verba Adæ post Evæ formationem dicta (Gen. II, 23–24): *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea...quamobrem relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne mea.* Illa enim unitas inter virum et fœminam per vinculum matrimonii inchoatur et per copulam consummatur.

Prob. 2º ex *S. Augustino* (l. 9, Gen. ad litt. c. 3 et sqq.): "Non video, inquit, quod prohibere potuerit ut essent hominibus etiam in paradiso honorabiles nuptiæ et torus immaculatus: hoc Deo præstante fideliter justeque viventibus ut sine ullo inquieto ardore libidinis, sine ullo labore doloreque pariendi fœtus ex eorum semine gigneretur." Quod late etiam prosequitur (14 de Civ. Dei a cap. 21 usque ad 26); et (l. 1 Retract. c. 10 et 13) emendat quæ (l. 1 de Gen. c. Manichæum et l. de Ver. Relig. c. 46) protulerat. Consentiunt *Gregorius* et alii plures.

Prob. 3º *ratione.*

1ᵘᵐ arg. *ex fine generationis.*—Principalis intentio naturæ universalis ad id fertur quod semper et perpetuo manet, temporaneum vero non attingit nisi in quantum ordinatur ad aliud quod sit perpetuum: alioquin, eo temporali corrupto, principalis illa intentio cassaretur. Atqui in rebus corruptibilibus nihil est perpetuum et semper manens nisi species; substantiæ vero incorruptibiles semper manent non solum secundum speciem sed etiam secundum individua. Ergo, licet in rebus corruptibilibus de principali intentione naturæ universalis sit solum bonum speciei, ad cujus conservationem generatio ordinatur, in substantiis tamen incorruptibilibus sub hac intentione non solum species, sed ipsa etiam individua cadunt. Atqui homo est quasi medium inter naturas corruptibiles et incorruptibiles, prouti ex corpore corruptibili et incorruptibili anima coalescit. Ergo, licet ex parte corporis

competat ei generatio ut servetur bonum speciei, ex parte tamen animæ ei convenit quod multitudo individuorum sit per se intenta a natura universali seu potius ab Auctore naturæ qui solus est animarum humanarum creator; ideoque ad multiplicationem humani generis, etiam in statu innocentiæ, non obstante corporum immortalitate, generatio viguisset.

2um arg *ex connaturalitate generationis.*—Ea enim quæ sunt homini naturalia neque subtrahuntur neque conferuntur ei per peccatum. Atqui homini secundum animalem vitam, quam etiam ante peccatum habebat, naturale est generare, sicuti et cæteris animalibus perfectis: quod sane declarant naturalia membra ad hunc usum deputata. Ergo ante peccatum futura fuisset generatio, seclusa tamen deformitate *immoderatæ* concupiscentiæ quam rectitudo primi status non compatiebatur quæque ex originali culpa consecuta est.

3um arg. *ab inconvenienti.*—Homines in statu peccati generatione multiplicantur. Atqui valde inconveniens est, tantum bonum qualis est multiplicatio humani generis et maxime electorum ex peccato prodiisse vel occasionatum fuisse. Ergo etiam ante peccatum præfata multiplicatio per generationem extitisset.—Quæ ratio ne vi sua frustretur, *observa* cum Cajetano bona esse duplicis ordinis: quædam supponentia malum, ut pœnitentia, fortitudo martyrum; alia undique et simpliciter bona. Ad prima quidem præhaberi malum opus est; propter secunda vero oportere mala fieri inconveniens est. Atqui multiplicatio humani generis est de genere eorum quæ sunt absolute bona, cum pertineat ad ipsam speciei perfectionem. Ergo.

Solv. obj.—Obj. 1.—Generatio ordinatur ad conservationem speciei inter individua corruptibilia. Atqui in statu innocentiæ individuum humanum in perpetuum absque morte vixisset. Ergo.

Resp. *D. M*:...vel ad multiplicationem individuorum quæ ex parte saltem perpetua sunt, *C*;...ad solam speciei conservationem, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

Obj. 2.—Juxta Damasc. (l. 2 Orth. Fid. c. 11 et l. 4, c. 25) "primus homo erat in paradiso terrestri sicut Angelus quidam". Atqui similitudo angelica nuptias excludit, ut patet ex Matth. (XXII, 30): *Neque nubent neque nubentur* (resurgentes), *sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Ergo.

RESP. *D. M*:... per mentem spiritualem, *C*; ad exclusionem vitæ animalis in corpore, *N.*—*D.m*: similitudo perfecta in beatis quos gloria spirituales efficiet et secundum animam et secundum corpus...*C*; similitudo imperfecta in viatoribus, *N.*—*Neg. conseq.*

OBJ. 3.—Conjunctio carnalis hominem bestiis similem reddit. Atqui bestiis homo comparatur propter peccatum, juxta illud (Ps. XLVIII, 21): *Homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus.* Ergo.

RESP. *D. M*:... præcise ut conjunctio carnalis, *N*; in quantum homo nescit ratione moderari fervorem concupiscentiæ, *C.*—*C.m.*—*Neg. conseq.*

Bestiæ ratione carent. Unde eatenus homo bestialis efficitur quatenus carnalem delectationem et concupiscentiæ fervorem renuit ratione moderari. Jamvero in statu innocentiæ nihil prorsus fuisset quod ratio non temperaret; ideoque generationis opus homines cum tranquillitate animæ et corporis pie honesteque exercuissent.

OBJ. 4.—Virginitatis continentia laudabilior est matrimonio, ut S. Thomas probat (II-II[æ], Q. CLII, a. 4). Atqui non debet statui innocentiæ denegari quod laudabilius est. Ergo.

RESP. *D. M*:... pro præsenti statu, *C*; absolute, *N.*—*C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

Ideo continentia nunc matrimonio præcellit, quia importat abstinentiam ab immoderata libidine et immunitatem a variis sollicitudinibus et miseriis hujus sæculi quibus impeditur homo a contemplatione divinorum. Ast in statu innocentiæ fuisset generationis fœcunditas absque libidine iisque omnibus quæ mentem a divina contemplatione distrahunt; unde conjugium virginitati *simpliciter* præstitisset (I, Q. XCVIII, a. 2 ad 3).—Nihilominus *Suarez* [1] satis probabile censet etiam in illo statu futuram fuisse nonnullorum saltem virginitatem, tum propter singularem quamdam virginalis abstentionis libertatem, tum propter varietatem statuum in mundo constituendam.

1—*De opere sex dierum*, l. V, c. 2.

ARTICULUS II.

Utrum pueri in statu innocentiæ nati fuissent iidem numero et corporea conditione qui nunc nascuntur.

Agitur, ut patet, de conditione prolis generandæ *quantum ad corpus*, et duo sub hoc capite tractanda suscipiuntur quæ theologi post D. Thomam definire solent.—Cætera, puta *quot homines* in statu innocentiæ, eo perseverante, nati fuissent et an tot quot nascuntur in statu naturæ lapsæ, prorsus *incerta* sunt, cum nihil de hoc habeamus ex S. Scriptura aut traditione et aliunde nos lateat quanto tempore homines tunc fuissent in via et generationi vacassent.—Quia tamen æstimat Angelicus omnes in primo statu fuisse nupturos, hinc concludit tot fuisse generandas *feminas* quot *mares* (I, Q. XCIX, a. 2 ad 3).

Modo dubium duplex proponitur : 1° utrum homines qui in statu naturæ lapsæ nascuntur in statu innocentiæ nati fuissent iidem numero tam quoad corpus quam quoad animam, abstrahendo ab æqualitate numeri ; 2° quænam fuisset in prædicto statu corporea puerorum conditio.

Conclusio 1ª.—Adam non peccante, non fuissent nati iidem homines qui nunc nascuntur quantum ad corpus ; immo nec quantum ad animam. (Cf. S. Thom. Quodl. III, Q. XI, a. 25).

Prob. 1ª *pars.*—1° Impossibile est eamdem numero prolem quoad corpus nasci, si alius sit pater et alia mater. Atqui in primo statu fuissent alii parentes quam nunc : ergo et distincta numero proles quoad corpus. *Maj.* constat. *Minor* ostenditur. Nam *a)* in primo statu unus homo non habuisset plures uxores, et nullus ex fornicatione vel adulterio nasceretur : quæ in præsenti statu contingunt. *b)* Omnes etiam qui in hoc statu naturæ lapsæ moriuntur innupti, sive pueri sive adulti, in statu innocentiæ nupsissent et filios procreassent. *c)* Item post peccatum plures feminæ sunt steriles quæ tunc fuissent fecundæ : in quibus omnibus totidem causæ inveniuntur numericæ diversitatis humani corporis. Ergo.

2° Ad individuationem prolis non sufficit identitas parentum, siquidem ex eodem patre et eadem matre nascuntur

distincta individua; sed requiritur insuper identitas plurium circumstantiarum, puta loci, temporis, influentiarum cœlestium, actionis elementorum et alimentorum. Jamvero quis dicat omnes istas circumstantias easdem nunc numero esse quæ in statu innocentiæ fuissent? Ergo.

2ª *Pars* concl., nempe *quantum ad animam*, in dubium vocatur a nonnullis, uti *Billuart* et *Suarez;* attamen firmo consequentiæ nexu ducitur ex doctrina *S. Thomæ* de individuatione animæ rationalis.—Etenim, semel posito quod anima individuetur per commensurationem ad corpus proprium, jam necesse est numericam corporis diversitatem, de qua supra diximus, in ipsam animam redundare. Atqui Angelicus indubitanter docet individuationem animæ originaliter pendere a corpore. Ait enim (Op. *de Ente et Essentia):* "Licet individuatio ejus ex corpore occasionaliter dependeat quantum ad sui inchoationem, *quia non acquirit sibi esse individuatum nisi in corpore cujus est actus;* non tamen oportet ut, destructo corpore, individuatio pereat: quia, cum habeat esse absolutum, ex quo acquisitum est sibi esse individuatum ex hoc quod facta est forma hujus corporis, illud esse semper manet individuatum [1]".—Ergo simpliciter et undequaque concludendum est homines in statu innocentiæ non fuisse eosdem numero futuros qui nunc nascuntur.

Conclusio 2ª.—Pueri mox nati non habuissent sufficientem virtutem ad quoslibet actus, sed tantum ad eos qui pueritiæ congruerent.

Pro certo habemus primum hominem, quia primus erat, fuisse a Deo in statu virilis fortitudinis immediate constitutum: at ignorat nemo quam diversa esset ratio seu conditio puerorum generatione nascentium, ideoque cum *S. Thoma* decernendum putamus non nascituros tunc homines in perfecta corporis magnitudine, sed in mole infantium propria.

Prob. 1ª *pars* concl.—1º Omne generatum, secundum naturæ legem, prius est imperfectum quam perficiatur. Atqui pueri in statu innocentiæ fuissent secundum naturæ legem generatione producti. Ergo a principio imperfecti fuissent et *quantitate molis* et *virtute corporis.*—2º *Prob.* specialius. In

1—Cf. *Comt.* Cajet. in h. loc.

omnibus asserendis sequi debemus rerum naturam, præter ea, naturam excedentia, quæ auctoritate divina traduntur; hæc enim fide tenemus. Atqui naturale hoc est, ut pueri mox nati non polleant sufficienti virtute ad quoslibet membrorum motus: siquidem, ait S. Doctor, "nervi qui sunt instrumenta motus non sunt idonei ad movendum membra;" seu prouti physiologia testatur, in illis pueris *centra nervea* quæ motricitati præsident nonnisi inchoative existunt neque eam habent sive explicationem sive cohærentiam functionibus suis necessariam. Ergo naturali processu evenit ut pueri mox nati non gaudeant perfecto membrorum usu.

2^{a} *Pars* evincitur.—Nam Deus, juxta S. Scripturam, fecit hominem rectum, rectique pariter nati fuissent ejus posteri, si ipse non peccasset. Atqui ista rectitudo partim consistebat in perfecta subjectione corporis ad animam; ex quo requirebatur ut membra neque repugnarent neque deficerent ordinatæ hominis voluntati. Ergo pueri potuissent se movere prouti voluissent. Atqui nihil tunc voluissent ordinata voluntate nisi quod erat statui suo conveniens. Ergo facile et absque dolore membra movissent ad omnes et solos actus qui ætati puerili congruerent.

Solv. obj. (contra 2^{am} concl.).—Obj. 1.—Dicit Augustinus (l. 1 de Bapt. parv. c. 38): "Infirmitati mentis congruit hæc infirmitas corporis," scil. quæ in pueris apparet. Atqui in statu innocentiæ nulla fuisset mentis infirmitas. Ergo.

Resp. *D. M*:...et loquitur Augustinus de infirmitate quam nunc pueri, etiam quantum ad actus pueritiæ convenientes, experiuntur, *C*; de qualibet infirmitate infantilis corporis, *N.—D.m*: nulla infirmitas privativa, *C*; nec etiam negativa, *N.—Neg. conseq.*

Obj. 2.—Quædam animalia, statim cum nascuntur, membris valent expedite uti. Atqui homo nobilior est aliis animalibus. Ergo pœnale est, non naturale, quod tali usu privetur.

Resp. *D. M*:...et hoc habent quasi ex nobilitate, *N*; ex propria corporis conditione quæ, ob minorem actuum virtutisque perfectionem, promptiorem nervei systematis explicationem importat, *C.—C.m.—Neg. conseq.*

Obj. 3.—Non posse consequi objectum delectabile, propter defectum motivæ facultatis, afflictionem inducit. Atqui nulla in statu illo fuisset afflictio. Ergo.

Resp. *D. M* :...in eo cui tale objectum sit debitum, *C* ; in eo cui est indebitum, *S.d* : quia inordinate illud concupiscit, *C* ; si ordinata sit ejus voluntas, non appetens nisi quod statui proprio congruat, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

Obj. 4.—Defectus senectutis videtur correspondere defectui pueritiæ. Atqui in statu innocentiæ non fuisset defectus senectutis. Ergo neque etiam pueritiæ.

Resp. *D. M* :... defectui pueritiæ positivo, i. e. sumpto pro privatione perfectionis debitæ statui innocentiæ, *C* ; defectui negativo, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

Homo in statu innocentiæ generatus fuisset, sed non fuisset corruptus. Et ideo in statu illo potuissent esse aliqui defectus pueriles, nempe *negativi*, qui processu naturæ generationem consequuntur; non autem defectus seniles, qui ordinantur ad corruptionem et quibus pueritiæ mala, ut ægritudines, incommoda, gemitus, correspondent.

ARTICULUS III.

Utrum homines in statu innocentiæ fuissent nati cum justitia et in ea confirmati.

Progreditur sermo ad conditionem prolis generandæ *quantum ad animam*, cujus præcipua dos est justitia.—Verum 1° duo hic secernenda sunt : *aliud* est enim quærere utrum in primo statu nascerentur pueri amictu justitiæ vestiti, et *aliud*, posito quod eam a nativitate secum ducerent, utrum nascerentur in illa confirmati.— 2° Justitiæ nomen nunc sumi debet non præcise, sed *comprehensive*, prouti significat tum integritatem humanarum virium tum quoque gratiam sanctificantem. Fuit enim *quorumdam opinio* quod pueri non fuissent nati cum justitia gratuita quæ est merendi principium, sed cum justitia originali. At vero, cum originalis justitiæ radix consistat in subjectione supernaturali rationis ad Deum secundum influxum gratiæ gratum facientis, necesse est dicere quod si pueri nati fuissent cum dono justitiæ, gratiam simul habuissent.—3° Tandem notetur hic quæri de

justitia quantum ad *habitum*, non autem quantum ad *executionem actus* qui ex usu liberi arbitrii in unoquoque pendet.

Conclusio 1ª.—PUERI IN STATU INNOCENTIÆ CUM DONO JUSTITIÆ ORIGINALIS NATI FUISSENT.—Id *fide* tenendum est post definitionem *Conc. Arausic. II* et maxime *Conc. Trid.* (Sess. V, Decr. *de pecc. orig.* c. 2) : " Si quis Adæ prævaricationem sibi soli et non ejus propagini asserit nocuisse ; et acceptam a Deo *sanctitatem* et *justitiam*, quam perdidit, sibi soli et non nobis etiam eum perdidisse...A. S. " Ubi sanctitas et justitia, nisi redundantiam adesse velis, distingui et intelligi debent veluti idipsum ac gratia et originalis rectitudo cujus illa erat radix.

Prob. concl. 1º *ex Scriptura*, scil. (Rom. V, 12) : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit et per peccatum mors.* Quo ex textu ita argumentum conficimus : nunc homines generantur peccato et morti obnoxii, propter peccatum Adæ ; ergo, Adamo non peccante, homines non conciperentur in peccato sed in gratia peccato contraria et immortales essent. Atqui eadem ratio esse videtur immortalitatis aliorumque donorum justitiæ originalis, quæ cuncta in gratia fundantur. Ergo.

Prob. 2º ex *S. Anselmo*, qui (l. de concept. Virgin. c. 10) dicit : " Simul cum rationalem haberent animam, justi essent quos generaret homo, si non peccaret." Anselmo præiverat *S. Augustinus* (14 de Civ. Dei, c. 10), nec non *S. Prosper* (Resp. ad 8 object. Gall.) ubi ait, de donis justitiæ et gratiæ loquens : " Dedit quidem (Deus) ab initio hanc homini facultatem, sed omnes eam in illo amisimus, in quo omnes peccavimus."

3º In promptu est apodictica *ratio.*—Homo naturaliter generat sibi simile secundum speciem. Ergo quæcumque accidentia naturam speciei consequuntur necesse est in filiis inveniri, nisi sit error in operatione naturæ ; quanquam non oporteat in accidentibus individualibus filios parentibus assimilari. Atqui justitia originalis, in qua primus homo conditus fuit, se habebat velut accidens naturæ speciei, non quasi ex principiis specificis causatum, sed toti naturæ divinitus largitum. Ergo. *Minor* haud magno negotio probatur : etenim opposita unius generis sunt. Jamvero peccatum originale,

quod opponitur originali justitiæ, peccatum naturæ nuncupari solet; unde traducitur a parente in posteros. Igitur ex dictis inferre fas erit quod, Adamo non peccante, filii parentibus similarentur quantum ad gratiam et justitiam.—Id tamen non eo sensu *intelligendum est* quod illa dona naturalia essent et quasi transfusa per virtutem seminis; verum collata homini fuissent statim ac habuisset animam rationalem, sicut etiam corpori jam disposito infunditur a Deo ipsamet anima, quæ tamen ex traduce non est.

Conclusio 2ª.—FALSUM VIDETUR PUEROS IN STATU INNOCENTIÆ NASCITUROS FUISSE IN JUSTITIA CONFIRMATOS.—Hanc D. Thomæ sententiam theologi *communiter* tuentur.

Prob. 1º auctoritate *S. Augustini* dicentis (14 de Civ. Dei, c. 10): " Tunc felix universa esset humana societas, si nec illi (scil. primi parentes) malum in posteros trajicerent, nec quisquam ex stirpe eorum iniquitatem committeret quæ damnationem reciperet ". Quibus ex verbis deducere pronum est quod, etiam si primi homines non peccassent, aliqui ex eorum stirpe potuissent in culpam prolabi. Non ergo nascerentur in justitia confirmati.

Prob. 2º *ratione.*—Etenim pueri in sua nativitate non fuissent majoris perfectionis dono ditati quam ipsi parentes in statu generationis. Atqui parentes, quamdiu generassent, minime sortiti essent confirmationem in gratia, qualis impossilibitatem peccandi pariat. Ergo. Prob. *min.* Creatura rationalis, de lege ordinaria et secluso speciali privilegio, non confirmatur in justitia nisi beata fiat per claram Dei intuitionem, cui semel viso non potest non inhærere: siquidem Deus est ipsa essentia bonitatis a qua nullus averti potest, cum nihil desideretur et ametur nisi sub boni ratione. Quam cito autem Adam ad illam beatitudinem pervenisset quæ in Dei visione consistit, spiritualis efficeretur et mente et corpore, cessante vita animali in qua sola generationis usus fuisset. Ergo et parvuli, parentibus haud perfectiores, minime nascerentur in justitia confirmati.—Dixi, *secluso speciali privilegio:* vi enim talis privilegii contingit aliquem confirmari in gratia, quin absit præsentis vitæ consuetudo; et hoc credimus fuisse B. Virgini, Matri Dei, singulariter concessum.

Solv. obj. (contra 2ªᵐ concl.).—OBJ. 1.—Dicit Gregorius (4 Mor. c. 28): " Si parentem primum nulla putredo peccati

corrumperet, nequaquam ex se filios gehennæ generaret; sed hi, qui nunc per Redemptorem salvandi sunt, soli ab illo electi nascerentur." Ergo.

Resp. *D. antec*:... pueri non contraherent a primo parente reatum gehennæ, *C*; neque fieri possent gehennæ filii per liberum arbitrium, *S.d*: divina Providentia præservante, *C*; causa intrinseca prohibente, *N*.—*Neg. conseq.*

1° Si Adam non peccasset, ex se non generaret filios gehennæ, ita scilicet ut ab ipso peccatum contraherent quod est damnationis causa; possent tamen per liberum arbitrium peccando mereri gehennales pœnas.—Nihilominus 2° si quis cum Gregorio opinari velit *solos electos* fuisse tunc nascituros, haud ægre annuemus, dummodo hoc non repetatur ex confirmatione in gratia per causam intrinsecam, sed ex Dei Providentia per quam homines illi a peccato conservarentur immunes.

Obj. 2.—Anselmus (l. 2 *Cur Deus homo*, c. 18) ait: "Videtur quod si sic vixissent (nempe primi parentes) ut tentati non peccassent, ita confirmarentur cum omni propagine sua ut ultra peccare non possent." Ergo.

Resp. *D. M*:... et hoc dixit opinando, quod innuit vox *videtur*, *C*; hoc dixit asserendo, *S.d*: quin ratio vel auctoritas ejus nos cogat, *C*; secus, *N*.—*Neg. conseq.*

Obj. 3.—Bonum est potentius quam malum. Atqui propter peccatum primi hominis consecuta est necessitas peccandi in his qui nascuntur ex eo. Ergo si Adam non peccasset, derivaretur ad posteros necessitas observandi justitiam. (Ita S. Anselmus, *op.* et *loc. cit.*)

Resp. *C. M.*—*D.m*:... necessitas peccandi absoluta, *N*;... relativa seu magna difficultas non peccandi, salva semper resurgendi potentia, *C*.—*Neg. conseq.*

Ratio ista nullius roboris est. Non enim sic per peccatum primi parentis ejus posteri necessitatem peccandi incurrunt, ut ad justitiam redire non possint: quod est tantum in damnatis. Unde nec ita necessitatem non peccandi transmisisset ad posteros, ut omnino peccare non possent: quod est tantum in beatis.

Obj. 4.—Quemadmodum Angelus adhærens Deo, aliis peccantibus, statim est in justitia confirmatus, ita et homo,

si tentationi restitisset. Atqui qualis ipse fuit, tales alios generasset. Ergo.

RESP. *Neg. paritatem Maj.—Transeat min.—Neg. conseq.*

Non est ratio similis de homine et Angelo : homo quippe liberum arbitrium habet vertibile et ante et post electionem ; secus vero Angelus, prouti in Tract. de angelicis substantiis ostensum est.

ARTICULUS IV.

Utrum in statu innocentiæ pueri nati fuissent scientia aut saltem rationis usu perfecti.

Postremum exploranda superest conditio prolis in primo statu generandæ quantum ad *perfectionem intellectus*. Hæc autem mentis perfectio cum dupliciter considerari possit, nempe consummative secundum *scientiam* atque inchoative secundum *rationis usum*, hinc manifestus datur locus instituendi duplicem conclusionem.

Conclusio 1ª.—PUERI IN STATU INNOCENTIÆ NON FUISSENT NATI PERFECTI IN SCIENTIA; HANC TAMEN PROCESSU TEMPORIS FACILE ACQUISIVISSENT.

Prob. 1ª *pars.*—De iis quæ sunt supra naturam, soli auctoritati divinæ creditur; qua quidem deficiente, sequi naturæ conditionem debemus. Atqui naturale homini est ut scientiam per sensus acquirat, non autem ut congenitam ab initio habeat : siquidem *a)* ideo anima corpori unitur quia eo indiget ad suam propriam operationem; quod non esset, si statim a principio scientiam, non acquisitam operâ sensitivarum virium, sibi vindicaret. Quapropter *b)* Aristoteles optime de anima docuit quod sit per naturam " sicut tabula rasa, in qua nihil est scriptum " (3 de Anima). Igitur tenendum est pueros in primo statu non fuisse nascituros cum perfectione scientiæ.

2ª *Pars* apparet ; quia homines in statu innocentiæ habuissent plures prærogativas cum ex parte corporis tum ex parte animæ, quibus juvarentur ad acquirendas scientias, sive addis-

cendo a parentibus, sive inveniendo. Ex parte *corporis* juvaret impassibilitas, perpetua valetudo, firmitas virium et integritas sensuum tam exteriorum quam interiorum ; ex parte *animæ* ingenium perspicacissimum, felicissima memoria, excellens judicium et constans ad sciendum propensio faveret. Ergo.

Conclusio 2ª.—IN STATU INNOCENTIÆ, PUERI MOX NATI NON HABUISSENT PERFECTUM RATIONIS USUM ; LICET QUOAD HOC PUERIS NOSTRI STATUS CERTO PRÆSTITISSENT.

Prob. 1ª *pars.* — 1º Ex *communi naturæ lege,* quæ in omnibus generatis ab imperfecto ad perfectum procedit.— 2º Ex *causa propria.* Usus rationis quodammodo dependet ex usu virium sensitivarum : unde, ligato sensu et impeditis viribus sensitivis, homo a perfecto rationis exercitio prohibetur, ut patet in dormientibus et phræneticis. Atqui vires sensitivæ sunt virtutes quædam corporalium organorum. Ergo, quamdiu organa impediuntur, tum actus virium illarum tum ipse rationis usus defectum patiuntur. Jamvero in pueris organorum impedimento est tardior cerebri atque, ut recentiores loquuntur, *centrorum psychicorum* evolutio ex quibus sensitivitas physiologice inspecta radicitus pendet : quæ quidem tarditas in statu innocentiæ non deesset. Ergo in illo statu pueri non habuissent perfectum rationis usum quo in majori ætate pollerent.

2ª *Pars* concl. vix probatione eget.—Quemadmodum enim de usu membrorum superius diximus, quod secundum ætatis convenientiam perfecte voluntati obedirent, ita procul dubio de rationis usu tenendum quod, nullo impediente obstaculo, pueri facilius quam nunc perfectionem sibi debitam secundum ætatis progressum assecuti essent.— Admiramur quidem aves ad volatum provocare pullos suos, aliaque similia in aliis animalium generibus. Profecto pueri, tunc a natura et gratia instituti in his quæ ad se pertinerent, multo nobilius atque perfectius efficacis magisterii ope ad inquirendum et sciendum excitarentur, et in summo illo educationis opere longe pecudibus antecederent.

Solv. obj. (contra 1ᵃᵐ concl.).—OBJ. 1.—Qualis fuit Adam, tales filios generasset. Atqui Adam fuit in scientia perfectus. Ergo.

RESP. *D. M :* Qualis fuit Adam secundum accidentia totius naturæ...*C;* secundum accidentia mere individualia...*N.*—

C.d.m : et hoc erat accidens mere personale, *C;* accidens naturæ, *N.—Neg. conseq.*

Esse perfectum in scientia fuit *individuale* accidens primi parentis, in quantum scil. ipse instituebatur ut pater et instructor totius humani generis; et ideo quantum ad hoc non generasset filios sibi similes, sed solum quantum ad accidentia naturalia vel gratuita *totius naturæ.*

OBJ. 2.—Pœna peccati est ignorantia. Atqui hæc definitur privatio scientiæ. Ergo ante peccatum pueri omnem scientiam habuissent.

RESP. *D. M :...* ignorantia proprie dicta, *C ;* improprie sumpta pro mera nescientia respectu aliquorum, *N.—D.m :...* scientiæ pro tempore illo debitæ, *C ;...* scientiæ cujuscumque, *S.d :* sic definitur nescientia, *C;* ignorantia proprie dicta, *N.—Neg. conseq.*

OBJ. 3.—Pueri mox nati justitiam habuissent. Atqui ad justitiam requiritur scientia quæ dirigit in agendis. Ergo.

RESP. *C. M.—D.m :* requiritur lumen fidei infusæ, *C ;...* scientia naturalis, *S.d :* perfecta, *N ;* proportionata operibus peragendis, *C.—Neg. conseq.*

Pueri habuissent sufficiens mentis lumen quo se possent, pro ætate sua, in operibus justitiæ dirigere. Primo enim *fidem* cum gratia ab ipsa nativitate secum duxissent ; dein multo plenius quam nos, juvante Deo per se et per Angelos, sibi comparassent universalia *juris principia* quæ morales actus dirigunt, sicuti et principia omnium artium atque scientiarum.

QUÆSTIO SEXTA

De paradiso terrestri

Paradisus græce (latine hortus) tria designare solet: *primo*, visionem Dei intuitivam qua beati gaudent; *secundo*, patriam cœlestem in qua perenniter vivent gloriosa corpora; *tertio*, locum terrestrem primo homini in statu innocentiæ deputatum.

Porro de hoc loco, complementi gratia, libeat nunc certiora quædam—multa enim incerta sunt—ex D. Thoma aliisque doctoribus excerpere atque didactice, more nostro, lectori subjicere. Scilicet ordinatim quæremus: *an sit* paradisus, *qualis* fuerit, *qualiter* homo in illo sese gesserit.

ARTICULUS I.

Utrum paradisus sit locus corporeus.

Circa quæstionem de esse paradisi, unum *præcipuum* adstruendum occurrit contra eos qui allegorice seu mystice tantum, non autem litteraliter, locum illum intelligunt, quales fuerunt Philo et Origenes; cætera *secundaria* respiciunt hujus loci magnitudinem, situm ac durationem seu conservationem, quæ etiam succincte tractabuntur.

Conclusio 1ª. — Paradisus, quem describit Moyses (Gen. II, 8-15), locus est corporeus et visibilis, non autem mere spiritualis.—Ita *communiter* tam Patres quam theologi.

Prob. 1º ex sana *Scripturæ* interpretatione.—Ea enim quæ de paradiso in Genesi dicuntur proponuntur per modum narrationis historicæ sic exordientis: *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis ab initio; in quo*

posuit hominem quem formaverat. Atqui in omnibus quæ Scriptura ita tradit, pro fundamento tenenda est veritas historiæ, super quam dein fabricari possunt spirituales expositiones. Ergo. *Minor* probata supponitur ex principiis Hermeneuticæ biblicæ (cf. Ubaldi, *Intr. in Sac. Script.* Vol. III, P. I, c. 1, th. 1).

Conf. arg :— *a)* ex plerisque narrationis adjunctis quæ sensum litteralem manifeste postulant, puta quod locus ille fuerit consitus plantis et arboribus pulchris visu et ad vescendum suavibus (v. 9), vel quod irrigabatur fluvio seu fonte in quatuor flumina diviso quorum nomina erant Phison, Gehon, Tigris et Euphrates (v. 10-14), vel demum quod Adam in eo fuerit positus ut operaretur et custodiret illum (v. 15).—*b)* Huc etiam spectant *Augustini* verba (13 de Civ. Dei, c. 21) : " Quæ commode dici possunt de intelligendo spiritualiter paradiso, nemine prohibente dicantur ; dum tamen et illius historiæ fidelissima veritas rerum gestarum narratione commendata credatur."

Prob. 2º ex *Patribus* cum græcis tum latinis [1] .—Sat esto referre quæ habet *S. Hieronymus* (Daniel. 10), Philonem et Origenem vehementer increpans : " Conticescant, inquit, eorum deliramenta qui, umbras et imagines in veritate sequentes, ipsam conantur evertere veritatem, ut paradisum, et flumina, et arbores, putent allegoriæ legibus se debere subruere ".

Accedit 3º *ratio* convenientiæ.—Cum enim primus homo admodum singularem et felicem vitam degeret, congruum erat huic statui ut divina Providentia locum quemdam terrestrem tam beatæ conditioni proportionatum destinaret.

Conclusio 2ª.—CERTUM EST PARADISUM ESSE NON TOTAM TERRAM, SED LOCUM PARTICULAREM, HUNC AUTEM LOCUM SITUM FUISSE IN ASIA, PROBABILITER IN ARMENIA, PLURAQUE SUADENT ILLUM ETIAM NUNC EXSTARE.

Prob. 1ª *pars* contra paucos.—Genesis narrat Deum, e loco in quo Adamum condiderat, hunc in paradisum transtulisse, et postea in peccati pœnam e paradiso ejecisse, et ante paradisum Cherubim constituisse ad custodiendam viam ligni vitæ. Atqui hæc omnia palam indicant locum quemdam par-

1—Cf. Gonet, *Clypeus theol. thomist.*, Vol. III.

ticularem, in certa regione positum, fuisse Adamo assignatum. Ergo.—Quid igitur, si Adam non peccasset? *Nonnulli* contendunt longe minorem futurum fuisse numerum posterorum Adæ innocentis quam Adæ lapsi ideoque non repugnare quod continerentur intra paradisi limites. At vero, ut ostendit *Billuart* [1], multo *probabilius* est homines in illa hypothesi habitaturos fuisse universam terram, propter verbum (Gen. I, 28): *Crescite et multiplicamini et replete terram*; et propter illud (Is. XLV, 18): *Non in vanum creavit eam* (terram); *ut habitaretur, formavit eam.* Itaque tunc terra, etsi non esset proprie paradisus nec omnem ejus ornatum haberet, ad instar tamen paradisi fuisset, quatenus, nulli maledicto subjecta, sed potius a Deo benedicta et fœcundata, quidquid ad commodam humani generis habitationem requireretur libentissime conferret. Unde vel lignum vitæ multiplicandum foret in diversis regionibus, vel aliter immortalitati hominum provisum fuisset.

2ª *Pars* concl. suadetur:—1º ex Gen. II; si quidem in textu hebraico et translatione Septuaginta interpretum legitur: *Plantavit Dominus Deus paradisum in Edem ad Orientem.*—2º Ex *communi* doctorum ac populorum *sensu*, quem invenimus expressum in illo dicto: *Ex Oriente lux*; ac si nempe Oriens seu Asia principium extiterit humanæ civilitatis. Hinc etiam *S. Thomas* (II-IIæ, Q. LXXXIV, a. 3 ad 3) loquens de exterioribus actibus latriæ ait: "Secundum quamdam decentiam adoramus versus Orientem... propter paradisum in Oriente constitutum, ut legitur Gen. II, secundum litteram 70 interpretum, quasi quæramus ad paradisum redire."—3º Ex *Asiæ centralis conditione* sive geographica, sive zoologica atque ethnologica: sub his enim variis respectibus regio illa non immerito uti centrum universi habetur ab ipsis modernis scientiarum cultoribus inter quos imprimis eminet *De Quatrefages*, prouti refert cl. Vigouroux [2].

Quanam vero in Asiæ determinata parte paradisus constitutus fuerit, nonnisi per conjecturas definiri potest. Abundant sententiæ; id tamen laudatus Vigouroux [3] post D. Calmet

1—*De op. sex dierum*, Diss. VII, a. 2.
2—*Les livres saints* etc., t. IV, p. 159-166.
3—*Manuel biblique*, t. I.

verisimilius censet quod felix illa regio fuerit in *Armenia*, cujus fertilitas etiam nunc ab exploratoribus celebratur, et in qua non solum Tigris et Euphrates, verum quoque Phison (hodie vel Rion vel Kur) et Gehon (hodie Aras) originem ducunt.

3ª *Pars* concl. de conservatione paradisi a *quibusdam* negatur; " nihilominus, inquit Gonet (op. cit.), paradisum adhuc extare celebris et perantiqua sententia est, ingenti SS. Patrum, veterum et recentium theologorum, necnon Scripturæ interpretum agmine vallata."

Præcipuum hujus opinionis motivum a *D. Thoma* innuitur (III, Q. XLIX, a. 5 ad 2) hisce verbis : " Henoch raptus est in paradisum terrestrem, ubi cum Elia simul creditur vivere usque ad adventum Antichristi." Quæ persuasio procul dubio derivata est ex Eccli. (XLIV, 16) : *Henoch placuit Deo et translatus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam ;* necnon ex Irenæo (l. adv. Hær. c. 5) ubi affirmat apostolicam traditionem esse, Henoch et Eliam nunc manere in paradiso, idque subdit se didicisse a presbyteris qui fuerunt Apostolorum discipuli.—Nec *obstare* dicatur conservationi paradisi terrestris factum universalis diluvii. Vel enim miraculose ab aquis præservatus est; vel si detur illum fuisse aquis coopertum suaque pulchritudine exutum, potuit postea virorem et decorem suum, saltem magna ex parte, recuperare, sicuti senescentibus plantis et arboribus novæ potuerunt ex priorum seminibus succrescere atque florere.— Demum *objicienti* neminem hucusque inter viatores de loco paradisi mentionem fecisse, respondet *S. Thomas* locum illum seclusum esse a nostra habitatione " aliquibus impedimentis vel montium, vel marium, vel alicujus æstuosæ regionis quæ pertransiri non potest ; " quâ æstus vehementiâ alibi explicat (II-IIæ, Q. CLXIV, a. 2 ad 5) flammeum gladium, in manu custodis Cherubim positum (Gen. III, 24).

Solv. obj. (contra 1am concl.). — Obj. 1.—S. Ambrosius (l. de Paradiso) hunc explicat spiritualiter ; nempe per ipsum paradisum intelligit animam justi, per ligna fructifera merita justorum, per fontem irrigantem sapientiam, per quatuor flumina inde manantia quatuor virtutes cardinales. Ergo.

RESP. *Dist. antec* :...quia, supposito paradiso corporeo, totus fuit in explicandis mysticis ejus significationibus, *C;* quasi non agnoverit paradisum corporeum, *S.d* : et in hoc singularem opinionem emisit, *C*;...opinionem quæ communis sit apud Patres, *N.—Neg. conseq.*

OBJ. 2.—Scriptura refert quatuor flumina in paradiso ex uno fonte manasse. Atqui constat flumina illa in Gen. II recensita habere geographice distinctas origines. Ergo intelligenda sunt spiritualiter.

RESP. *D. M* :...ex uno fonte veluti ex remoto principio, *C;* ad exclusionem plurium fontium proximorum, *N.—C.d.m* :... habere distinctas origines proximas, *C;* quin potuerit esse, præsertim ante diluvium, origo remota communis, *N.—Neg. conseq.*

"Credendum est, inquit *Augustinus* (8 super Gen. ad litt., c. 7), quod locus paradisi a cognitione hominum est remotissimus; flumina autem, quorum fontes noti esse dicuntur, alicubi isse sub terras, et post tractus prolixarum regionum locis aliis erupisse. Nam hoc solere nonnullas aquas facere quis ignorat?"

OBJ. 3.—In paradiso describitur esse lignum vitæ et lignum scientiæ boni et mali. Atqui utrumque videtur fuisse aliquid spirituale; dicitur enim (Prov. III, 18) de sapientia quod *est lignum vitæ his qui apprehendunt eam ;* nec diversa ratio esse debet de arbore scientiæ. Ergo.

RESP. *C. M.—D.m* :...primario, *N;* consequenter, *C.—Neg. conseq.*

Lignum vitæ, de quo supra disseruimus, in se erat arbor materialis, verum aliquid spiritualiter significabat; sicut et petra in deserto fuit aliquid materiale, Christum præfigurans — Pariter *lignum scientiæ boni et mali* sensibilis arbor fuit, sic dicta propter eventum futurum : siquidem post ejus esum homo per experimentum pœnæ didicit quid interesset inter obedientiæ bonum et inobedientiæ malum; et tamen spiritualiter potuit aliquid significare, puta liberum arbitrium.

———

ARTICULUS II.

Utrum paradisus fuerit locus conveniens habitationi humanæ.

Qualis nunc seu quam *conveniens* primigeniæ hominis conditioni paradisus fuerit, disputandum succedit : qua de re, post ea quæ superius determinata sunt, vix oriri dubitatio potest.

Conclusio.—PARADISUS FUIT LOCUS MAXIME CONVENIENS HABITATIONI HUMANÆ SECUNDUM PRIMÆ IMMORTALITATIS STATUM.

1° Id demonstrat *auctoritas Moysis* appellantis illum locum *paradisum voluptatis* seu *hortum deliciarum ;* cui fidei documento mirifice consonat universa *traditio* et communis *sensus ecclesiasticus* atque *popularis.*—Audiatur *Damascenus* (l. 2 de Orth. Fid. c. 11) sic eleganter discurrens : "Quia vero Deus plasmaturus erat hominem ad suam imaginem et similitudinem, tanquam quemdam regem et principem universæ terræ et eorum quæ in ea sunt, præstruxit ei quamdam veluti regiam domum, in qua diversans beatam et omni ex parte felicem deduceret vitam. Et ipsa est divinus paradisus, Dei manibus in Edem plantatus, lætitiæ et voluptatis omnis promptuarium : Edem enim voluptas interpretatur. In Oriente vero omni terra excelsior collocatus est, optima temperie et aere subtilissimo atque purissimo splendidus; plantis semper virentibus insignis, odoris suavitate refertus, plenusque lumine, universæ sensibilis venustatis et pulchritudinis superexcedens intelligentiam ; divinus profecto locus ac dignus ejus qui ad imaginem Dei creatus est incolatu ". Similia habet *Basilius* (Or. de Paradiso), tribuens huic loco " veris amœnitatem, ubertatem æstatis, autumni hilaritatem, hiemis otium et quietem ". In summa, quidquid varios hominis sensus oblectari posset, quidquid etiam intellectum ejus ad Deum proveheret, prodiga Creatoris manu undique circumfusum fuerat.

2° Cum Auctore sic breviter *rationabimur.*—Adam, ut supra dictum est, ita erat incorruptibilis atque immortalis quod corpus ejus a corruptione præservabatur, non quidem

per formalem corporis dispositionem, sed per vim quamdam effectivam animæ. Jam vero humanum corpus dupliciter corrumpi potest, ab interiori et ab exteriori: *ab interiori* quidem per quotidianam consumptionem labilemque senectutem, cui defectui subvenit convenientium ciborum esus; inter ea vero quæ *exterius* corrumpunt principium esse videtur distemperatus aer, unde huic corruptioni maxime occurritur per aeris temperiem. Atqui in paradiso utrumque aderat, nempe tum congruum vitæque ferax alimentum, tum aer temperatissimus atque jucundissimus. Ergo locus ille optime conformabatur felicissimo statui primæ immortalitatis.

Solv. obj.—Obj. 1.—Homo et Angelus similiter ad beatitudinem ordinantur. Atqui Angelus statim a principio factus est habitator loci beatorum, scil. cœli empyrei. Ergo etiam ibi institui debuit habitatio hominis.

Resp. *D. M:*...id est simili gratiæ vocatione, *C;* simili naturæ coaptatione, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

Cœlum empyreum a S. Thoma dicitur " supremum corporalium locorum, extra omnem mutabilitatem positum." Igitur locus ille Angelis conveniens est non solum quantum ad statum beatitudinis et gratiæ, in summa stabilitate firmatum, sed etiam quantum ad indolem naturæ angelicæ ad quam pertinet cunctis præesse corporalibus; unde Angelus ibi creatus est. Non autem homini congruit idem locus ratione naturæ, cum homo non præsideat toti corporali creaturæ per modum gubernationis, sed competit ei solum ratione beatitudinis. Unde Adam a principio non fuit in cœlo empyreo positus; sed illuc transferendus erat in statu finalis beatitudinis.

Obj. 2.—Si debeatur homini locus, aut ratione animæ aut ratione corporis deberi dicendus est. Atqui neutro ex capite congruit paradisus; cum ex una parte anima cœlum appetat, ex altera vero corpus nonnisi locum aliorum animalium sibi vindicet. Ergo.

Resp. *C. M.—N.m.* et *D. prob:* Quoad 1um, anima cœlum appetit, quasi locus sit sibi naturalis, *N;* secundum congruentiam quamdam, maxime ob conditionem corporis sibi uniti cui proxime terra, finaliter vero cœlum convenit, *C.* Quoad 2um, corpori corruptibili non debetur nisi locus aliorum

nimalium, *C*; corpori incorruptibili, quale erat corpus Adami, *N.—Neg. conseq.*

Et vero, juxta *Damascenum* (loc. superius cit.), "in paradiso nullum irrationalium habitabat; " licet, imperante Deo vel Adamo ipso, potuerint illuc adduci, imo adducta fuerint, atque serpens diaboli operâ accesserit.

Obj. 3.—Frustra instituitur locus in quo nullum locatum contineatur. Atqui post peccatum homines in paradiso non habitant. Ergo.

Resp. *D. M*:...frustra secundum quid, *C*; simpliciter, *S.d*:... locus in quo nihil continetur, nec contentum est aut continendum esset, *C*; in quo nihil continetur, sed aliquid contentum est atque continendum esset, *N.—C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

Non ideo frustra paradisi locus institutus est quia homo ibi amplius non habitat, sicuti nec frustra fuit homini concessa immortalitas quam conservaturus non erat. Hoc modo enim ostenditur summa Dei benignitas erga hominem et quantum felicitatis homo peccando amiserit.—Tamen (ut notavimus) communius creditur Henoch et Eliam in paradiso nunc morari.

ARTICULUS III.

Utrum homo sit positus in paradiso ut operaretur et custodiret illum.

Pauca nunc addenda supersunt de primi hominis ad paradisum habitudine; quæ quum respiciat vel *tempus* quo Adam cœpit locum illum habitare vel *modum* quo in eo sese gesserit, duo simul breviter proponenda et declaranda sunt.

Conclusio.—ADAM NON FACTUS, SED POSITUS EST IN PARADISO, UT EXCOLERET ET CUSTODIRET ILLUM.

Prob. 1° *communiter* ex Gen. (II, 8): *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formaverat* (nempe extra paradisum); necnon ex Gen. (II, 15): *Tulit Dominus Deus*

hominem et posuit illum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum.

Decl. 2° *ratione* per partes.

1ª *Pars* ita manifestatur.—Paradisus fuit locus humanæ habitationi congruus secundum primi status incorruptionem et felicitatem. Porro hæc incorruptio atque felicitas non erat homini naturaliter debita, verum ex gratuito et supernaturali Dei dono concessa. Ergo taliter Adamum institui decebat ut tanti beneficii gratuitas in majorem lucem produceretur. Id vero factum esse videmus, quatenus Deus hominem extra paradisum condidit, dein autem in illo veluti in aureo et indebito palatio collocavit ut ibi toto tempore animalis vitæ maneret, postmodum in cœlum transferendus.

2ª *Pars* expeditur sequenti processu.—Verbum Geneseos (II, 15), teste Augustino, dupliciter potest intelligi. *Uno modo*, eo sensu quod Deus posuit hominem in paradiso ut ipse Deus hominem operaretur et custodiret: *operaretur*, inquam, justificando ipsum, qua cessante operatione obtenebratur anima sicut aer, recedente influentia luminis; *custodiret* vero ab omni malo et corruptione.

Alio modo verbum illud potest intelligi ut homo operaretur et custodiret paradisum.—Atque 1° hæc altera expositio non solum communior est, sed etiam longe conformior textui hebraico, ut notat *Petavius* [1].

Hinc 2° *S. Joan. Chrys.* (Hom. 14 in Gen.): "Voluit, inquit, Deus parvam quamdam et moderatam curam penes hominem esse tam in custodiendo quam in excolendo. Nam omnis adhuc laboris expers erat cultura illa; et occupationis aliquid ei suppeditabat citra dolorem et ærumnam."

Revera 3° nihil est otio perniciosius, præsertim inter affluentes commoditates ac delicias quibus hortus ille refertus erat. *Multam enim malitiam docuit otiositas* (Eccli. XXXIII, 29); et quamvis ante peccatum protoparentum sensus seduci non possent, bene tamen exemptio ab omni labore superbiendi ansam præbere potuisset.—Quod autem potissimum est, *summa lex operæ* et industriæ navandæ, quam nunc vitæ necessitates infelici sorte posteris Adæ imponunt, etiam tunc homi-

1—*De opificio sex dierum*, l. II, c. 6.

nes obstringebat saltem ad experimentum scientifice sumendum de viribus naturæ, ideoque supracitatus locus Geneseos jure habendus est veluti solemnis præcepti illius promulgatio.—Igitur primus homo ita in horto voluptatis versabatur ut operaretur illum, nimirum ut jucunde et alacriter *excoleret* atque *custodiret* non quidem contra invasorem, quia nullus erat, sed contra propriæ voluntatis arbitrium quo, transgrediendo divinum mandatum, tam excellens bonum amittere poterat.

QUÆSTIO SEPTIMA

De statu naturæ puræ

Complementi atque coronidis gratia, postremam hanc quæstionem adjicimus veluti *corollarium* eorum quæ demonstravimus de prærogativis status innocentiæ et de earum præternaturalitate.—Status *naturæ puræ* ita nuncupatus est quia ex una parte præsefert totum id quod natura efficit aut exigit, ex altera vero sejunctim spectatur ab iis omnibus quæ gratia et justitia originalis superaddunt, sic tamen ut horum donorum absentia *carentiæ* tantum, non *privationis* rationem habeat. Cum igitur talis status nunquam in rerum natura extiterit, tota theologorum controversia versatur circa ejus *possibilitatem*.—Scientiæ theologicæ summopere interest problema illud solvere, tum ad profligandos Baianos ac Jansenianos errores, tum etiam ad retundendas quorumdam catholicorum falsas ac periculosas opinationes.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum status naturæ puræ sit possibilis.

Negata gratuitate ac supernaturalitate donorum justitiæ originalis, *Baius* et *Jansenius* ut sibi cohærerent negare cogebantur possibilitatem status naturæ puræ.—At vero *nonnulli* theologi, præsertim ex schola Augustiniana, ut *Norisius*, *Berti*, *Bellelli* etc, Jansenianum errorem vitare se posse putarunt confugiendo ad distinctionem inter potentiam Dei absolutam et ordinatam. Cum enim *absoluta* potentia vocetur quæ sit potentia dumtaxat in se spectata, *ordinata* vero quæ dicat potentiam conjunctam cum sapientia ac bonitate, docuerunt statum naturæ puræ esse possibilem de potentia Dei absoluta, non autem de potentia Dei ordinata. Atque eodem recidit alia distinctio qua asserunt statum puræ naturæ *possi-*

bilem esse, sed *non convenientem* seu decentem, sumpta convenientia pro eo cujus oppositum repugnat.

Conclusio.—STATUS NATURÆ PURÆ DICENDUS EST POSSIBILIS, NON SOLUM DE POTENTIA DEI ABSOLUTA, SED ETIAM DE POTENTIA ORDINATA.

Prob. 1° ex damnata *prop. Baii* 55 : " Deus non potuisset talem ab initio creare hominem qualis nunc nascitur," excepto peccato. Unde consequitur potuisse Deum creare hominem talem ab initio qualis nunc nascitur, peccato excepto, seu hominem carentem gratia, obnoxium concupiscentiæ et morti.—Neque consequentia hæc intelligi debet, ut quidam volunt, solummodo de potentia Dei *absoluta*, minime vero de potentia *ordinata*. Nam, juxta S. Thomam (I, Q. XXV, a. 5 ad 1), quamvis *ratione* distingui possit potentia absoluta, veluti physica, cujus objectum id omne est in quo salvatur ratio entis, et potentia ordinata, veluti moralis, exequens voluntatis imperium et sapientiæ consilium, tamen *realiter* " nihil potest esse in potentia divina quod non possit esse in voluntate justa ipsius et in intellectu sapiente ejus ; " seu de facto potentia non est a sapientia et bonitate separabilis. Aliis verbis, potentia absoluta se habet quasi in actu primo, antecedenter et *secundum quid*, potentia vero ordinata respicit actum secundum ut consequens et *simpliciter*. Atqui, secundum doctrinam Ecclesiæ prouti ex damnatione Baii colligitur, vere et simpliciter Deus potuisset talem ab initio creare hominem qualis nunc nascitur. Ergo. (Vid. etiam alias prop. tum Baii tum Quesnelli passim supra recitatas).

Prob. 2° ex auctoritate *Patrum* et *Doctorum*.—*S. Augustinus*, cujus nomini potissimum confidit Jansenius, (l. 3 de Lib. Art. c. 20) præcipuum fundamentum adversariorum convellit dicens : " Quamvis ignorantia et difficultas (i. e. rebellis appetitus difficile obedientis rationi) essent hominis primordia naturalia, neque sic culpandus, sed laudandus Deus esset qui talem hominem condidisset ; " quod (l. 1 Retract. c. 9) repetit. Et morti proximus idipsum confirmat (l. de Dono Persev. c. 11) : " Etiamsi, inquit, verum esset ignorantiam et difficultatem, sine quibus nullus homo nascitur, primordia, non supplicia, esse naturæ, vincerentur tamen Manichæi." Quod si, salvis justæ Providentiæ legibus, potuerit homo condi ignorantiæ et concupiscentiæ subjectus (id præsertim

abhorrent catholici illi theologi qui ex parte negant possibilitatem naturæ puræ, concedentes nimirum hominem potuisse creari sine gratia et immortalitate, non tamen sine immunitate a concupiscentia), *a fortiori* status naturæ puræ quoad cetera possibilis fuit.

S. Thomas (præter testimonia implicita in præced. quæstionibus contenta) perspicuis textibus hanc doctrinam tradit. Ait enim (Q. IV de Malo, a. 14): " Carentia divinæ visionis dupliciter convenit alicui : uno modo sic quod non habeat in se unde possit ad divinam visionem pervenire et ita carentia divinæ visionis competeret ei qui in solis naturalibus esset etiam absque peccato ; sic enim carentia divinæ visionis non esset pœna, sed defectus consequens omnem naturam creatam." Et (2, Dist. XXXI, Q. I, a. 2 ad 3) his verbis effatur : " Poterat Deus a principio, quando hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terræ formare, quem in conditione suæ naturæ relinqueret, ut scil. mortalis et passibilis esset et pugnam concupiscentiæ ad rationem sentiens: in quo nihil naturæ humanæ derogaretur, quia hoc ex principiis naturæ consequitur. Non tamen iste defectus in eo rationem culpæ aut pœnæ habuisset, quia non per voluntatem iste defectus causatus esset."—Hæc est *communis* scholarum traditio.

Prob. 3° *ratione.—a)* Certum est Deum nec justæ suæ Providentiæ nec sapientiæ suæ deesse, si *id solum* creaturis tribuat quod earum natura deposcit. Atqui humana natura, ut vidimus, non exigit gratiam, visionis intuitivæ principium, nec immunitatem a concupiscentia, a morte, etc. Ergo Deus etiam de potentia ordinata potuit hominem sine illis donis condere.—Eo vel magis *b)* quia homo institutus in puris naturalibus haberet omnia quæ sibi naturaliter competunt non solum in esse physico, verum etiam in esse morali. Haberet, inquam, liberum arbitrium, haberet finem naturalem naturæ commensuratum, haberet et media huic fini proportionata.

Duo vero hic *advertere* opus est.—1° Quemadmodum nunc homo lapsus per auxilium *sanans* potest efficaciter Deum super omnia diligere, ut est naturæ Auctor, et totam legem moralem implere, ita in statu naturæ puræ, per quoddam divinæ Providentiæ auxilium *exigente* fine concessum, posset homo carnis rebellionem vincere legisque naturalis mandata plene

observare.—2° Concupiscentia, qualis esset in statu illo *vi conditionis*, non debet dijudicari secundum effrænatæ libidinis æstum qui nunc tam sæpe exardescit. Negari enim nequit (recte monet Hurter) [1] concupiscentiæ vim pendere quam plurimum a causis quibusdam particularibus, nempe tum a morali *parentum* conditione, tum ab *educationis* genere, tum ab *occasionum* influxu: quæ cuncta *actuale* peccatum supponunt, sicuti permultæ miseriæ quibus humanum genus modo premitur in causis historicis actualis perversitatis radicem sumunt.

Solv. obj. (ex Jansenio petitæ). —OBJ. 1. — Homo non potuit creari in eo statu in quo non satiaretur naturalis ejus appetitus. Atqui naturalis appetitus hominis fertur ad beatitudinem, quam status naturæ puræ excludit. Ergo.

RESP. *C. M.—D.m* :...fertur ad beatitudinem naturalem, *C*; supernaturalem, *S.d* : cognitis effectibus Dei ut est auctor gratiæ, *C*;...ut est auctor naturæ tantum, *N.—Neg. conseq.*

Plura in hac objectione confunduntur quæ tamen debent sedulo distingui.—1° Beatitudo duplex est : *naturalis* et *supernaturalis*. Hæc quidem in clara Dei visione consistit ; illa vero jure reponitur in quadam elevatissima, verum abstractiva, Dei contemplatione, continua, perpetua, quam naturalis Dei amor correspondens comitatur.—Porro 2° vi naturæ suæ humana voluntas non potest appetere nisi beatitudinem naturalem, eo quod Deus, ut auctor naturæ tantum, mediantibus creaturis naturaliter a nobis cognoscitur ; semel ac vero Deus innotescat per effectus gratiæ, jam oritur naturale desiderium intuendi causam horum effectuum, qui nobis mysteria divinæ naturæ aliqualiter pandunt, seu consequendi beatitudinem supernaturalem.—Quocirca 3° in statu naturæ puræ homo, post consummata merita huic statui proportionata, de via ad terminum transiret subindeque assequeretur non jam supernaturalem sed naturalem et in hoc genere perfectam felicitatem cui anhelasset et qua æternaliter satiari posset.

OBJ. 2.—Repugnat concupiscentiam esse a Deo. Atqui non potest esse homini naturalis quin a Deo sit. Ergo.

RESP. *D.M* :... ut est inordinata cupiditas, *C* ; ut est ordinata appetitio, *N.—C.d.m.* eodem sensu.— *Neg. conseq.*

1—*Theol. dogm. comp.*, Vol. II, *De homine*, c. 3, th. 123.

1° *Concupiscentia* dupliciter sumi potest : nempe vel in quantum significat motum appetitivum ad bona sensibilia rationi consona, vel in quantum dicit motum appetitus in bona rationi contraria.—Jamvero 2° si *primo modo* sumatur, dubitari non potest quin sit nobis a Deo insita et ex primæva illius intentione ; si autem *secundo modo* accipiatur, cum non sit perfectio sed *defectus* humanæ naturæ, homini inest præter intentionem Dei creantis et ex sola materiæ conditione, sicut rubigo quam gladius ferreus contrahit provenit ex sola necessitate materiæ, non autem a fabro ferrario.—3° Ad præcavendas cavillationes, notandum ducimus concupiscentiam secundo modo sumptam posse dici *naturalem*, in quantum ex principiis naturæ oritur; esse tamen *contra naturam*, secundum quod transcendit rationis limites seu parti principaliori humanæ naturæ contrariatur (I-II^{æ}, Q. LXXXII. a. 3 ad 1); at vero *connaturale esse* homini ut illius motus inordinatos rationis fræno compescat.

Obj. 3.—Non est justum hominem affligi morbis, doloribus et morte, nisi hæc peccando promeruerit. Atqui homo in pura natura careret peccato, etiam originali. Ergo.

Resp. *D. M* :... affligi per modum pœnæ, *C*; per modum probationis consequentis naturales defectus, *N.* — *C.m.*—*Neg. conseq.*

1° Quia pœna supponit culpam, in statu naturæ puræ ante peccatum corporeæ afflictiones nullatenus *pœnæ*, verum dumtaxat *defectuum naturalium*, quibus homo obnoxius esset, rationem haberent.—Siquidem 2° Deus non tenetur naturæ cursum causarumque naturalium actionem impedire ut creaturæ, etiam rationales, ab omni malo serventur immunes.—Immo 3° non deesset utilitas illorum dolorum ac miseriarum, quibus homo probatus et in virtute firmatus majus sibi compararet meritum majoremque felicitatis naturalis gloriam adipisceretur [1].

1—Qui plura cupit adeat Gonet, Billuart, Bellarminum, etc.

Hisce dictis atque pro posse ingenioli nostri ad mentem D. Thomæ digestis, conclusis atque exploratis, absoluta manet tota tractatio *de rerum creatione.*

Ex quibus intelligitur quam altus, intimus ac universalis sit supremus ille dominatus quo mundi Opifex constitutum orbem singulasque ejus partes ceu proprium atque ornatissimum Divinitatis regnum moderatur et regit.

Itaque extremum est, ad significanda grati animi sensa debitæque servitutis obsequia erga tantum Regem tamque magnificum Dominum, a quo cuncta sive quæ in cœlo sive quæ in terris sunt essentialiter pendent, ut cum regio Psalte veneranti voce canamus (Ps. CXLIV, 10-13): *Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua, et sancti tui benedicant tibi. Gloriam regni tui dicent, et potentiam tuam loquentur; ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, et gloriam magnificentiæ regni tui. Regnum tuum, regnum omnium sæculorum, et dominatio tua in omni generatione et generationem.*

LAUS DEO ET DEIPARÆ VIRGINI.

INDEX RERUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR

DISPUTATIO SECUNDA

Quæstio unica.—De distinctione rerum in communi

DISPUTATIO TERTIA

DE ANGELIS ABSOLUTE SUMPTIS

Quæstio I.—De Angelorum substantia secundum se

Quæstio II.—De comparatione Angelorum ad corporalia

Quæstio III.—De cognitione Angelorum universim sumpta

Quæstio IV.—De Angelorum cognitione respectu rerum materialium

Quæstio V.—De voluntate Angelorum

Quæstio VI.—De productione Angelorum secundum esse naturæ, gratiæ et gloriæ

Quæstio VII.—De Angelorum culpa

DISPUTATIO QUARTA

DE EXTERNA ET SOCIALI ACTIONE ANGELORUM

Quæstio V.—De missione et custodia Angelorum

Quæstio VI.—De dæmonum impugnatione

DISPUTATIO QUINTA

DE CREATURA CORPORALI

Quæstio I.—De creatione creaturæ corporalis

Quæstio II.—De communi ordine a Deo servato in rebus creandis

---


DISPUTATIO SEXTA

DE HOMINE ABSOLUTE SUMPTO

DISPUTATIO SEPTIMA

DE ELEVATIONE PRIMI HOMINIS AD STATUM GRATIÆ ET JUSTITIÆ ORIGINALIS







FINIS